
37
29 A
14








Ex Libris Antony Martinez

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
QUAS IN
UNIVERSITATE VIENNENSI
AUDITORIBUS SUIS EXPOSUIT

JOSEPHUS ZANCHI
è SOC. JESU,
SS. THEOLOGIÆ DOCTOR,
EJUSDEMQUE PROFESSOR PUBLICUS,
ET IN SACRA FACULTATE CÆSAREO-
REGIUS EXAMINATOR JURATUS.



TRACTATUS
DE
GRATIA SALVATORIS.


M. D. CC. LIV.

VIENNÆ AUSTRIÆ,
Typis JOANNIS THOMÆ TRATTNER, Sac. Cæs. Reg. Aulæ
Bibliopolæ & Universitatis Typographi.

CELSISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO
DOMINO

JOSEPHO
TRAUTHSON,

COMITI

IN FALCKENSTEIN,

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ARCHI-EPISCOPO

VIENNENSI,

S. R. I. PRINCIPI,

Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis, & Cathedralis Exemptæ Passaviensis Canonico Capitulari, Abbati in Sexard, Præposito in Ardagger, Sacræ Cæsareæ, Regiæque Majestatis

ACTUALI CONSILIARIO
INTIMO,

STUDIORUM UNIVERSITATIS VIENNENSIS

PROTECTORI
GENERALI.

PRÆSUL
CELSISSIME!



I non cum ſumma amplitudine par humanitas, & erga bonas litteras, earumque Cultores propenſio in TE certarent, perpetuo potius inter Scholarum umbras hoc, quidquid eſt com-

mentationis delitescer et, quam clarissimæ huic Luci, in qua indies amplius meritorum TUORUM gloria exsplendescit, sese offerret. Sed quemadmodum inter excellentissima virtutum præsidia, quibus magis, quam claritate Generis, ac Majorum TUORUM Gloria, ad tantum fastigium evectus es, doctrinæ ornamenta non postremo loco numeras; ita nec in illo ipso aspernaris, quicquid studiorum causa suscipitur, aut de eorum amore quidquam remit-

tis

tis. Inde, opinor, factum eſt, ut ſuprema AUGUSTÆ voluntate noſtrorum ſtudiorum Arbiter, atque Protector præ cæteris omnibus deligereris. Quo in munere quantum ad litterariæ hujus Reipublicæ ſplendorem & incrementum, pro ea, qua apud AUGUSTAM vales, gratia & auctoritate, intra exigui temporis ſpatium contuleris, non eſt, quod pluribus commemorem, quandoquidem res eſt in omnium oculis poſita. Sed, ut quoti-

die crescunt TUA in nos beneficia, sic nostra vicissim obsequia crescere consentaneum est. Patere igitur, PRINCEPS CELSISSIME, ut primos hosce meos in Theologicis Disciplinis conatus TUO Nomini inscribam, ac consecrem. Nihil quidem in iis sat cultum, nihil quod ingenii aut sacræ eruditionis laude TIBI se commendare possit, reperies: si tamen Theologiæ Candidatis, quorum unice gratia suscepti sunt, commodi inde, TE Judice,

ce,

ce, exiſtat aliquid, & vel hoc ſolo nomine eos TIBI probari ſentiam, id ſat grande laboris præmium arbitrabor. Erit autem ſimul humanitatis TUÆ, ex tenui hoc munere cultum ac obſervantiam in TE meam perſpicere, mihique inter Clientes TUOS locum aliquem præbere.

Quod dum ego a Benignitate TUA me obtenturum confido, DEUM Optimum Maximum precor, ut Celſitudinem TUAM AUGUSTÆ conſiliis,

Ec-

Ecclesiæ ſplendori, Litterarum præſidio quam diutiſſime ſalvam, florentemque præſtet, atque cum ſummis, quæ in TE contulit, virtutum ac dignitatum ornamentis annos æquet.

CELSITUDINIS TUÆ

Clientum infimus
JOSEPHUS ZANCHI
e S. J.

TRACTATUS THEOLOGICUS DE GRATIA SALVATORIS.



D proprium eſt Sacroſanctis Religionis noſtræ Myſteriis, ut occulta ſit eorum ratio, & menti humanæ impervia ac inacceſſa. Fidelibus proinde certum, atque perſuaſum eſſe debet, res ita ſe habere, ut Scriptura & Traditio docent; quo autem eæ ſint modo nihil neceſſe eſt curioſius rimari, nec anxie eorum cauſas, & rationes perſequi, quæ Divina Providentia celare nos voluit. Quod cum in omnibus, tum in hoc maxime, quod nunc aggredimur, Gratiæ myſterio tenendum eſt, utpote in quo majore cum periculo erratur, maximamque pariunt diſputationis obſcuritatem non ſolum tam diverſi, & extreme contrarii hæreticorum errores, ſed etiam ſubortæ centum & amplius abhinc annis, & etiamnum maximo animorum æſtu agitatæ Catholicorum concertationes. Nemo quidem ex iſtis eſt, qui extremas opiniones non fugiat, & mediam quandam viam tenere non ſatagat: ſed quia

illam arctam admodum & anguftam hæretici reddiderunt, nifi magna circumfpectio adhibeatur, nil pronius eft, quam ad dextram aut finiftram declinare.

Ad extrema ergo hæc cautius evitanda, tutamque ab omni prolapfione viam præftandam, ante omnia diligenter diftinguendum erit inter iftas de Divina Gratia difceptationes: aliæ namque pertinent ad dogmata Fidei, aliæ vero ad opiniones fcholæ, quibus Ecclefiæ dogma exponitur, & illuftratur. In illis firmum atque conftantem ftare oportet Theologiæ Candidatum; in his modeftum ac fobrium, & refellere non magis, quam refelli paratum. Quæ Ecclefia damnat, cum ea pariter damnanda funt; quæ probat, vel patitur, probanda, aut fuftinenda. Hanc propterea tenebimus methodum in præfenti, ut Differtationibus fere fingulis, ex quibus hic de Gratia Tractatus componitur, primum Fidei doctrinam explanemus; tum vero propofitis hinc & inde momentis examinemus ea, quæ falva fide inter Theologos contentiofius difputantur. Sed & in his moderatione utemur, eumque habere delectum ftudebimus, ut ea potius, quæ ad fidei elucidationem, aut eruditionem Theologicam faciunt, quam quæ ad exercitium ingeniorum circumferuntur fcholafticorum opinamenta, in medium adferamus. Quo autem res maximi momenti circumfpecto judicio, certaque ratione pertractetur, quasdam velut generales regulas, deinceps etiam ferverituras no-

nobis proponemus, in quas intuentes facilius nos ab omni errore vindicabimus.

Prima igitur hæc ſit regula: Ut auctoritate magis, quam ratione, quæ in rebus Divinis admodum eſt infirma & imbecillis, utamur. Cum enim agitur de voluntate Dei & beneficiis, de gratiæ vi & efficacia, de menſura diſtributionis, vel cum humana libertate concordia, nihil ut certum pronuntiare fas eſt, quod ex Deo ipſo; vel a Scripturis, vel ab Eccleſia & ſanctis Patribus non acceperimus; atque humanæ rationis inventa plerumque ſunt ſeponenda. Quod tamen non ita intelligi velim, quaſi iſtius nullus apud Theologos lo.us eſſe poſſit, aut debeat. Habet ſane, & quidem latiſſimum campum humana ratio, ubi ſeſe exerceat; modo ita partes ſuas agat, ut divinas non occupet; ut ſequatur, non præeat; ut ancilletur, non regnet ad arbitrium, cui ſola obſequendi gloria relicta eſt.

Secunda, quæ ex priore profluit, hæc eſto regula: Ut nihil in medium adferamus, quod in Scripturis, aut SS. Patribus fundatum non ſit, illaſque opiniones ſedulo evitemus, quæ ita recentes ſunt, ut earum auctores dici poſſint adhuc ambulare, ut de ſuorum temporum perverſis doctrinis loquebatur Tertullianus. Quæ enim cæteris in rebus grata eſſe novitas ſolet, eadem in iis, quæ ad religionem ſpectant, adeo ſuſpe-

cta est & odiosa, ut eo ipso falsa esse opinio censeatur, quod probetur nova. *Ex ipso ordine manifestatur*, inquit idem Tertullianus Lib. de præscriptione hæretic. c. 31. *id esse dominicum & verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum.* Hoc certe Theologum inter & Philosophum discrimen intercedit, quod hic eo doctior & solertior haberi soleat, quo plura nova, ac priscis Sapientibus incognita detegit ac deprehendit, sive rerum causas diligentius investigando, seu majore industria inquirendo in effectus naturæ. At aliter se res habet, ubi agitur de doctrina fidei, quam asserere ac tueri debet Theologus: cum enim hæc tota nitatur Scripturarum & Traditionum authoritate, ut is muneris sui partes perfecte impleat, antiquam, atque ab Apostolis traditam fidem investigare debet, atque ei, ubi invenerit, firmiter adhærere.

Tertia hæc erit regula: Ut in quæstionibus illis, quæ ad gratiam spectant, Augustinum ducem sequamur. In his quippe illius, adversus Pelagianos & Semipelagianos divinæ gratiæ hostes dimicantis, doctrinam ita suam fecerunt Pontifices & Concilia, ut ipsa ejus ductu pugnasse, & vicisse dicta fuerint. Ita Prosper adversus Collatorem c. 2. *Viginti amplius anni sunt*, inquit, *quod contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies ejus Viri ductu pugnat & vincit. Vincit, dico, quia non patitur respirare, quos vincit, & in quorum excidium unam cunctorum Sacerdotum manu scripsit sententiam.* Atque utinam omnes istud Ecclesiæ

de

de eo judicium, ſinceramque illius doctrinam ingenue ſecuti fuiſſent! depoſita profecto omni diſputationis acerbitate jam diu reſpiraremus, nullusque controverſiis locus exiſteret; vel certe quisque pro libertate ſibi ab Eccleſia conceſſa in ſua proponenda ac tuenda opinione placide conquieſceret absque omni offenſione, & invidioſa cenſuræ nota. Verum inter quam plurima, quæ poſterior ætas tulit mala, illud eſt ſane, nec leviter dolendum, quod non paucos videamus, qui dum plus æquo rationi & novitati ſerviunt, aliterque Auguſtinum, quam re ipſa ſenſerit, loquentem inducunt, apertum S. Doctori bellum indixiſſe videantur.

Reliquum eſt, ut his jam præceptis inſtructi & legibus præmuniti, quibus tuto atque inoffenſo pede hanc de Divinæ gtatiæ auxiliis Tractationem attingere poſſumus, gratiæ ipſius univerſim ſpectatæ notionem, diviſionemque præcipuam, unde ſummaria Tractatus hujus partitio ducitur, paucis exponamus.

Gratiæ generatim ſumptæ Notio, & diviſio præcipua.

GRatiæ nomine, prout ad præſens noſtrum inſtitutum pertinet, intelligitur gratuitum Dei donum, ſeu beneficium gratis conceſſum, *Si gratia*, inquit Apoſtolus ad Rom. II. v. 6. *jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.* Ac donum quidem illud non eo

tantum nomine dicitur gratuitum, quod ex mera Dei benignitate, non ex justitia & præviis nostris meritis detur; quo quidem modo plures naturæ dotes gratuitæ dici solent: sed eo maxime, quod præter naturæ ordinem conferatur, seu quod donum sit supernaturale, naturæ superadditum. Quapropter gratiæ Theologicæ nomine non venit creatio, conservatio, non ratio, non libertas, aut quodcunque aliud ordinis naturalis beneficium: hæc enim omnia, licet aliquo sensu gratuita sint, quatenus gratis nobis a Deo conceduntur, non præviis nostris meritis; naturali tamen hominis conditioni debentur, neque sunt aliquid natura excellentius, & supernaturale. Hinc mirum videri non debet, Pelagium Palæstinos Patres turpiter fefellisse: cum enim in Concilio Diospolitano accusatus fuisset, quod gratiæ necessitatem negaret, justam damnationem vitavit per subdolam Confessionem. Ibi namque professus est gratiæ necessitatem, sed intelligendo per gratiam naturalia beneficia creationis, conservationis, liberi arbitrii, sine quibus nec sumus, nec quidquam possumus. Gratia igitur in sensu proprio & Theologico accepta est donum gratuitum, supernaturale, creaturæ rationali a Deo concessum, & ordinatum ad vitam æternam. Dicitur *1mo*, *donum gratuitum*; ut ostendatur non rependi præcedentibus meritis, sed gratis dari: *alioquin gratia jam non est gratia* juxta Apostolum ad Rom. 11. & juxta S. Augustinum serm. 6. *ideo gratia, quia gratis datur*. Dicitur

2do


2do, *donum supernaturale*, id est supra naturæ debitum & exigentiam, nullaque naturali virtute parabile, ut distinguatur a donis naturalibus, quæ non nisi lato sensu gratia dicuntur. Dicitur 3tio, *Creaturæ rationali concessum*; quibus verbis indicatur subjectum capax recipiendæ gratiæ, Angelus nimirum, & homo. Dicitur denique, *ordinatum ad vitam æternam*; hic namque est finis gratiæ, ad quem assequendum juvatur homo per gratiam, movetur atque disponitur. *Gratia est*, inquit S. Augustinus Epist. 177. alias 95. *qua prædestinati vocamur, justificamur, & glorificamur.*

Gratiæ porro, seu dona ejusmodi supernaturalia partim externa sunt, partim interna. Externa dicuntur ea, quæ extra hominem sunt posita, seu hominem exterius afficiendo ad vitam æternam juvant: ut lex, doctrina, seu prædicatio Evangelii, miracula, Exempla Christi &c. Quin prædestinatio ipsa, amor, quo Deus ita mundum dilexit, ut Unigenitum suum Filium daret, & alia hujusmodi aliquo sensu externæ sunt gratiæ, sed æternæ & increatæ, ex quibus auxilia quæcunque supernaturalia profluunt in tempore, quibus homo ad finem suum ultimum assequendum disponitur. Interna vero dicitur gratia, quæ intra hominem est, eumque interius afficit, sive inhærendo, sive transeunter tantum movendo per illuminationem mentis, & voluntatis excitationem. De hac tantummodo hoc loco agimus.

Gratia igitur posteriore hoc sensu accepta divisione

ne præcipua tribuitur in habitualem, & actualem. Illa est donum Dei permanens, quo homo vera & inhærente justitia fit justus, Dei amicus, & templum Spiritus Sancti; de qua Christus Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Altera vero est, quæ per modum actus seu motionis Dei transeuntis conceditur: unde a SS. Patribus vocatur Dei motio, inclinatio, auxilium, quo Deus intellectum veri cognitione illustrat, & voluntatem boni amore accendit.

Secundum hanc gratiæ interioris divisionem universum quoque hunc Tractatum, qui latissime est fusus, commode in duas partes partimur; quarum altera erit de gratia actuali seu auxiliante; de habituali & sanctificante altera.



PARS



PARS PRIMA
DE
GRATIA ACTUALI.

Universam gratiæ actualis Doctrinam tribus dissertationibus comprehendere in animo est; quarum prima gratiæ necessitatem; altera virtutem, & agendi modum; tertia distributionem, seu gratuitam concessionem exponat. Sed ante omnia delibandæ sunt notiones quædam universales, quæ viam veluti sternant ad ea, quæ deinceps dicturi sumus, facilius intelligenda.

NOTIONES PRÆVIÆ
De Natura Gratiæ actualis, & ejus multiplici Divisione.

I. 

Uplicis generis motionem, seu instinctum, quo mens hominis in bonum fertur, ipsi in nobis experimur. Una nempe est motio DEI universalis, quæ & instinctus naturalis dici solet, quo ad commune bonum, aut felicitatem natura ipsa impellimur: altera est motio quædam aut instinctus spe-

cialis, qui & vocatio, & inspiratio, & Divinus afflatus dici potest; quo a DEO peculiariter movemur ac excitamur ad determinatum aliquod bonum volendum aut amplectendum. Instinctus ejusmodi speciales ad bonum sunt motiones illæ, quarum meminit S. Thom. 1. 2. q. 9. *art.* 6. Postquam enim docuit, voluntatem nostram a DEO moveri ad universale bonum, mox subjicit: *Sed interdum specialiter DEus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his, quos movet per gratiam.* Unde facile colligitur, motionis istius specialis nomine nihil aliud intellexisse Doctorem Angelicum, quam eam, de qua nobis hic sermo est, actualem gratiam, utpote quæ & a SS. Patribus vocatur, ac definitur DEI motio, inclinatio, auxilium, quo DEus intellectum hominis veri cognitione illustrat, & voluntatem boni amore accendit. *Sicut enim*, ait S. Augustinus Lib. de *natura* & *gratia* Cap. 26. n. 29. *oculus corporis plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic & homo perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* Et Lib. de *gratia Christi* Cap. 12. diversos gratiæ actualis effectus exponens, ait: *Qua gratia agitur, non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus.* Quapropter actualis gratia, prout secernenda ab habituali, recte definitur, auxilium supernaturale, quo juvatur homo certo tempore, & quibusdam in circumstantiis ad bene & salutariter operandum, situm in actu supernaturali tam intellectus, quam voluntatis, seu in mentis illustratione supernaturali, & indeliberata voluntatis motione: utrumque enim necesse est, nobis a DEO adesse, ut supernaturaliter agere valeamus. Ita namque agere non possumus absque pia & salutari cogitatione, quæ mentis aliquam illustrationem involvat, & juncta simul sit cum bono voluntatis motu. De pia certe cogitatione 2. ad Cor.

Cap.

Cap. 3. v. 4. legitur: *Fiduciam talem habemus per Christum ad DEum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex DEO est.* De bono autem voluntatis motu apud Jerem. Lam. 5. v. 21. *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Et apud Joan. C. 6. v. 44. sic habet Christus ipse: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Id ipsum aperte declarant, atque confirmant Concilia, & Patres, ut ostendetur postea, cum Doctrina hæc erit ex professo adstruenda.

II. Gratiæ sic breviter descriptae divisiones præcipuæ, & magis usitatæ sunt, in gratiam operantem, & cooperantem, in prævenientem, concomitantem, & subsequentem, in excitantem & adjuvantem, in sufficientem & efficacem, denique, ratione statuum diversorum naturæ, in gratiam Creatoris, & gratiam Christi, id est, in gratiam status naturæ integræ, & gratiam status naturæ lapsæ; quas nos omnes singillatim quidem atque distincte, sed strictim dumtaxat atque summatim hic exponemus; cum non tam de rebus ipsis, quam de verborum, quorum in Tractatus hujus decursu usus erit, significatione agendum sit in præsenti, atque generales solum scituque magis necessariæ notiones præmittendæ. Itaque

III. Gratia actualis dividitur 1mo, in gratiam operantem, & cooperantem. Gratia operans est omnis illustratio mentis, & voluntatis ad bonum subita excitatio, seu indeliberatus motus intellectus & voluntatis, cœlitus immissus, per quem DEus incipit bonum opus in nobis, aut quem DEus operatur in nobis sine nobis. Cooperans vero ea dicitur, per quam DEus facit, ut quod voluerimus, impleamus, sive est concursus supernaturalis DEI, quo simul cum humana libertate ad bonum faciendum cooperatur, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 15. v. 10. *Gratia DEI mecum.*

Utramque hanc gratiæ actualis speciem indicat nobis S.

Augustinus Lib. de *gratia*, *& libero arbitrio* Cap. 17. illis verbis: *Quis istam etsi parvam dare cœperat charitatem*, (nempe S. Petro, de quo hic loquitur:) *nisi ille*, *qui præparat voluntatem*, *& cooperando perficit*, *quod operando incipit? Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens*, *qui volentibus cooperatur perficiens ... Ut ergo velimus*, *sine nobis operatur*; *cum autem volumus*, *& sic volumus*, *ut faciamus*, *nobiscum cooperatur*. Ubi observandum, illa S. Doctoris verba, *sine nobis operatur*, actus denotare indeliberatos, qui subito in nobis sine nobis excitantur; non quidem sine nobis physice ac vitaliter (quandoquidem sunt actiones vitales, quæ a principio interno necessario oriri debent) sed sine nobis libere consentientibus; quia sunt subiti, & indeliberati motus, qui a nostra non pendent voluntate, sed antecedunt omne libertatis exercitium, & omnem naturæ exigentiam superant; quod satis est, ut beneficii pure gratuiti rationem habeant, & dici possint vero aliquo sensu esse in nobis sine nobis.

De gratia operante & cooperante loquitur etiam Concil. Arausicanum II. Ita namque habet Can. 9. *Quoties bona agimus*, *DEus in nobis atque nobiscum*, *ut operemur*, *operatur*; Can. vero 20. *Multa DEus facit in homine bona*, *quæ non facit homo*: (nempe libere consentiendo) *nulla vero facit homo bona*, *quæ non præstet DEus*, *ut homo faciat*: quæ verba sunt D. Augustini Lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap. 8.

Ejusdem pariter gratiæ meminit S. Thomas 1. 2. q. CXI. art. 2. in Corpore, ubi ait: *Operatio alicujus effectus non attribuitur mobili*, *sed moventi. In illo ergo effectu*, *in quo mens nostra est mota*, *& non movens*, *solus autem DEus movens*, *operatio DEO attribuitur*; *& secundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu*, *in quo mens nostra & movet & movetur*, *operatio non solum attribuitur DEO*, *sed etiam animæ*;

&

& secundum hoc dicitur gratia cooperans. Gratia itaque operans dicitur, quæ mentem illustrat, pulsatque voluntatem ita, ut per motiones indeliberatas applicetur illa ad pias cogitationes; hæc ad sanctas affectiones. Cooperans vero dicitur, quæ cum mente ipsa ac voluntate vel piam cogitationem, vel sanctam efficit affectionem.

Quamvis autem utraque hæc, tam operans, quam cooperans gratia duplex reipsa sit, una scilicet ex parte intellectus, consistens in illustratione; altera ex parte voluntatis, in inspiratione, seu in indeliberata voluntatis motione posita: semper tamen operantis aut cooperantis gratiæ nomine, quoties agitur de statu naturæ lapsæ, intelligitur complexum ex utraque: secunda namque sine prima esse non potest; prima vero in hoc infirmitatis statu, in quo voluntas bonum salutare, ut ut cognitum, velle non potest, nisi interius corroboretur, insufficiens atque adeo inutilis foret sine secunda. Quapropter misericors DEus, quoties operatur in nobis, ut bonum salutare velimus, & quoties nobiscum cooperatur, ut quod volumus, impleamus, id facit mentis illustratione simul, & voluntatis motione. Porro illustrationes ejusmodi consistunt potissimum in vehementioribus quibusdam certorum objectorum apprehensionibus, quibus sollicitamur ad bonum, aut deterremur a malo, vel in judiciis indeliberatis, quibus aliquid omittendum, aut faciendum esse judicamus. Inspirationes vero, seu voluntatis motiones sunt jam actus indeliberati amoris DEI, vel alterius boni ad salutem pertinentis, vel actus indeliberati desiderii, faciendi id, quod DEus suadet, aut præcipit; vel actus odii & fugæ circa illud, quod a DEO vetitum est; jam sunt actus timoris gehennæ, aut aliarum pœnarum, quas DEus peccatoribus comminatur; jam actus gratitudinis circa beneficia Divina; jam ipse actus salutaris, quem DEus incipit in nobis sine nobis, ut illum postea, accedente sufficiente advertentia, & cooperante Divina gratia, libere & cum merito prosequamur.

IV.

IV. Dividitur gratia 2*do*, in excitantem, & adjuvantem; quæ quidem divisio superiori admodum affinis est. Eadem quippe esse videtur gratia excitans & operans, quemadmodum & eadem gratia adjuvans & cooperans; nisi quod forsan voces istæ *excitans*, *adjuvans*, disertius exprimant munus gratiæ utriusque; excitantis quidem, cujus est, hominem veluti somno peccati consopitum excitare, officii sui admonere, ac reddere expeditum ad bene agendum; adjuvantis vero, ad quam pertinet non solum vires, ad bene agendum sufficientes subministrare, sed liberum etiam hominis excitanti gratiæ consensum efficere, idque ut impleatur largiri, ad quod gratia excitans impellebat; quæ forsan obscurius indicantur vocibus illis: *operans*, *cooperans*.

Cæterum divisio hæc gratiæ in excitantem & adjuvantem fundamentum habet in scripturis, Concilio Tridentino, & SS. Patribus. Scriptura quidem Apocalyps. Cap. 3. v. 20. sic habet: *Ecce sto ad ostium, & pulso.* (en gratia excitans!) Si *quis audierit vocem meam*, & *aperuerit mihi januam*, *intrabo ad illum.* (en gratia adjuvans!) Concilium Trident. Sess. 6. Cap. 6. *Disponuntur ad ipsam justitiam*, *dum excitati Divina gratia & adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in DEum.* Et Cap. 5. dicit, eos, qui per peccata aversi erant a DEO, per excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum justificationem disponi. Meminit quoque Can. 4. excitationis, qua liberum arbitrium a DEO excitatur, quæ excitatio ipsa illa est gratia, quam hic excitantem appellamus. S. Augustinus Lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. Cap. 18. *Quod ad DEum nos convertimus*, inquit, *nisi ipso excitante & adjuvante*, *non possumus*, & *hæc est bona voluntas*, quam scilicet non possumus habere sine auxilio gratiæ excitantis & adjuvantis. Et S. Bernardus Lib. de *gratia*, & *libero arbitr.* Cap. 13. *Cujus* (liberi arbitrii) *conatus ad bonum*, inquit, &

& cassi sunt, si a gratia non adjuventur; & nulli, si non excitentur. Denique utramque hanc gratiam agnoscit & postulat Ecclesia, cum ait: *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere.*

V. Dividitur 3tio., in prævenientem, consequentem, & concomitantem. Hæc quoque divisio in mox expositam coincidere videtur, & a non nullis consunditur cum præcedentium utraque, gratiæ nimirum operantis seu excitantis, & cooperantis seu adjuvantis. Ubi tamen observandum, duplici sensu gratiam dici posse prævenientem & consequentem; nempe vel per respectum ad liberum voluntatis consensum, vel per respectum ad invicem. Priore sensu gratia præveniens dicitur, quia prævenit voluntatem, efficiendo in ea boni motus initium; & sic ab ea non distinguitur, quam modo excitantem appellavimus. Subsequens vero, non quod prævium liberi arbitrii motum subsequitur, qui sensus adversus Semi-Pelagianos damnatus est in Concilio Arausic. II. Can. 6. Sed quod subsequatur, & provehat, & executioni applicet bonum motum jam in voluntate per gratiam prævenientem inchoatum. Porro cum gratia præveniens hoc sensu accepta non includat voluntatis consensum, necesse est, admittere in hac divisione tertium aliquod membrum, seu genus gratiæ concomitantis, quæ voluntatem comitetur & adjuvet, ut bonum efficaciter velit. Cum enim ille voluntatis actus, quo consentit, seu vult bonum, sit a gratia DEI, & non includatur in præveniente aut subsequente gratia, necesse est, ut sit a gratia concomitante. Triplicis hujus gratiæ divisionem designat Concilium Trid. Sess. 6. Cap. 16. illis verbis: *Quæ virtus in ipsos justificatos jugiter influit, bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur.* Si vero gratia præveniens & subsequens posteriore sensu accipiantur, videlicet comparate ad se invicem, tollendum erit secundum divisionis membrum; nam sine intermedio gratia præveniens

&

& subsequens opponentur. Nimirum præveniens erit, quæ omnia quæcunque naturæ merita antecedit; subsequens vero, quæ præcedentem quacunque demum ratione subsequitur. Quo sensu dixit S. Augustinus in Enchirid. Cap. 23. *Præcedit bona voluntas hominis multa DEI dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis*, & Misericordia ejus præveniet me; & Misericordia ejus subsequetur me. *Nolentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit.* Et Lib. 2. ad Bonifacium Cap. 9. *Ut incipiamus, dictum est*, Misericordia ejus præveniet me; *ut perficiamus, dictum est*, Misericordia ejus subsequetnr me.

VI. Dividitur 4*to*: in sufficientem, & efficacem. Celebris hæc apud Theologos divisio inde nata videtur, quod certum sit apud omnes, posse hominem ex concessa sibi gratia bonum operari, & ad vitam æternam pervenire: nec minus etiam certum sit, nonnullos bonum, quod possunt, reipsa operari, alios vero non operari. Circa utrumque hujus divisionis membrum graves jamdiu exarserunt inter Scholasticos discordiæ ac contentiones; quod diversa tam sufficientis, quam efficacis gratiæ sit idea, ac notio, pro diverso ipsius apud Catholicos etiam Theologos usu & acceptione, ut suo loco dicturi sumus. Illud hic dumtaxat observare juverit, ab omnibus Catholicis agnosci, gratiam actualem ita sufficientem, ut homini conferat veram potestatem, non absolute tantum, sed etiam relative ad præsentes circumstantias, & appositam cupiditatem superandam, bene operandi: gratiam vero ita efficacem, ut certissime det bonum operari, suumque effectum infallibiliter semper assequatur.

Additur in definitione gratiæ sufficientis vox illa *relative*, ut ita præveniatur æquivocationi Jansenianorum, qui gratiæ sufficientis potestatem cum Catholicis appellant ve-

veram, perfectam, completam, imo perfectissimam, completissimam, sed absolute tantum, & abstrahendo ab omnibus circumstantiis; non vero relative ad circumstantias oppositae cupiditatis ipsa gratia superioris; quod caput est totius systematis Janseniani.

VII. Denique dividitur gratia actualis in gratiam status naturae innocentis, & in gratiam status naturae lapsae. Quae quidem gratiae divisio ut recte intelligatur,

Sciendum est praevie, vocem hanc *status* apud Theologos, & apposite ad praesens de gratia Christi argumentum, significare certam conditionem totius naturae humanae, in ordine ad suum finem ultimum, secundum legem Divinae providentiae. Cumque, universim loquendo, duplex sit ordo hominis ad ultimum finem, quo nempe vel jam fruitur, vel ad quem tendit; idcirco duplex etiam generatim distinguitur hominis status: unus termini, seu fruitionis & patriae, qui proprius est Beatorum in Coelis jam degentium, alter viae seu peregrinationis ad terminum, qui viatorum est status; & duplex rursus concipitur: alter, qui nusquam fuit, sed videtur possibilis, status nimirum naturae purae, in quo nasceretur homo sine gratia & sine peccato; obnoxius tamen morti, caeterisque miseriis, quae naturam ipsam consequuntur: alter, qui defacto fuit, & adhuc ex parte existit.

Posterior hic naturae humanae status, de quo unice hic agimus, triplex est. *Primus* naturae innocentis, in quo primi Parentes conditi fuere, utpote qui in ortu suo justitiam originalem, sanctitatem, & immortalitatem a DEO acceperunt. *Secundus* naturae lapsae, in quo versamur omnes post lapsum Adami, in quo peccavimus, ac nascimur filii irae & indignationis, obnoxii peccato, morti, caeterisque hujus vitae calamitatibus. *Tertius* naturae lapsae & reparatae per Christum, in quo per merita Christi liberamur a noxa peccati originalis, caeterisque actualibus, atque restituimur primaevo illi juri, quod ha-

bebamus ad vitam æternam, ex quo per peccatum primi parentis excidimus. Secundum hanc itaque ſtatus naturæ diviſionem dividitur quoque gratia actualis, in gratiam utrique ſtatui, naturæ nimirum innocenti, & naturæ lapſæ ac per Chriſtum reparatæ propriam. Quanquam non tam facile ſit, genuinum utriusque ſtatus gratiæ diſcrimen aſsignare.

Thomiſtæ, qui cum præmotionis phyſicæ neceſsitatem repetant ex naturali ſubordinatione & dependentia cauſæ ſecundæ a prima, conſequenter arbitrantur, tam in ſtatu naturæ innocentis, quam lapſæ neceſſariam fuiſſe gratiam phyſice præmoventem, cum hoc ſolo diſcrimine, quod in ſtatu naturæ innocentis ſolius ſubordinationis ſeu dependentiæ titulo neceſſaria fuerit; in præſenti vero naturæ lapſæ ſtatu duplici titulo neceſſaria ſit, nempe titulo dependentiæ, & depravationis, ſeu corruptionis naturæ ac voluntatis humanæ.

Alii, qui phyſicam Thomiſtarum præmotionem rejiciunt, arbitrantur in uno æque ac altero naturæ ſtatu utrumque auxilii genus ſufficiens, & efficax dari, ac neceſſarium eſſe. Adamo proinde & Angelis in ortu ſuo datam, ac neceſſariam fuiſſe gratiam efficacem ad primum illum amoris Dei actum eliciendum, in quo boni creati ſunt; ad ſubſequentes vero bonos actus, & ipſammet in bono perſeverantiam, ajunt, Angelis quidem bonis conceſſum auxilium efficax, non autem Adamo, qui re ipſa non perſeveravit, ſed perſeverare potuiſſet, ſi voluiſſet, cum auxilio gratiæ ſufficientis. Totum ergo diſcrimen gratiæ utriusque ſtatus in eo reponunt, quod naturæ innocentis gratia ſolam includeret mentis illuſtrationem; gratia vero naturæ lapſæ, præter illam illuſtrationem mentis, exigat prævìam voluntatis motionem & excitationem, qua ſana voluntas originali gratia inſtructa non indigebat.

Jan-

Jansenius utramque quidem, tam intellectus, quam voluntatis gratiam necessariam fuisse ait Adamo innocenti, & Angelis ad bonum quodcunque opus: sed aliud, idque essentiale discrimen post Lutherum & Calvinum inter gratiam illam, & gratiam status nostri constituit. Auxilium nempe status Innocentiae proprium vocat auxilium *sine quo non*, hujus autem status nostri proprium appellat auxilium *quo*. Utrumque tam mentis illustrationem, quam voluntatis motionem complectitur: sed auxilium *sine quo non* ita voluntatem afficiebat, ut liberum ipsi relinqueret cum auxilio illo non operari; quemadmodum cum eadem gratia Angeli boni re ipsa perseverarunt, non item perseverarunt Angeli mali. Contra auxilium *quo* ita voluntatem afficit, ut eam invincibiliter determinet ad volendum & agendum id, propter quod datum est. Itaque secundum mentem & doctrinam Jansenii auxilium *sine quo non*, quod ab ipso etiam auxilium *possibilitatis* dicitur, sola fuit gratia status naturae innocentis; & auxilium *quo*, quod & auxilium *actionis ac voluntatis* appellatur, sola est status nostri gratia. Illud tale fuit, ut daret posse, non velle; istud tale est, ut det non tantum posse, sed & velle, & agere. Illud reliquit voluntati potestatem dissentiendi, & hoc sensu subditum erat libero creaturae arbitrio, istud voluntati subditum non est, sed potius voluntatem insuperabili sua efficacia sibi subjicit.

Atque ex eodem hoc, quod Jansenius statuit, inter gratiam utriusque status discrimine, sponte sua profluunt quinque illae famosae propositiones ab Ecclesia damnatae, quae merito totius Jansenianae doctrinae compendium appellantur, ut deinde videbimus, cum nempe de gratiae utriusque status necessitate atque erroribus eidem adversantibus ex professo differemus.

DISSERTATIO PRIMA.

De
Gratiæ actualis Necessitate.

Cum gratia, ut initio dictum est, sit auxilium supernaturale, quo juvatur creatura rationalis ad bene & salutariter operandum, seu ad vitam & salutem æternam consequendam; patet, necessitatem gratiæ, de qua hic agitur, respectivam esse seu relativam, tum ad salutem æternam tanquam finem; tum ad omne opus bonum, tanquam medium ad vitam æternam necessarium. Hæc autem relativa necessitas duplex distingui solet: una simplex, quæ sola proprie est necessitas medii, sine qua finis obtineri simpliciter non potest; ut visio sine lumine: altera secundum quid, seu ad melius tantum & facilius, quæ magis proprie est utilitas; qualiter myopi aut presbytæ necessaria sunt conspicilla, seu ocularia ad videndum. Divisionem hanc aliis verbis exponit S. Augustinus *Lib. de Gestis Pelagii Cap.* 1. Non agimus in præsenti de necessitate gratiæ secundum quid, sed de sola necessitate simplici; tum quod non illam, sed hanc infensissimi gratiæ Christi hostes Pelagiani negaverint; tum quod ex necessitate simplici gratiæ ejusdem existentia rectius inferatur: siquidem Deus non deest hominibus in iis, quæ simpliciter necessaria sunt, utiliora vero & meliora nec dat semper, nec dare tenetur. Quo vero rem maximi momenti certa ratione ac methodo pertractemus, primum errores præcipui, qui circa Christi gratiam emerserunt, nobis erunt exponendi; tum Catholicæ fidei dogmata ad gratiæ necessitatem pertinentia, & quæ iis consentanea magis videbitur doctrina stabilienda: iis enim rite explicatis, quid sentiendum sit, non tam humanis rationibus, quæ in rebus divinis parum habent momenti, quam sacrarum litterarum, & traditionis, nec non SS. Patrum authoritate certum & exploratum nobis futurum est. SE-

SECTIO I.

DE
Erroribus Gratiæ necessitati adversantibus.

INter eos, qui catholico de divina gratia dogmati adversati sunt, principem facile locum obtinet Pelagius. Esto namque alii fuerint, qui ante Pelagium de ea male senserint: ut Ruffinus, cujus discipulum fuisse Pelagium, & ab eo semina erroris accepisse ipse D. Hieronymus indicat in *Præfat. ad Commentar. in Jerem.* ubi Grunium (ita enim Ruffinum nominat) vocat Præcursorem Pelagii. Et ante Ruffinum Theodorus Mopsuestiæ Episcopus, quem Pelagio præivisse Marius Mercator, S. August. ætate suppar, in Libro *Subnotat.* aperte testatur. Ac denique ante Ruffinum & Theodorum Origenes, qui Pelagii errorem maxime circa gratiæ necessitatem præformavit, teste S. Hieronymo in *Epistola ad Ctesiphontem*, in qua Pelagium alloquens, *doctrina tua*, inquit, *Origenis ramusculus est;* & Origenem *Pelagiani erroris principem* vocat. Esto, inquam, hi, & plures forsan alii Pelagianæ hæreseos primi auctores & assertores fuerint: quia tamen Pelagius prior omnibus contra gratiam in apertum erupit, eamque inter cæteros acrius impugnavit, ideo errori nomen dedit, & omnes gratiæ necessitatem vel negantes, vel extenuantes Pelagiani vocantur.

Ab ipso itaque Pelagio ducemus exordium; tum de Pelagianorum reliquiis, seu de Semipelagianis dicemus; denique Recentiorum etiam, qui sepulta jam Pelagianorum dogmata suscitarunt, errores indicabimus.

CAPUT I.

DE
Pelagio, & ejus erroribus universim.

I. PElagius fuit natione Britannus, professione Monachus, non ex iis, qui in Monasterio Cœnobiticam vitam ducunt, sed ex illis, qui suis in ædibus solitariam tunc temporis agere solebant; nullo propterea religioso cœtui adscriptus, nec usquam ad sacros Ordines promotus: quem propterea Zozimus Papa Epistola ad Aurelium Carthag. & Episcopos Afric. vocat *virum laicum;* quia monachi, qui sacris Ordinibus initiati non erant, inter laicos recensebantur. Non mediocri pietatis fama Romæ diu commoratus est, teste D. Augustino, qui Lib. 3. *de peccatorum merit. & remiss.* cap. 1. honorifice de eo loquitur his verbis: *post paucissimos dies legi Pelagii quædam scripta, viri, ut audio, sancti, & non parvo profectu Christiani.* Et cap. 3. *bonum ac prædicandum virum* appellat: Cujus elogii sui meminit in Lib. 2. Retract. cap. 23. ubi *Pelagii ipsius nomen non sine laude aliqua posuisse* dicit: *quia vita ejus a multis prædicabatur.* Ex quibus colligitur, Pelagium, si non veram ac solidam, fucatam saltem & fictam virtutem aliquanto tempore præsetulisse. Verum seu vera ea virtus, seu ficta fuerit, ab ea certe virtutis & sanctitatis, qua floruit, opinione, detracta subinde larva, prorsus excidit: cum nempe errores, quos primum a Ruffino hausit, palam disseminare, & ex discipulo Magister factus, ipse aliis instillare cæpit.

II. Inter primos, quos suo infecit veneno, unus fuit Cœlestius, fautor deinde illius hæresis, ac propugnator acerrimus. Qui magistrum suum audacia superans, tergiversante ipso, & subdole ac diffidenter hæresim vulgante, publice eam profiteri cœpit, præsertim in Africa; ubi a Paulino Eccle-

siæ

siæ Carthaginensis Diacono accusatus, judicio synodali damnari & excommunicari meruit anno Dni 412. Ut latam contra se sententiam declinaret, & ne uti hæreticus traduceretur, ad Sedem Apostolicam appellavit; verum causæ suæ diffidens, appellatione neglecta, Ephesum Asiæ urbem mox contendit, ibique per obreptionem Presbyter factus, multos sua hæresi inquinavit, eorumque ope per vicinas Insulas, sed Rhodum maxime, errorem suum adeo diffudit, ut ejus sectæ homines etiam Cœlestiani dicti sint. Ex Epheso Constantinopolim migrans, sed inde ab Attico Patriarcha ejectus, Romam se contulit, ubi quid egerit, mox dicemus.

III. Pelagius interea, qui, postquam Cœlestium sibi discipulum, & sectæ suæ socium adscivisset, Gothis Italiam vastantibus, & Romam semel ac iterum obsidione cingentibus, cum eodem, anno circiter 409. Roma in Siciliam navigaverat, indeque in Africam transmearat, relicto ibidem Cœlestio, in Palæstinam profectus, cum Hierosolymis pedem fixisset, gratiam Joannis illius urbis Episcopi aucupari cœpit, & obtinuit. Verum qualis esset a S. Hieronymo, quem provocaverat, & a S. Augustino, qui intellecta Cœlestii damnatione calamum in eum stringere cœperat, detectus fuit Pelagius. Iis accessit Orosius, qui ex Hispania, unde oriundus erat, in Palæstinam perveniens anno 415. manifestum fecit, Cœlestium Pelagii discipulum a Concilio Carthaginensi fuisse damnatum. Conventu super hoc Hierosolymis habito, Joannes Episcopus se Judicem exhibuit, Orosio accusante, & Pelagio respondente. At Judicem ejusmodi declinante Orosio, utpote reo impense propitium, Innocentio I. Romano Pontifici judicium communi sententia delatum est, Pelagio interea silentio indicto. Non multo post accusatus apud Palæstinos Antistites, coram Synodo Diospolitana anno 415. se sistere coactus Pelagius, tanta arte Græcis hominibus, latinæ linguæ & versutiarum illius ignaris imposuit, ut subdolis ejus responsis decepti, ipsum ab

omni

omni hæresis suspicione absolverint, errore *facti*, *non Juris*. Dum in hac fraude sua exultat Pelagius, ac reportatæ absolutionis litteras, tanquam fidei suæ testimonium spargit; Orosius, qui ex Palæstina in Africam remearat, quæ in Synodo Diospolitana gesta fuerant, ad Episcopos in Concilio Carthagine congregatos defert, qui perlectis iis, quæ in priore Carthaginensi Synodo anno 412. contra Cœlestium statuta fuere, & consideratis etiam gestis Synodi Diospolitanæ, Pelagii & Cœlestii errores novo anathemate configunt. Eodem hoc anno, nempe 416. aliud Concilium celebratum est Milevi, cui & S. Augustinus interfuit, in quo pariter Pelagiana hæresis damnata est. Utraque tamen Synodus tam Carthaginensis, quam Milevitana ad Innocentium I. misit, ut ipse Apostolica sua authoritate, quæ Episcopi statuerant, firmaret, causamque finiret. Quod & fecit Innocentius, confirmando omnia ab Africanis Conciliis statuta. Ejus litteris in Africam perlatis, S. Augustinus serm. 131. cap. 10. populum admonens, *ubi tales*, inquit, *Pelagianos inveneritis*, *occultare nolite*, *non sit in vobis perversa misericordia . . . . Redarguite contradicentes*, *&* *resistentes ad nos perducite. Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam : inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est ; utinam aliquando finiatur error.*

IV. Et sane non multo post finitus est error. Quamvis enim, mortuo Innocentio, Pelagius atque Cœlestius ea, qua uterque pollebat, vafritie Zozimo Innocentii successori ficta sua confessione, & simulata Sedi Apostolicæ obedientia illuserint, adeo, ut is a promulganda in eos hæresis sententia abstinuerit, donec ex Africa ab Episcopis, ad quos litteras dederat Zozimus, rescriberetur : attamen detecta utriusque fraude, cum ad examen vocatus Cœlestius sese fuga subtraxisset, absque ulla cunctatione in eum, & Pelagium decretoriam sententiam tulit Pontifex grandi illa Epistola ad universos Orbis Christiani Episcopos data, qua omnia a Synodis Africanis gesta

con-

contra Cœlestium atque Pelagium approbavit, sententiamque ab Innocentio Decessore suo latam confirmavit, eamque mittens ad Honorium Imperatorem, ab eodem obtinuit, ut imperiali Edicto Pelagius & Cœlestius ex urbe ejici, & omnes de horum hæresi convicti perpetuo mulctari exilio juberentur. Ita factum est, ut Pelagiani se ad extrema redactos agnoscentes, ut res suas aliquomodo erigerent, fœdus cum Nestorianis hæreticis inierint: sed una cum illis in Concilio Generali Ephesino anno 431. damnati, ad extremas angustias redacti sunt, paucique hac illac per occidentem sparsi remanserunt. Hæc de Pelagii, & Pelagianorum historia, de qua plura eruditionis studiosus inveniet apud Dionysium Petavium Lib. de *Pelagian. & Semipelag. dogmatum historia.* Alexandrum Natalem *Histor. Eccles.* sæcul. V. cap. 3. art. 2. Cardinalem Norisium in sua *Histor. Pelag.* & alios.

V. Sequitur nunc, ut Pelagii, & Pelagianorum errorum præcipua saltem capita attingamus.

Pelagiana hæresis non simplex & uniusmodi fuit; sed quasi multiceps monstrum, variis ex impietatis argumentis, opinionibusque contexta: inter quas præcipua erat illa, quæ Christi gratiam oppugnabat; quam etiam solam nobis hic satis erit paucis aperuisse.

Qui Pelagii de gratia doctrinam penitius inspexerunt, eundem ubique errorem latere sub diverso duntaxat verborum cortice se deprehendisse existimant. Norat namque deditum fraudibus ingenium variis flexibus errores suos dissimulare, & alias atque alias pro data occasione formas induere.

Primum itaque, cum hæresim suam promulgavit, nulla omnino gratiæ mentione facta, dixit naturam solam, & ingenitas liberi arbitrii vires sufficere adimplenda omnia præcepta, exercenda, sicut oportet, virtutum quarumvis officia, & consequendam salutem æternam. Hinc in naturæ laudem librum conscripsit, quem sibi traditum a Timasio, & Jacobo religiosis

adolescentibus a Pelagiana hæresi recens conversis S. Augustinus confutavit libro, quem inscripsit *de Natura & Gratia*. Primigenium hunc Pelagii errorem ex eodem S. Augustino colligimus, qui serm. 11. *de verbis Apostoli* Pelagianos ita loquentes inducit: *Ipsi fecimus nos, id est, ut justi essemus, justos nos libera voluntate fecimus. Quando conditi sumus, liberum arbitrium accepimus. Ut ergo justi simus, libero id arbitrio agimus. Quid adhuc Deum invocamus, ut justos nos faciat, quod habemus in potestate, ut justos nos ipsi faciamus.*

Sed cum ad ejusmodi doctrinam exhorrescerent recte credentium aures, ut eos falleret Pelagius, & Catholicorum offensionem vitaret, liberum arbitrium cœpit apppellare gratiam, eo quod gratis a Deo, nulloque nostro præcedente merito, nobis in creatione concedatur. Quare cum eidem opponeretur, quod contra gratiam Dei disputaret; *Non*, *inquit*, ut rursus refert S. Augustinus eodem serm 40. *contra gratiam Dei disputo. Unde probas? Eo ipso, inquit, non contra gratiam Dei disputo, quod liberum arbitrium defendo. Vide acumen, sed vitreum.*

VI. Cum vero a Catholicis objurgaretur, quod nullam aliam, præter liberum arbitrium, gratiam agnosceret, gratiam aliquam fateri cœpit Pelagius; sed hanc non aliam esse, quam legem & doctrinam. Patet hoc ex ipsius propositione, quæ numero septima est inter eas, quas synodus Palæstina damnavit: *Gratiam Dei atque adjutorium non ad singulos actus donari, sed de libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina.* Legi & doctrinæ subinde addidit remissionem peccatorum, & remissioni peccatorum virtutes & exempla Christi: ut, quemadmodum Adam nobis obfuit exemplo malo, ita Christus prodesset exemplo bono; quod genus gratiæ re ipsa a lege ac doctrina neutiquam distingui probat S. Augustinus lib. *de gratia Christi.* cap. 41. ubi sic ait: *Sed hoc adjutorium legis atque doctrinæ* (dicit Pelagius) *etiam Propheticis fuisse temporibus; adjutorium autem gratiæ, quæ proprie gratia nuncupatur,*

tur, in Christi esse, arbitratus, exemplo, quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Evangelica prædicatur : ut videlicet tanquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via. Ubi insuper observandum est cum eodem S. Doctore lib. cit. cap. 3. & 4. Pelagium, ut virus suum magis tegeret, cum dicebat, nos sine Dei gratia nihil posse, admisisse gratiam possibilitatis, & quod possimus, a solo nos Deo habere; verum per possibilitatem hanc a Deo acceptam nihil re ipsa aliud, quam naturam intelligebat : *sed ideo* (ait S. Augustinus cit. cap. 6.) *ad hanc laudem adjunxit & Deum, quia nisi natura esset, in qua nos condidit, qua velle & agere possemus, nec vellemus, nec ageremus.* Et quamvis hanc gratiam possibilitatis diceret nedum datam a Deo, sed insuper gratiæ Dei auxilio semper adjuvari; attamen gratiæ illius & auxilii nomine nil nisi legem, doctrinam, revelationem, peccatorum veniam, ac Christi exemplum, eundem intellexisse, ostendit rursus Augustinus lib. eodem cap. 3. & 4. quemadmodum per possibilitatem, quæ a Deo est, nil nisi naturam intellexit.

VII. Sed cum gratiæ istiusmodi genus pure extrinsecum sit, totamque meriti causam in libero arbitrio reponat; ad confitendam tandem gratiam actualem internam, eamque supernaturalem, in sola tamen intellectus illuminatione sitam, qua nempe mens illustretur, sed ea non juvetur nec excitetur voluntas torpens & infirma, visus est accessisse Pelagius. Probant id propria ipsius verba, ab eodem Augustino relata cap. 7. *Adjuvat nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat.* Quanquam nonnulli velint, ex his Pelagii verbis minime certum fieri, eum admisisse gratiam, quæ esset interior, supernaturalisque

intellectus illustratio: potuit enim, inquiunt, ea intelligere de cognitione ac cogitatione naturaliter orta ex propositione legis, doctrinæ, exemplorumque Christi; quo non obstante ea cognitio dici potuisset esse donum Dei, quia promulgatio Evangelii nobis facta est ex speciali Dei providentia; quapropter & cogitationes inde naturaliter in nobis excitatæ potuissent appellari gratiæ, & Spiritus S. revelationes.

VIII. Sed quæcunque demum ea illuminationis gratia fuerit, non eam certe sine corruptela admisit Pelagius. Docebat namque necessariam non esse, sed solum utilem, & ad majorem dumtaxat operandi facilitatem. Ita refert S. Augustinus lib. de *hæresibus hæresi.* 88. ubi relatis Pelagii verbis, *ad hoc eam* (nempe gratiam) *dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Subdit S. Doctor: *Tolle* facilius, *& non solum plenus, verum etiam sanus est sensus. . . Cum autem facilius additur, adimpletio boni operis etiam sine Dei gratia posse fieri, tacita significatione suggeritur.*

IX. Asserebat præterea, gratiam hanc gratuitam non esse, sed humanis meritis retribui; & propterea homines non gratis, sed intuitu præcedentium meritorum fuisse ad gratiam prædestinatos. Hujus erroris testem habemus Pelagium ipsum, qui in Epist. ad Innocentium I. (quam expendit D. Augustinus lib. *de gratia Christi* cap. 31.) ita scribit: *Illi ideo judicandi, atque damnandi sunt, quia cum habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possunt, & Dei gratiam promereri, male utuntur libertate concessa. Hi vero remunerandi sunt, qui bene libero utentes arbitrio merentur Domini gratiam, & ejus mandata custodiunt.* Hanc fuisse Pelagianorum doctrinam, refert idem S. Augustinus lib. *de hæres.* cap. 88. nimirum, *gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, secundum merita nostra dari.* Merita autem illa, quibus homo gratiam Dei mereatur, tanquam justitiæ titulo sibi debitam, erant ex mente Pelagianorum bo

ni

ni cupiditas, fides, & oratio. Unde hæ ipforum voces apud S. August. Lib. *de gratia & Lib. arbitr.* cap. 14. Gratia, *etsi non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur; tamen secundum merita bonæ voluntatis datur: quia bona voluntas præcedit orantis, quam præcessit voluntas credentis, ut secundum hæc merita gratia sequatur exaudientis DEI.*

X. Is ergo fuit Pelagii in suo errore progressus. Initio quidem nullam omnino gratiam admisit, totum viribus naturæ, & libero arbitrio salutis negotium committens. Exinde cœpit liberum arbitrium appellare gratiam, quod gratis a DEO, nulloque nostro præcedente merito nobis in creatione concedatur. Ulterius novum gratiæ genus confessus est, nempe legem & doctrinam; cui addidit peccatorum remissionem, & exempla Christi. Denique & internam quamdam illuminationis, seu supernaturalis illustrationis gratiam fateri visus est; quam tamen ad solum facilius agere requirebat, neque gratuitam esse, sed humanis meritis deberi existimabat.

Atque hæc de Pelagianorum erroribus universim: nunc de iis speciatim, & paulo uberius differendum, ut sic clarius perspiciamus, qua potissimum in re Pelagii de gratia doctrina Catholico dogmati adversetur.

CAPUT II.

An Pelagius re ipsa gratiæ alicujus interioris necessitatem admiserit? Et de quo præcise gratiæ adjutorio controversia fuerit inter S. Augustinum, & Pelagianos?

I. UTrumque præsentis quæstionis caput permagni interest nosse: utrum videlicet omnem omnino interiorem gratiam respuerit Pelagius; an vero saltem illud interioris & supernaturalis gratiæ adjutorium admiserit, quod ad intellectum

 perti-

pertinet, quodvc propterea illuſtrationis & illuminationis gratiam appellamus. Deinde, quænam præciſe illa gratiæ ſpecies fuerit, de qua tam diuturna exarſit contentio Pelagianos inter & S. Auguſtinum, quamve S. hic Doctor hæreticos illos impugnans ex Eccleſiæ fide neceſſariam eſſe contendebat.

Cui quidem quæſtioni occaſionem potiſſimum dedit Janſenius, utpote qui Lib. 5. de *hær. Pelag.* c. 11. & 14. & alibi paſſim docet, eam gratiam, quam negabant Pelagiani, & Auguſtinus defendebat eſſe gratiam interiorem voluntatis & actionis, non qualemcunque, ſed talem, quæ virtute ſua invicta, indeclinabili, & inſuperabili, voluntatem ad agendum neceſſario applicat & determinat. Auguſtinum proinde Catholicorum partes ſuſtinentem, & Pelagianos inter controverſiam fuiſſe, non de admittendo adjutorio gratiæ, quocum maneret libertas arbitrii in utramque partem, id enim ultro admiſſum fuiſſe a Pelagianis; ſed de admittendo adjutorio dominante ac neceſſitante, ſeu tali, quod libertatem arbitrii tolleret, voluntatemque, ſecluſa omni propria illius determinatione, ad volendum & faciendum antecedenter & ineluctabiliter applicaret. Adjutorium iſtud, juxta Janſenium, prædicabat Auguſtinus, & ex Eccleſiæ ſenſu neceſſarium contendebat, certus libertatem arbitrii in utramque partem per Adami peccatum interiiſſe; contra vero reſpuebant Pelagiani, libertatem illam etiam in ſtatu naturæ lapſæ mordicus tuentes. Unde ſequitur, eos ex mente Janſenii ideo fuiſſe hæreticos, quod negarent ad omnes actus bonos neceſſitatem gratiæ natura ſua irreſiſtibilis, & inſuperabilis; ac proinde Theologorum opiniones de adjutorio gratiæ repudiabilis, adeoque compoſſibilis cum libertate arbitrii in utramque partem eſſe Pelagianorum reliquias; doctrinamque vere Catholicam, ab Auguſtino adverſus Pelagianos aſſertam, eſſe neceſſitatem gratiæ ad omnes actus bonos natura ſua efficacis & irreſiſtibilis.

Doctrina hæc totius Janſeniani ſyſtematis eſt baſis ac fundamen-

damentum, quod vel in ipso Tractatus hujus limine attingere nos adigit subjecta de Pelagiana gratiæ doctrina disputatio. Quo vero illius status dilucide aperiatur, neve, ut sæpe fit, de nomine magis, quam de re sit contentio, in binas assertiones quæstionem omnem tribuimus. Sit igitur

ASSERTIO PRIMA.

Adjutorium aliquod gratiæ interioris in intellectus illuminatione situæ admisisse videntur Pelagiani; quæ tamen juxta ipsos necessaria nequaquam foret ad ullum opus salutis seu inchoandum, seu perficiendum. Ipsam vero voluntatem & actionem aliquo indigere vel adjuvari auxilio, seu gratiam inspirationis constanter negarunt.

II. P*Robatur prima Assertionis Pars.* Pelagius ipse apud S. Augustinum Lib. de *Gratia Christi* c. 7. *Quam gratiam*, inquit, *non, ut tu putas, in lege tantummodo, sed & in DEI adjutorio confitemur:* cujus deinde gratiæ indolem apertius explicat, cum dicit, *DEum cordis nostri oculos aperire, futura demonstrare, pandere diaboli insidias, multiformi & ineffabili dono gratiæ nos illuminare.* Quapropter & orationes necessarias esse dicit, *ut nobis doctrina etiam Divina revelatione aperiatur*, quæ sunt rursus ipsius verba apud eundem S. Aug. Lib. cit. c. 41. Ad hæc cap. 23. ejusdem Lib. gratiam Christi, quam merito nostræ libertatis obtineri volebat, in eo statuit, ut *cor nostrum, quo voluerit DEus ipse declinet.* Hoc autem fit interiore mentis commotione; non sola lege, externaque significatione, quæ jam antecesserit oportet, ut meritum illud, quo tantam gratiam assequimur, a nobis impetretur: *quo nos DEO totos tradimus, ac voluntatem nostram ex ejus voluntate suspendimus, eique adhærendo jugiter unus cum illo efficimur spiritus.* Itaque gratia illa est aliquid ab

ab externa prædicatione, ac lege distinctum, & declinatio illa cordis in intimo divinæ illustrationis illapsu, ac mentis excitatione versatur. Hanc igitur gratiam cum asserit Pelagius, adjutorium utique admittit gratiæ interioris in mentis excitatione ac illustratione situm, externæque legi, doctrinæ, ac prædicationi superadditum.

Quamvis autem adjutorium ejusmodi gratiæ admiserint Pelagiani, illius tamen necessitatem seu ad inchoandum, seu ad perficiendum opus aliquod salutare constanter negarunt. Testem rei hujus habemus ipsum S. Augustinum, qui in Epist. 178. alias 94. ad Hilarium, quæ scripta est paulo post Synodum Milevitanam, sic de Pelagiana hæresi loquitur: *Nova quædam hæresis inimica gratiæ Christi contra Ecclesiam Christi conatur exsurgere . . . . hominum scilicet, qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere potestatis, ut hoc solum ad DEI gratiam pertinere contendant, quod cum libero arbitrio, & non peccandi possibilitate creati sumus, & DEI mandata servanda nobis & implenda accepimus. Cæterum ad eadem mandata servanda & implenda nullo divino adjutorio nos egere.* Ergo, Judice Augustino, nullam agnoverunt Pelagiani gratiam ad implenda præcepta necessariam, præter liberum arbitrium, naturalemque possibilitatem. Atque hanc constantem fuisse Pelagianorum sententiam, constat præsertim ex Libro *de hæresibus hæresi* 88. quem Augustinus scripsit debellato jam Pelagianismo. Ubi de Pelagianis sic loquitur: *sine gratia DEI posse hominem, credunt, facere omnia divina mandata.* Declarat deinde, nunquam adduci potuisse Pelagium ad confitendum, gratiam esse necessariam, & dari hominibus, nisi ut *facilius possint implere per gratiam, quæ facere per liberum jubentur arbitrium . . . Illam vero gratiam, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt, nisi in libero arbitrio;* liberum autem arbitrium gratiam vocabant, *quia nullis præcedentibus meritis id a DEO accepit natura nostra.* Itaque gratiæ

tiæ omnis interioris neceſſitatem ad opus quodcunque ſalutatare ſeu inchoandum ſeu perficiendum negarunt conſtanter Pelagiani, teſte S. Auguſtino: ſi enim aliquando errorem hunc depoſuiſſent, aut emolliiſſent, procul dubio neque illud ignoraſſet, neque diſſimulaſſet Auguſtinus in ea expoſitione hæreſis Pelagianæ, quam ſcripſit extincto jam Pelagianiſmo.

III. *Probatur & altera Aſſert. pars*, videlicet Pelagium nullum unquam admiſiſſe auxilium, quo voluntas & actio juvaretur. Teſtimonium rei hujus luculentiſſimum rurſus habemus in D. Auguſtino, qui Lib. *de Gratia Chriſti* Cap. 34. aperte declarat, ſe legiſſe omnes libros, & ſcripta Pelagii, præter unam Epiſtolam brevem, neque ſe ullibi reperiſſe, Pelagium confiteri eam gratiam, *qua non ſolum poſſibilitas naturalis voluntatis & actionis . . . ſed ipſa etiam voluntas & actio ſubminiſtratione S. Spiritus adjuvatur.* Et cum Pelagius quereretur, de *negatione gratiæ inique infamari*, quam ajebat, *ſe confiteri integre & perfecte* in ſuis quatuor libris de *libero arbitrio*; reſpondet Auguſtinus Cap. 41. ſe legiſſe hos libros, & in iis Pelagium non diſcedere a verborum ambiguitate, quam diſcipulis ſuis ſic poſſit exponere, ut nullum auxilium gratiæ credant, qua naturæ poſſibilitas adjuvetur, niſi in lege, atque doctrina: neque recedere omnino Pelagium a ſuo manifeſtiſſimo dogmate, quo *nec voluntatem noſtram, nec actionem divino credit adjuvari auxilio, ſed ſolam poſſibilitatem voluntatis atque operis. Quod proinde auxilium non adjuvat, ut velimus; non adjuvat, ut agamus; ſed tantummodo adjuvat, ut velle & agere valeamus.*

Id ipſum teſtatur Auguſtinus lib. eodem Cap. 30. de Cœleſtio præcipuo Pelagii diſcipulo, ſe ejus quoque opera omnia percurriſſe, neque in iis inveniſſe aliud, quam eum Dei gratiam, qua juvamur ad faciendum bonum, vel ad declinandum a malo, ponere in naturali voluntatis arbitrio, cui adveniat lex & doctrina; atque adeo non aliam, præter naturale arbi-

trium, gratiam interiorem confiteri, nisi ad summum illustrationem, qua homini divinitus innotescit bonum agendum; nusquam vero confiteri internam inspirationem, qua homini suppeditentur vires ad faciendum id, quod norit esse faciendum: imo expresse asserere, orationem ad hoc tantum necessariam esse, ut homo per eam impetret illustrationis gratiam, quacum liberi arbitrii vires sufficiunt ad concupiscendum & diligendum, quod in ordine ad salutem concupiscere & diligere oportet.

Idem omnino Pelagianos cæteros constanter sensisse, patet ex eodem S. Augustino Lib. de *Hæres. hæresi* 88. ubi de illis affirmat, adeo inimicos esse gratiæ inspirationis, ut non vereantur asserere, hominem sine illa omnia mandata divina implere posse: *Hi Dei gratiæ, qua diffunditur charitas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur, in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata.* Ex quibus omnibus concludere licet cum S. Doctore, Pelagium, ejusque sectatores admittere quidem gratiam illustrationis sed gratiam inspirationis rejicere: *Ac per hoc*, inquit ille, *divinitus nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur; Charitatem autem dari negant, qua pie vivitur.* Confitentur nimirum, Deum interna mentis illustratione ostendere nobis quid facere, quid omittere debeamus: at negant, Deum ulterius, & interius voluntatem hominis ad pie vivendum adjuvare, eique vires tribuere ad faciendum id, quod faciendum esse cognovit per internam illustrationem.

Respondetur ad Objecta.

IV. OBjic. 1. Pelagius aliquando admisit adjutorium possibilitatis, solumque negavit adjutorium voluntatis & actionis. Ergo confessus est gratiam, quæ daret posse. Eo ipso autem confessus est veram necessitatem alicujus gratiæ interioris: nam vere necessariam esse oportet gratiam illam, quæ

quæ dat posse agere ; alioquin posset homo agere sine gratia, quæ dat posse, quod contradictionem involvit. Ergo si Pelagius agnovit gratiam, quæ daret posse, agnovit etiam necessitatem alicujus gratiæ ad bene & salutariter operandum, & quidem gratiæ interioris : gratia namque, quæ dat posse, supponit facultatem agendi interius impotentem, & ut dicimus, incompletam; eam proinde interius afficit & complet, atque adeò est gratia interior. Igitur si Pelagius tandem agnovit gratiam, quæ daret posse, agnovit tandem necessitatem gratiæ alicujus interioris.

Resp. Dist. ant. Pelagius aliquando admisit adjutorium possibilitatis, id est, agnovit datam a Deo homini libertatem, per quam homo posset bene agere, & quæ hoc sensu esset adjutorium possibilitatis, & præterea agnovit libertatem illam adjuvari per legem & doctrinam &c : *Conc. ant.* Agnovit adjutorium ejusmodi distinctum a libero arbitrio, & a lege, doctrinaque Christi, quod quidem adjutorium daret potestatem agendi bene ac salutariter, & non tantum potestatem a natura inditam adjuvaret, *Neg. ant.* & quæ inde deducta est *consèq.* Possibilitas boni, seu adjutorium possibilitatis, quod ajebat Pelagius homini datum esse, nihil est præter facultatem volendi indifferentem ad bonum & ad malum, & utriusque pariter capacem ; quæ cum data sit homini absque ipsius præcedentibus meritis, a Pelagio appellabatur gratia ; & quia per illam homo capax esset bene agendi, eadem a Pelagio dicebatur possibilitas boni. Deinde hæc ipsa possibilitas boni in ipsius sententia adjuvatur per legem & doctrinam, aut etiam per internam mentis illustrationem; quæ proinde in hoc sensu, & non alio, erat adjutorium possibilitatis. Sed nunquam dixit Pelagius, homini ad bene operandum necessarium esse, vel dari a Deo adjutorium distinctum a libero arbitrio, quod daret, non supponeret tantum ipsam bene agendi potestatem ; per quod homo posset bene agere, & sine quo simpliciter non posset. Proinde ex eo, quod admiserit in libero

hominis arbitrio possibilitatem boni, & hanc adjuvari dixerit ad facilius agendum a lege & doctrina Christi, aut etiam ab interna mentis illustratione, non probatur, eum gratiæ hujus necessitatem, seu ad inchoandum, seu ad perficiendum bonum aliquod salutare, aliquando agnovisse; multo autem minus, eum confessum unquam esse alterius gratiæ necessitatem, quæ ita daret posse, ut etiam voluntatem de se insufficientem elevaret, redderetque capacem bene ac salutariter operandi. Ergo, etsi Pelagius adjutorium, quod appellat possibilitatis admiserit, non sequitur, eum gratiæ alicujus interioris necessitatem admisisse.

V. *Inst.* Pelagius fatebatur, teste S. Augustino Lib. de *Gratia Christi* Cap. 5. Deum nos adjuvare, *ut velle*, & *agere valeamus*; negabatque tantum, Deum nos adjuvare, *ut velimus*, & *agamus*. Ergo solam negavit gratiam, quæ daret ipsam actionem; illam autem tandem agnovit, quæ daret potestatem agendi, quæve proinde eo ipso necessaria foret.

Resp. Neg. cons. Nam S. Augustinus eo loco declarat, quid esset in sensu Pelagii, Deum nos adjuvare, *ut velle*, & *agere valeamus*: videlicet nil aliud esse, quam Deum possibilitatem in natura positam, *gratiæ suæ auxilio adjuvare.* Quærit autem Augustinus, cujusmodi sit illud gratiæ auxilium? Et quoniam Pelagius id non declarat, ita prosequitur S. Doctor: *non est hic apertum, vel, quam dicat gratiam, vel, quatenus ea sentiat naturam adjuvari: Sed sicut aliis locis, in quibus evidentius loquitur, intelligi potest, non vult aliud accipi, quam legem atque doctrinam, qua naturalis possibilitas adjuvatur.* Ergo gratia illa, cujus necessitatem agnoscebat Pelagius, Judice S. Augustino, non erat, nisi externum quoddam potentiæ complementum; ut lux oculis sanis necessaria est ad videndum, qua similitudine ipse utebatur Pelagius. Ergo Pelagianum illum auxilium possibilitatis non dabat ipsum posse, sed supponebat potentiam interius jam completam.

VI.

VI. *Objic.* 2do. Dato, Pelagianos negasse gratiæ interioris necessitatem, ultro tamen confessi sunt gratiam non solum intellectus, sed & voluntatis, quæ majorem salutariter operandi facilitatem præberet. Ergo id saltem non valet, quod secundo loco asseruimus, videlicet ipsam voluntatem & actionem aliquo indigere vel adjuvari auxilio, seu gratiam inspirationis constanter negasse Pelagianos.

Prob. ant. S. Augustinus Lib. de Grat. Chr. c. 29. refert hæc Pelagii verba: *Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius implere possint per gratiam.* Et subdit: *Tolle facilius, & non solum plenus, verum etiam sanus est sensus, si ita dicatur, ut quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam.* Quibus verbis aperte significat S. Doctor, Pelagium in eo tunc tantum errasse, quod vellet veram & internam gratiam necessariam non esse, nisi ad facilius implenda mandata divina; recte autem sensisse circa existentiam & naturam gratiæ, proinde non intellectus modo, sed & voluntatis gratiam agnovisse.

Resp. Neg. ant. S. Augustinus cum ait: *Tolle facilius* &c. non aliud voluisse videtur, quam propositionem hanc, *ut quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam*, catholicam esse in sensu obvio, quidquid tandem nomine gratiæ intelligat Pelagius, quod hoc loco non expendit Augustinus; cum hic refutare intendat unum hunc ex Pelagii erroribus, nempe, quod gratia non requiratur, nisi ad operandum facilius. Vel ad summum supposuit Augustinus, Pelagium ibi per gratiam intellexisse internam illustrationem: quo supposito, rursus, etiam in ore Pelagii catholica est illa propositio, *ut quod per liberum facere* &c. Tunc enim solum dicitur, internam & supernaturalem illustrationem esse absolute necessariam ad implenda mandata divina, quod utique verum, & catholicum est. Porro ratio mentem S. Doctoris ita interpretandi est, quod Cap. sequenti aperte de cla-

claret, se nusquam in Pelagii scriptis invenisse, ut superius indicavimus, eum veram Christi gratiam, quomodo confitenda est, confiteri; eo quod nusquam invenerit, eum aliam, præter naturale voluntatis arbitrium, gratiam agnoscere, quam legem & doctrinam. Et cap. 31. expendens libellum, quem Romam miserat Pelagius ad Innocentium Pontif. & in quo profitebatur, *ad peccandum, & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos, quod in omnibus bonis operibus divino semper adjuvatur auxilio*; observat, postrema hæc Pelagii verba ambigua esse, eumque posse, *sicut solet, velle, intelligi legem atque doctrinam* per divinum illud auxilium, quo dicebat, nos in omnibus bonis operibus adjuvari. Itaque S. Doctor; cum ait, *Tolle facilius, & non solum &c.* minime significat; Pelagium circa existentiam & naturam gratiæ recte sensisse, atque adeo non intellectus modo, sed & voluntatis atque actionis gratiam aliquando confessum esse.

VII. *Inst.* Ex aliis Pelagii verbis haud obscure deduci, eum gratiam agnovisse, quæ in quadam voluntatis excitatione ac motione posita foret. Ita namque refert S. Augustinus Lib. de Grat. Chr. cap. 10. *Operatur*, inquit *Pelagius*, *in nobis velle, quod bonum est, quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione Sapientiæ in desiderium DEI stupentem suscitat voluntatem, dum nobis .... suadet omne, quod bonum est.* Quæ verba Pelagii satis aperte exprimunt non solum gratiam intellectus, sed & gratiam voluntatis.

Resp. Pelagium hoc loco non aliam gratiam prædicare, quam gratiam legis atque doctrinæ, & gratiam intellectus, quæ ad legem & doctrinam pertinet; cum interna illuminatio præcise doceat, quod etiam faciunt lex & doctrina exterius propositæ. Si namque Pelagius hic intellexisset etiam gratiam vo-

voluntatis, eam certe expressisset verbis illis, cum ait, DEum in desiderium sui *stupentem suscitare voluntatem*. At enim ait tantum, Deum id in nobis facere *revelatione Sapientiæ;* sicut tantum dicit, Deum operari in nobis *velle*, *quod bonum est* &c. prœmiorum & futuræ gloriæ magnitudinem nobis proponendo, quod pertinet ad solam gratiam intellectus, neque sufficienter gratiam voluntatis significat. Hæc sane est ipsius Augustini responsio cap. cit. ubi, postquam Pelagii verba retulisset, ita prosequitur: *Quid manifestius, nihil eum aliud dicere gratiam, qua DEus in nobis operatur velle, quod bonum est, quam legem atque doctrinam? In lege namque & doctrina sanctarum Scripturarum futuræ gloriæ, atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam, quod sapientia revelatur. Ad doctrinam pertinet, cum suadetur omne, quod bonum est.*

VIII. *Objic.* 3tio. Quamvis Pelagius atque Cœlestius constanter negaverint gratiam voluntatis & actionis; at eam saltem agnovit Julianus, & alii posteriores Pelagiani, in eo tantum errantes, quod dicerent, gratiam secundum merita dari, nec esse necessariam ad incipiendum, sed duntaxat ad perficiendum virtutum opus. Quod rursus probatur ex S. Augustino Lib. *de Grat. & Lib. arb.* cap. 14. *Cum ergo in his convicti fuerint* (scilicet neque naturam, neque legem, neque remissionem peccatorum esse veram gratiam) *ad hoc se convertunt, ut quocunque modo conentur ostendere, gratiam DEI secundum merita nostra dari.* Et Lib. 4. contra Julianum c. 3. n. 15. significat Augustinus, Julianum confessum esse, hominem *adjuvari ad capessendam perfectionem*, & solum per se incipere sine gratia, quod perficit gratia. Unde posteriores Pelagiani per os ejusdem Juliani in Epistola Romam transmissa profitentur, *hominem in bono opere a DEI gratia semper adjuvari.* Ergo Julianus, & posteriores Pelagii discipuli tandem agnovere veram Christi gratiam, non solum in mentis illustratione,

tione, sed & in voluntatis motione positam, qua DEus voluntatem hominis adjuvat, atque corroborat ad bonum opus faciendum; licet erraverint in eo, quod contenderint gratuitam illam non esse, & quod in Semipelagianismum declinantes, arbitrati sint, initium perfectionis seu justitiæ a nobis esse, perfectionem vero boni operis a gratia.

Resp. Neg. assertum. Ad *prob.* ex S. Augustino petitam dico, verborum illorum non alium sensum esse, quam hunc: Cum convicti fuerint Pelagiani, præter liberum arbitrium, remissionem peccatorum, & gratiam externam legis, doctrinæ, & exemplorum Christi, aliam internam & supernaturalem gratiam confitendam esse; ad hoc se converterunt, ut conarentur ostendere, eam secundum merita nostra dari. Cum enim nihil haberent respondendum argumentis Catholicorum, ab uno errore ad alterum impugnandum progressi sunt, ut mos est hæreticis, qui ex una parte nimium pressi in aliam se conjiciunt. Non ergo aliud dicit eo loco S. Doctor, quam Pelagianos argumentorum pondere aliquando coactos esse ad confitendam interiorem gratiam, & re ipsa confessos, sed non aliam, quam gratiam intellectus, seu internam & supernaturalem illustrationem; & hanc quoque cum duplici corruptela, quod nempe assererent, eam dari secundum merita nostra, neque necessariam esse ad incipiendum, sed ad perficiendum duntaxat virtutum opus. Gratiam vero voluntatis, & actionis eos aliquando agnovisse, minime probant citata Augustini verba. Quin potius contrarium ostenditur ex toto eo libro, quem scripsit de *Grat. & lib. arbit.* & præsertim ex cap. 11. ubi sic ait. *Quid est ergo, quod vanissimi homines, & perversissimi Pelagiani legem dicunt esse gratiam, qua juvamur ad non peccandum?* Certe si tunc, cum liber ille scribebatur, Catholicorum argumentis convicti, interiorem non solum intellectus, sed etiam voluntatis gratiam confessi fuissent, quid necesse erat, eo in libro tot capitibus ostende-

re,

re, gratiam illam, quæ per JEſum Chriſtum nobis datur, neque in libertate arbitrii, neque in lege & doctrina, neque in remiſſione peccatorum conſiſtere? Non ergo tunc errorem ſuum de exiſtentia & natura gratiæ depoſuerunt Pelagiani, niſi quod ſolam interiorem illuminationis gratiam, & hanc cum duplici illa, quam diximus, corruptela admiſerint.

Juliani, & poſteriorum Pelagianorum confeſſionem, qua hominem a Dei gratia in omni opere bono adjuvari dicebant, quod attinet, ea plus roboris & energiæ non habet ad exprimendam gratiam voluntatis & actionis, quam verba illa Pelagii ſuperius memorata: *Operatur in nobis velle, quod bonum eſt... dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem.* Atqui verbis iſtis non aliam, quam legis atque doctrinæ, & intellectus gratiam ſenſu Pelagii ſignificari affirmat & probat S. Auguſtinus, ut ibidem oſtendimus. Eodem igitur modo ac ſenſu Juliani, & cæterorum Pelagianorum verba interpretanda & exponenda ſunt. Præſertim cum idem S. Doctor Lib. *de hæres.* quem paulo ante obitum, & operum ſuorum fere poſtremum ſcripſit, ut ipſemet teſtatur in epiſtola huic libro præfixa, num 88. clare diſtinguat gratiam illuminationis a gratia inſpirationis; & a Pelagianis primam admitti, ſecundam vero rejici, expreſſe affirmet: *Divinitus*, inquit, *dari nobis ſcientiam confitentur, qua ignorantia pellitur* (en gratia illuſtrationis!) *charitatem autem dari negant, qua pie vivitur* (en gratia inſpirationis!) *ut ſcilicet cum ſit Dei donum ſcientia, quæ ſine charitate inflat, non ſit Dei donum ipſa charitas, quæ ut ſcientia non inflet, ædificat.*

Denique eam gratiam rejiciebant Pelagiani, de qua cum Auguſtino diſputabant, quamve ab ipſis S. Doctor ex publica Eccleſiæ fide exigebat: de gratia autem voluntatis & actionis potiſſima erat Pelagianos inter, & Auguſtinum contentio; hanc ille ab iis ex Eccleſiæ fide requirebat, ut ipſe centies teſtatur Lib. de *Grat. Chriſti*, & ex mox dicendis amplius patebit. Sit igitur E AS-

ASSERTIO SECUNDA

Pelagianos inter, & Augustinum Ecclesiæ partes tuentem controversia non fuit de adjutorio gratiæ necessitantis; sed de interno adjutorio ex parte voluntatis, nempe de gratia inspirationis, quæ voluntatem afficiat, præveniat, excitet, & adjuvet ad salutariter operandum, salva libertate arbitrii in utramque partem.

IX. PRob. Concilia, & Augustinus gratiam, cujus confessionem exigebant a Pelagianis, non distinguunt, neque opponunt interiori gratiæ adjutorio de se repudiabili, supponenti & relinquenti integram arbitrii libertatem, & activam, ut dicimus, indifferentiam ad utramque contradictionis partem; sed eam solum distinguunt a lege atque doctrina, sive exterius, sive interius proposita. Ergo controversia Pelagianos inter atque Catholicos in eo tantum fuit, quod illi præter legem, doctrinam, exempla Christi, & internam mentis illustrationem, nullam aliam gratiam confiterentur; hi vero aliam insuper exigerent, quæ nempe ipsam etiam volendi potestatem intime afficeret, eamque de se impotentem adjuvaret ad libere, & ex propria determinatione volendum, & agendum bonum salutare. Proinde figmentum est Jansenii, Pelagium ideo a Catholicis reprehensum fuisse, quod internum ex parte voluntatis adjutorium de se repudiabile, arbitrii libertati consentaneum admitteret, & respueret dominans & irresistibiliter flectens, atque ad agendum applicans voluntatem.

Prob. antec. Et primum quidem ex Conciliis Pelagianorum causa celebratis. Omnium loco unum sit Concil. Milevitanum, quod Can. 4. sic pronunciat. *Quisquis dixerit, gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc nos tantum adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid* ap-

appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. Quibus verbis, ut manifeste patet, damnantur Pelagiani ideo præcise, quod solam gratiam intellectus admiserint, per quam videlicet nobis ostenditur, *quid appetere, quid vitare debeamus;* negaverint autem gratiam voluntatis, per quam præstatur, *ut quod faciendum cognovimus, etiam facere valeamus:* non vero damnati sunt, quod ejusmodi gratiam voluntatis reposuerint in adjutorio, cui voluntas pro arbitrio consentire, vel non consentire possit. Neque enim ex eo, quod Synodus a Pelagianis postulet, ut confiteantur adjutorium voluntatis, postulat ab illis, ut confiteantur adjutorium antecedenter, & irresistibiliter flectens atque determinans. Quasi vero omne adjutorium voluntatis & actionis debeat esse necessitans, & antecedenter ac irresistibiliter flectens; & adjutorium natura sua repudiabile, & non ita irresistibiliter flectens non possit esse adjutorium voluntatis, & actionis. Gratia igitur illa, cujus confessionem Synodus a Pelagianis requirit, & per quam nobis præstatur, ut diligamus, & valeamus facere, est gratia voluntatis, quæ inclinando & delectando, præstat in nobis, ut diligamus facere; & vires ad faciendum subministrando, ac contra rebellem concupiscentiam nos roborando, præstat, ut facere valeamus.

Prob. idem *anteced.* ex S. Augustino. *Nos*, ajebat S. Doctor Lib. de Grat. Chr. Cap. 10. *volumus eam gratiam iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur; nec solum revelatur sapientia, verum & amatur; non solum suadetur omne, quod bonum est, verum & persuadetur . . . . Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus.* Et Cap. 13. *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius & interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant & ri-*

& rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultus; ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem. Rursus Cap. 24. *Legant ergo & intelligant* (Pelagiani) *intueantur, atque fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna & occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates.*

Quibus locis sat clare ostenditur, de quo gratiæ adjutorio quæstio fuerit Augustinum inter & Pelagianos: scilicet non de gratia antecedenter ac irresistibiliter flectente & necessitante ad volendum & agendum; sed de gratia, qua non solum promittitur futuræ gloriæ magnitudo, sed etiam creditur, & speratur; qua non solum mens illuminatur, & voluntati bonum proponitur; sed etiam ipsa voluntas intime bono sibi proposito delectatur, atque ad illud amplectendum allicitur, & adjuvatur, salva tamen libertate arbitrii in utramque partem. Primam illam gratiam admittebat Pelagius, secundam vero pertinaciter respuebat; utramque ut confiteretur, ab eo, & ab ejus Sectatoribus postulabant Catholici cum Augustino.

X. Porro gratiam hanc Pelagiani isto falso & erroneo judicio præoccupati rejiciebant, quod putarent, per illam fatalem quamdam induci necessitatem, ac liberum hominis arbitrium penitus subverti. Neque enim conciliari posse existimabant integram libertatem cum necessitate gratiæ prævenientis, & adjuvantis hominem ad quemcunque actum salutarem. *Si alterius ope indigeo,* inquit Pelagius apud S. Hieronymum Epist. ad Ctesiphontem, *libertas abitrii in me destruetur.* Hinc S. Augustinus Lib. *de gestis Pelagii* c. ult. *in hoc tota hæresis ista consistit, quod non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei; quoniam propriam voluntatem habeat unusquisque aut facere aliquid, aut non facere. Quod victoria nostra non sit ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio.* Propterea etiam calumniabantur S. Augustinum, quod doctrina sua libertatem everteret, & fatum in-
du-

duceret. *Nos*, ait S. Doctor Lib. 2. ad Bonifac. c. 5. *assertores fati esse criminantur, quia non dicimus, gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Putabant nempe Pelagiani, id fato fieri, quod merito non fit. Verum hanc Pelagianorum criminationem frequenter ac solide refellit Augustinus, probans, per gratiam Dei, quam ex Ecclesiæ sensu a Pelagianis exigebat, libertatem nostram minime destrui, quin potius confirmari ac stabiliri. Ita namque ait Lib. de *Spir. & Lit.* cap. 30. *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? absit; sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed stabilitur . . . quia nempe gratia sanat voluntatem, qua justitia libere diligatur.* Et cap. seq. Calvini & Jansenii errorem præoccupans, *cum potestas datur*, ait (potestas, quæ per gratiam confertur) *non necessitas utique imponitur.* Non negat quidem S. Doctor, difficile esse, conciliare libertatem cum necessitate gratiæ; attamen utramque simul consistere profitetur. *Si tibi*, inquit Lib 2. contra Petilianum c. 84. *proponam quæstionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis, quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum est; sed intellectu hoc percipere pauci valent.*

Ex quibus manifestum omnino fit, ex mente D. Augustini, illæsam & integram semper remanere hominis libertatem, eidemque per gratiam divinam præstari, ut possit, non vero etiam ut debeat bonum operari: controversiam proinde Augustinum inter, & Pelagianos neutiquam fuisse de adjutorio gratiæ necessitantis, qualem ille nunquam admisit; sed de adjutorio gratiæ mentem illustrantis, & simul voluntatem interna motione afficientis, roborantis & adjuvantis ad volendum, & salutariter operandum, qualem Pelagiani confiteri constanter respuerunt.

Respondetur ad Objecta.

XI. *OBjic. 1mo.* Per adjutorium possibilitatis, quod admittebat Pelagius, nihil ille aliud intellexit, quam gratiam dantem posse, sed resistibiliter, id est, ita, ut libera relinquatur hominis voluntas ad volendum aut non volendum, agendum vel non agendum: per adjutorium autem voluntatis & actionis, quod ille constanter negabat, intellexit gratiam natura sua irresistibilem & irrepudiabilem, quæ nempe voluntati dominetur, eamque libertate sua spoliet. Ergo Pelagium inter & Augustinum contentio fuit de adjutorio gratiæ necessitantis, quod scilicet Augustinus exigebat, & confiteri Pelagius constanter renuebat.

Resp. Neg. antec. Adjutorium namque possibilitatis in sensu Pelagii nihil erat aliud, quam gratia legis & doctrinæ, sub qua comprehendebantur internæ illustrationes. Adjutorium vero voluntatis & actionis, tam ex ipsius, quam ex Augustini sensu, erat interior inspirationis gratia, qua volendi facultas excitatur, & inclinatur ad volendum bonum, atque ad illud agendum roboratur. Hujus gratiæ necessitatem defendebant Catholici cum Augustino, negabant vero Pelagiani, perperam existimantes, arbitrium non fore liberum, si ejusmodi adjutorio indigeat ad bene operandum, quod in nostra non sit potestate.

XII. *Inst.* Augustinus Lib. *de Gr. Chr.* Cap. 10. Satis non habet, Pelagium confiteri gratiam, *qua suadetur bonum*, . . . *Nos*, inquit, *eam gratiam volumus isti aliquando fateantur, qua non suadetur solum omne, quod bonum est, verum & persuadetur.* Unde sic argumentari licet: Gratia, qua suadetur bonum, est gratia sufficiens, & versatilis, seu de se indifferens ad effectum: gratia, qua persuadetur bonum, est gratia natura sua efficax & irresistibilis; si enim ei resisteretur, non esset id, quod est, nempe gratia, qua persuadetur bonum. Atqui S. Augustinus id unum postulat a Pelagianis, ut confiteantur gra-

gratiam, qua persuadetur bonum. Ergo id unum postulat, ut confiteantur gratiam efficacem suapte natura, & irresistibilem.

Resp. 1mo. *Neg.* primum membrum *majoris propositionis.* Etenim in Pelagianorum sensu gratia, qua suadetur omne bonum, non alia erat, quam gratia legis & doctrinæ, seu exterius, seu interius per mentis illustrationes propositæ, supponens potestatem bene ac salutariter agendi, eamque duntaxat adjuvans ad facilius agendum. Ergo gratia, qua suadetur bonum sensu Pelagiano, non est illa gratia tum intellectus tum voluntatis, quæ sufficiens dicitur, & est resistibilis, quamque hæretici perperam versatilem appellant.

Resp. 2do. *Neg.* etiam alterum membrum *maj.* Nam. per ipsam quoque gratiam sufficientem persuadetur bonum. Quod si non persuadeatur, id evenit, quia obsistit voluntas, non quia ipsa gratia non est idonea ad persvadendum. Deinde, nihil est, cur gratia, qua persuadetur bonum, dicatur natura sua efficax & irresistibilis: potest namque ipsi liberum arbitrium resistere ac dissentire, quamvis re ipsa nunquam dissentiat, eo quod a Deo gratia illa in ejusmodi circumstantiis conferatur, in quibus voluntas eidem consensura prævidetur.

Resp. 3tio. S. Augustinus plerumque exigit confessionem gratiæ, qua persuadetur bonum, seu gratiæ, quæ dat velle & agere: quia assertum S. Doctoris erat, nullum ab homine fieri opus bonum, nisi præveniente & adjuvante gratia. Ergo ea potissimum commemoranda erat gratia, per quam fit bonum; non vero ea, quæ effectu suo privatur. Sed inde non sequitur, S. Augustinum postulasse a Pelagio confessionem gratiæ natura sua irresistibilis & efficacis. Exigebat quidem S. Doctor gratiam efficacem, sed non dominantem & necessitantem. Postulabat a Pelagio, ut confiteretur gratiam efficacem, qualem ipse admittebat, quæ nimirum ita persuaderet voluntati bonum, ut eidem relinqueret facultatem consentiendi, vel

non

non consentiendi pro arbitrio, juxta illud Lib. *de spir. & lit.* c. 34. *Misericordia ejus prævenit nos*, per vocationem nimirum efficacem: *consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Postulabat denique Augustinus a Pelagio, ut confiteretur gratiam non solum intellectus, sed & voluntatis, congrue excitantem, roborantem, & adjuvantem ipsam voluntatem, ut re ipsa velit, & agat.

XIII. *Objic. 2do.* Adjutorium gratiæ nobis bonum persuadentis, cujus confessionem Augustinus a Pelagio exigebat, est gratia illa, quæ operatur in nobis velle, & perficere. Sed gratia relinquens voluntati potestatem volendi vel non volendi, agendi vel non agendi, non operatur in nobis velle & perficere. Ergo. *Prob. min.* Si voluntas cum tali adjutorio re ipsa velit & agat, tunc velle & agere attribui debet soli voluntati, utpote se ipsam determinanti ad volendum & agendum. Ergo tunc adjutorium illud non operabitur velle & agere, sed sola voluntas. *Prob. Antec.* Voluntas cum tali adjutorio volens & agens sibi ipsi daret velle & agere, non vero ab illo adjutorio acciperet. Ergo velle & agere attribui deberet soli voluntati.

Resp. Conc. maj. Neg. min. Talis namque gratia, cum re ipsa volumus & perficimus, vere operatur in nobis velle & perficere, excitando, inclinando, vires subministrando, & his omnibus modis adjuvando ad volendum & perficiendum. *Ad prob. min. Neg. antec.* Nam tunc voluntas non se determinat ad volendum & agendum, nec vult & agit, nisi prout ab illo adjutorio excitata, inclinata, atque adjuta. Unde tunc determinatio voluntatis ad volendum & agendum, ipsumque velle & agere non solum voluntati, sed & adjutorio, imo huic magis, quam illi attribui debet. Hinc ad ultimam *Prob. Neg. secundum membrum anteced.* Voluntas namque cum tali adjutorio volens & agens sibi dat velle & agere, simulque illud ab adjutorio gratiæ accipit. Sibi dat velle & agere, quia vult & agit ex propria determinatione, sive, quod idem est, quia

vult

vult & agit fine antecedenti & irrefiftibili ad volendum & agendum applicatione. Sed fimul illud velle & agere, quod fibi dat, ab adjutorio illo accipit, quatenus ex propria determinatione vult & agit dependenter ab eo, ut natura prius excitante, inclinante, delectante, & roborante, atque fic multis modis adjuvante ad volendum & agendum ex propria determinatione. Determinatio itaque hæc non eft a fola voluntate, fed a voluntate & a gratia, tanquam a duabus caufis ad eundem effectum concurrentibus, quarum una, nempe voluntas, alteri, nempe gratiæ fubordinatur; & quarum proinde una, nimirum voluntas caufæ fecundæ, altera vero, videlicet gratia caufæ primæ rationem habet refpectu determinationis.

XIV. *Objic. 3tio.* Pelagiani calumniabantur S. Auguftinum tanquam Manichæum, & libertatis everforem, affertoremque fati. Atqui tam injuftæ criminationis alia non potuit effe caufa, quam quod affereret Auguftinus & concupifcentiam effe per fe malam, quæ peccandi neceffitatem inducat, & gratiam effe natura fua efficacem ac irrefiftibilem; quod utrumque, cum Auguftinus ad plenam fidei confeffionem admitti exigeret, detrectabant Pelagiani; quia fic arbitrabantur tolli liberum arbitrium, fatum induci, Manichæifmum revocari. Neque enim adeo cœcutiebant, ut non viderent, nullam imponi neceffitatem feu boni, feu mali, fi talis effet tum concupifcentia, tum gratia, ut motioni utriusque voluntas pro nutu poffet vel confentire, vel diffentire. Ergo exigebatur a Pelagianis confeffio tum concupifcentiæ ad malum, tum gratiæ ad bonum irrefiftibiliter determinantis.

Refp. Neg. min. Nufpiam enim S. Auguftinus has calumniæ a Pelagianis fibi illatæ caufas commemorat, fed prorfus diverfas ipfe refert verbis difertiffimis. Prima calumniandi ratio Pelagianis erat, quod Auguftinus affereret, homines ex primi Parentis prævaricatione traxiffe peccatum & concupifcentiam, quæ effet pœna peccati, & adjunctum haberet rea-

tum Baptismate abluendum. Altera erat, quod Augustinus gratiam Christi sicut absolute necessariam, ita pure gratuitam prædicaret; quodve, ubi ageretur de gratiarum, præsertim efficacium distributione, atque cumprimis de dono perseverantiæ finalis, solitus esset ad inscrutabilia Dei judicia recurrere. Inde concludebant Pelagiani 1*mo*. hominem nasci cum vitio & peccato naturali & inevitabili, & consequenter naturam creari malam a Deo. Hæc causa fuit, quare Julianus Augustino multoties exprobrat, *ipsum hærere inexplicabiliter Manichæorum insaniæ*, qui primi fuissent mali naturalis architecti. 2*do*. concludebant, prætenso gratiæ nomine omnia fato regi, si gratia sit adeo necessaria, ut nihil sine illa humana voluntas boni velle aut agere valeat, neque eam promereri positum sit in naturali hominis facultate. Prioris calumniæ causam declarat apertissime S. Augustinus Lib. 2. ad Bonifac. Cap. 4. his verbis: *malam quippe esse hominum naturam non dicit Catholica fides, in quantum homo a Creatore primitus institutus est* (quod dicebant Manichæi) *neque nunc, quod in illa Deus creat, cum homines ex hominibus facit, hoc malum est ejus; sed quod ex illo vitio primi hominis trahit.* Patet igitur, objectam esse S. Augustino societatem cum Manichæis, quod diceret, hominem nasci reum peccati originis; non quod diceret, concupiscentiam per se malam, & determinantem invincibiliter ad peccatum. Alterius calumniæ causam exponit itidem S. Doctor eodem Lib. Cap. 5. verbis illis: *Calumniantur, nos fatum gratiæ nomine asserere, quia non secundum merita nostra dari dicimus Dei gratiam.* Et Cap. 6. Pelagianos sic compellat: *Itane vero . . . quisquis dicit, gratia Dei omnia hominis bona merita præveniri, nec gratiam Dei dari meritis, ne non sit gratia, si non gratis detur, sed debita merentibus reddatur, vobis videtur fatum asserere?* Ecce, ubi fundamentum calumniæ ex professo examinat Augustinus, rationemque reddens, cur gratiam a Catholicis assertam fati nomine Pelagiani infamarent, nusquam allegat modum

gra-

gratiæ natura ſua irreſiſtibilis; quod tamen minime diſſimulare potuiſſet, ſi propter talem gratiam Catholicos calumniati fuiſſent Pelagiani.

Itaque teſte S. Auguſtino, Catholici accuſabantur tanquam ſati aſſertores, non quod dicerent, gratiam ad volendum & agendum neceſſariam dominari voluntati, eique neceſſitatem antecedentem & inſuperabilem inferre; ſed quia dicebant, humanam voluntatem tantam ex originali culpa contraxiſſe infirmitatem, ut nihil omnino bene agat & velit ſine interiore gratia ipſam excitante, ſanante, & adjuvante: eandemque hanc gratiam non ſecundum merita noſtra dari, ſed ſecundum miſericordiſſimam Dei voluntatem, qui miſeretur, cujus vult, vocando ſcilicet illum, quomodo illi aptum eſt, ut vocantem ſequatur. Sed de hoc argumento uberius ſuo loco, cum nempe ex profeſſo de efficacia gratiæ diſſeremus, ac ſolvemus ea, quæ objici ſolent, ut oſtendatur, gratiam ſtatui naturæ lapſæ neceſſariam eſſe auxilium *quo*, ſeu gratiam natura ſua efficacem.

Conſectarium.

XV. OMnis Pelagianorum circa gratiæ neceſſitatem doctrina, de qua nos hactenus, ex duplici fonte, & capitali errore, uno facti, altero juris, profluxiſſe videtur. Error juris erat, quod quælibet gratia interior, quæ voluntatem prævenit, & excitat, ejus deſtruat libertatem, adeoque ſit rejicienda. Error facti, quod non aliam Auguſtinus gratiam propugnaverit, quam quæ voluntati ad bene agendum neceſſitatem imponeret, ejus proinde everteret libertatem. Utroque hoc falſo judicio præoccupati, ita in errore ſuo progreſſi ſunt, ut initio nullam omnino gratiam admiſerint, ſolam naturam & liberum arbitrium ad bonum ſufficere exiſtimantes; exinde aliquod gratiæ genus confeſſi ſint, nempe legem & doctrinam exterius menti propoſitam; cui poſtea addiderunt re-

missionem peccatorum, & exempla Christi. Denique & internam quandam illustrationis gratiam fateri visi sunt, quæ tamen solum intellectum afficeret, & ad facilius tantum operandum requireretur. Capitaliter autem abhorrebant ab omni gratiæ specie, quæ voluntati præiret, ejusque in actus suos dominium & determinationem anteverteret. Momenta igitur & rationes, quibus S. Augustini doctrinam impugnabant, directe petebant necessitatem gratiæ interioris, ad omnem salutarem actum voluntatem prævenientis. Neque errabant in eo, quod nullam agnoscerent gratiam, quæ voluntati necessitatem inferret ad agendum, eique libertatem tolleret; nullam namque ejusmodi dari verissimum est: Sed quod omnem interiorem gratiam prævenientem, eo ipso quod voluntatem præveniret, cum arbitrii libertate stare non posse existimarent. Illæ igitur rationes Pelagianorum adversus Augustinum non spectant gratiam victricem, & natura sua efficacem, ut vult Jansenius, sed simpliciter gratiam voluntatis prævenientem, ad omne opus pietatis necessariam; quam ut agnosceret & confiteretur Pelagius, nunquam induci poterat. Quod si tamen Julianus & posteriores Pelagiani argumentis Catholicorum victi recesserunt tandem ex parte saltem a doctrina magistri sui, ut ipse S. Augustinus insinuare videtur Lib. 2. *contra duas Epist. Pelag.* Cap. 8. & agnoverunt gratiam, quam non agnovit Pelagius, hunc solum errorem retinentes, *in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, ut hujus cœpti meritum etiam perficiendi gratia sequatur*, quemadmodum loquitur S. Doctor loco mox cit. adeo, ut gratiam intelligerent ad perfectionem quidem operis boni necessariam, non item ad ejus inchoationem; censendum est, eos ex Pelagianis factos esse Semipelagianos, quorum nunc exponendus est error.

CA-

CAPUT III.

De
Semipelagianis, & eorum erroribus.

I. SEmipelagiana hæresis Pelagianæ appendix, & infelix veluti surculus dici potest: illi namque Semipelagiani vocantur, qui non totum, sed Pelagiani erroris partem sibi adoptarunt, & propugnarunt; dicti etiam Massilienses ab Urbe Massiliensi, ubi præcipui, & frequentiores ejus sectæ Defensores consistebant.

Errandi occasionem sumpserunt ex ipsius D. Augustini Operibus adversus Pelagianos; in quibus cum necessitatem gratiæ, ac liberi imbecillitatem arbitrii magnopere prædicaret, quædam visus est adspersisse dogmata, quibus salutis nostræ ac justificationis negotium totum adscribere Deo, ejusque gratiæ, sine ulla voluntatis humanæ cooperatione, putaretur. Quæ res haud levem apud multos ejus nomini conflavit invidiam, ut jam illum passim vellicarent, quod Pelagiani erroris odio in alterum extremum declinans plusculum gratiæ ac Dei auxilio tribuisset. Quare, ne utrinque nimium excederetur, existimarunt nonnulli, Augustini doctrinam temperandam esse, novis quibusdam dogmatis propositis; sed quæ deinde tanquam erronea rejecta, & damnata sunt.

II. Primum quidem Adrumeti in Africa, cum Cœnobii illius loci Monachi Epistolam S. Augustini ad Sixtum tunc Presbyterum, postea Romanum Pontificem datam, & Adrumetum translatam accepissent, atque legissent, in sensus a mente S. Doctoris prorsus alienos distracti sunt. Quod ubi ille per Felicem, & Cresconium ejusdem Monasterii Fratres intellexit, ad Monachos illos instruendos edidit libros *de Gratia, & libero arbitrio*, duasque dedit Epistolas ad Valentinum Cœnobii

Præfectum. At hi ipsi libri novo errori viam aperuerunt. Cum enim Monachi in iis legissent, omnia bona opera esse Dei dona; inde deduxerunt, neminem corripiendum esse, si præcepta Dei non observaret; sed solum pro illo orandum Deum, ut ipso donante faceret, quod jubebatur. Hoc a Valentino per Florum itidem Monachum S. Augustino significatum movit ipsum, ut librum de *Correptione, & Gratia* conscriberet, quo demonstrat, nec gratia prohiberi correptionem, nec correptione gratiam negari. Porro dum hi motus in Monasterio Adrumetino fervent, & Semipelagiani erroris inter Monachos semina jacta sunt, Vitalis Carthaginensis sese Semipelagianum aperte profitetur, asserens, non aliter posse liberum arbitrium, & Dei justitiam salvari, nisi dicatur, fidei initium non esse donum Dei, sed esse a nobis, id est, ex propria voluntate; & ex hoc, quod pro sua naturali libertate fecerit, præmium, vel supplicium quisque sit recepturus. Ut Vitalem ab errore revocaret Augustinus, dedit ad eum epistolam 217. alias 107. in qua errorem illum confutat, ac duodecim regulas fidei circa gratiam Dei proponit.

III. Ex Africa Semipelagianus error transfretavit in Gallias, ubi multos nactus Patronos, eosque magni nominis viros, late propagatus est, præsertim per Lugdunensem, & Arelatensem provincias: de quo Prosper, qui S. Augustini doctrinam defendendam susceperat, ita eundem per Epistolam admonuit: *Multi servorum Christi, qui in Massiliensi Urbe consistunt, in Sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti.* Quapropter S. Augustinus, ut errori grassanti occurreret, duos libros, unum *de prædestinatione Sanctorum*, aterum *de dono perseverantiæ* conscripsit, & ad Massilienses direxit. Quo tamen non obstante error in dies glisce-

bat

bat magis, & Semipelagianorum numerus in tantum jam creverat, ut Prosper, & Hilarius, defuncto D. Augustino, ejusque doctrina a non paucis despecta & calcata, Romam adire coacti sint, & apud Cœlestinum Papam querelas deponere; a quo etiam obtinuerunt Epistolam ad quosdam Galliæ Episcopos datam, in qua Pontifex laudat S. Augustini doctrinam, & ejus obtrectatoribus silentium imponit. Quod deinde Gelasius Papa confirmavit, dum damnatis in Synodo Romana anno 404. Cassiani, & Fausti libris, de quibus mox dicemus, SS. Augustini, & Prosperi opera commendavit. Ac tandem Semipelagianus error, qui propter multos, qui eidem patrocinabantur, doctrina & pietate insignes viros, toto quinto sæculo impune, & citra fidei dispendium defensabatur, sæculo VI. anno 529. in Concilio Arausicano II. sub Felice IV. confixus ac prostratus est 25. Canonibus, ex S. Augustini doctrina conflatis: quod deinde Concilium confirmavit Bonifacius II. Felicis successor, & indubitatam obtinet apud omnes Catholicos authoritatem. Eandem damnationem instauravit Concilium Trident. sess. 6. de Justif. Can. 2. & 3.

IV. Porro inter Semipelagianos præcipui fuere, in Gallia præsertim, Joa. Cassianus, & Faustus. Cassianus quidem, sive ex Scythia oriundus, sive, ut alii volunt, Gallus in Provincia natus, extructo Massiliensi in Urbe Cœnobio, maximam sibi tum eruditionis tum pietatis famam comparavit, præsertim post vulgatum celebrem illum librum *Collationum Patrum;* in quo tamen, maxime *Collat.* 13. sub persona Abbatis Chæremonis Semipelagianum errorem apertissime tuetur, quem S. Prosper libro *adversus Collatorem*, id est, adversus Cassianum Auctorem libri *Collationum Patrum*, strenue oppugnat, ac revincit. Faustus vero, primum Lirinensis Abbas, postea Regiensis in Gallia Episcopus, natione Britannus; cui a Conciliis, Arelate, & Lugduni celebratis anno 475. demandata provincia, ut quosdam errores in materia Prædestinationis recens exor-

exortos confutaret, libros de *gratia*, *& libero arbitrio* conſcripſit; in quibus mandati limites prætergreſſus, aperto marte doctrinam S. Auguſtini carpit, & Maſſilienſium Semipelagianorum dogmata ſtatuit. Sed libri illi ab Hormiſda Papa nullius authoritatis fuere declarati Epiſt. *ad Poſſeſſorem*; & anno 522. miſſi ad Africanos Epiſcopos in Sardinia exules, tanquam erronei condemnati ſunt: S. Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo contra Fauſti errores ſcribendi cura demandata, quam egregie implevit Libris ſeptem *de Gratia*, *& libero arbitrio* contra duos Fauſti libros. Quia tamen & Fauſtus, & Caſſianus viri fuere cæteroquin pietate, morumque integritate clari, erroremque defenſarunt eo tempore, quo nondum ſolemniter hæreſi notatus fuerat, aras, & ſacros honores poſt mortem uterque obtinuit; illiusque, nempe Fauſti nomen ſacris in Regienſi Eccleſia Faſtis eſt adſcriptum; Caſſiani vero memoria Maſſiliæ colitur ſolemni ritu die 23. Julii.

V. Eadem Semipelagianiſmi fuligine tinctum fuiſſe Hilarium (non illum, quem una cum Proſpero Auguſtini doctrinam defendendam ſuſcepiſſe, ſuperius diximus; ſed alium Hilarium, videlicet Arelatenſem Epiſcopum) complures aſſerunt, in rei hujus teſtimonium adferentes ejusdem Proſperi Epiſtolam ad Auguſtinum. Quin & Vincentium quemdam, contra quem itidem Proſper ſcripſit *Reſponſiones ad Capitula Objectionum Vincentianarum*, ſuſpectum eſſe volunt; quamvis inter Eruditos non ſatis conveniat, quisnam fuerit Vincentius iſte, an ille Lirinenſis celebris author libri nunquam ſatis laudati, nempe *Commonitorii adverſus hæreticos*; an vero alter itidem Gallus. Baronius ad annum Chriſti 431. opinatur non eſſe illum Lirinenſem: Voſſius vero Lib. 1. *Hiſtor. Pelag.* Cap. 9. & poſt ipſum Cardin. Noriſius L. 2. *Hiſt. Pelag.* Vincentium illum eſſe ipſiſſimum Lirinenſem contendunt. Sunt tamen alii, qui utrumque, tam Hilarium Arelatenſem, quam Vincentium Lirinenſem ab omni erroris ſuſpicione eximunt; ut videre eſt

in

in *Actis Sanctorum Mens. Maji Tom.* 2. *Die* 5. *Differt. ad vitam S. Hilarii Arelat. adjuncta.* Et *Tom.* 5. *ejusdem Mensis ad diem* 24. Quidquid ea de re sit, certe Vincentii *Commonitorio* nihil per hoc authoritatis detrahitur in iis, quæ doctrinam de Traditionibus, & Patrum usu spectant: nam Vincentius ex regulis ac principiis in tota Ecclesia receptis hæreses impugnat; & forsan etiam ex hoc capite Augustinianæ doctrinæ de Gratia se assentiri non posse existimabat, quod eam, errore inductus, Majorum doctrinæ contrariam arbitraretur.

Accensentur præterea Semipelagianis Severus Sulpitius Gallicanus Presbyter, Honoratus Massiliensis Episcopus, & Gennadius itidem Massiliensis, de quibus Alexander Natalis *Histor. Eccles.* Sæc. v. cap. 3. art. 7.

VI. Semipelagianorum doctrinam, & errores quod attinet, ante omnia observandum est cum doctissimo Petavio, Lib. uno *de Pelag. & Semipel. dogm. Histor.* Gratiæ nomine Semipelagianos non intellexisse gratiam *habitualem*; sed transeuntia dona S. Spiritus, quibus ad justitiam promovemur, quæve gratiam dicimus *actualem*, & de qua sola nobis hic est sermo. Itaque

Primo, Originale peccatum a primo Parente manasse in posteros, illiusque ruina sic infractas ac debilitatas esse vires arbitrii nostri asserebant, ut *ad nullum opus* (verba sunt Hilarii) *vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentirent*, sed gratiam ad hoc Christi esse necessariam, ita tamen, ut initium aliquod justitiæ, ac salutis esset a nobis; nimirum fides, & voluntas quæpiam salutis obtinendæ. Non enim initium hoc voluntatis ac fidei inter opera bona vel merita numerabant: quemadmodum in ægro voluntas adhibendi medici, vel certa de remedio concepta fiducia nondum pars esse curationis aliqua censetur. Porro ex illis fidei, bonæque voluntatis initiis promereri ajebant homines Christi gratiam ac justificationem. Unde hæc illorum vox erat:

Meum est velle credere, DEI autem gratiæ est adjuvare, ut scribit Petrus Diaconus ad Fulgentium in Lib. *de Incarn.* cap. 6. Existimabant enim, nullam naturam ita depravatam vel extinctam esse, *quæ saltem non possit se velle sanari.* Quare, teste D. Prospero Epist. ad August. in eo conveniebant omnes, quod assererent; *quantum ad DEum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui DEO sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Quanquam erroris hujus origo non a Massiliensibus primum repetenda, sed ipsis antiquior videatur. Ipse S. Augustinus, antequam esset Episcopus, & priusquam erupisset Pelagius, in eodem errore versatus fuerat, ut ipsemet fatetur Lib. *de prædestinatione* SS. cap. 3. his verbis: *Cum similiter errarem, putans, fidem, qua in DEum credimus, non esse donum DEI, sed a nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare DEI dona, quibus temperanter, & juste, & pie vivamus in hoc sæculo. Neque enim fidem putabam DEI gratia præveniri, ut per illam nobis daretur, quod posceremus utiliter: nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant ante Episcopatum meum scripta.* &c. Hæc est S. Doctoris ingenua antiqui sui erroris confessio. Hinc autem profluxit

VII. *Alterum*, & secundum doctrinæ Semipelagianæ caput: Gratiam Christi suppetere omnibus, & ad sese omnes invitare; sed unumquemque proprio arbitrio vocanti parere, vel se ab ea retrahere. Ita refert S. Prosper Lib. VI. *de Ingratis.*

Tertio, DEum omnes cupere salvos fieri, & ad salutem vocare; suapte vero voluntate vocanti alios obtemperare, alios respuere. Discretionem proinde unius ab alio non a DEO, sed ab hominis arbitrio, etsi sub gratia constituto, sumendam esse

esse, & *fidelem ideo obediisse, quia voluit; sicut prævaricaricatorem non obediisse, quia noluit*, ut refert S. Prosper Epist. ad August.

Quarto, Prædestinationem non esse gratuitam; sed ex illa præsensione, qua vocationi fidem & obsequium accommodaturos esse quosdam præscivit DEus, eos delegisse: quos autem ita accommodaturos non esse viderit, reprobasse; *præscivisse nempe DEum, quinam vocationi fidem, & obsequium essent accommodaturi, & perseveraturi, quinam non; & hos reprobasse, illos elegisse.* Ita rursus Prosper Epist. laudata. Cum vero Parvulorum exemplis premerentur, qui nulla haberent merita; respondebant, DEum præscire merita, vel demerita, quæ habituri erant, si vixissent, & horum intuitu alios eligere ad Regnum Cœlorum, alios excludere.

Quinto denique, Perseverantiam singulare DEI donum non esse; sed eam quemvis in sua potestate habere, ut, si velit, perseveret. Contra quam docuerat S. Augustinus Lib. de *Correptione & Gratia* cap. 11. & 12. Cujus doctrinam tanquam novam, nimis duram, hominesque in desperationem inducentem, rejiciebant, quod sub ipso Prædestinationis nomine fatalem necessitatem induceret. Ita Hilarius ad August. & Prosper Epist. sæpe laudata, nec non in Lib. *de Ingratis.*

VIII. Atque hæc præcipua fuere doctrinæ capita, in quibus Massilienses non solum ab Augustino dissentire se profitebantur, sed re ipsa a genuino Ecclesiæ Catholicæ sensu dissentiebant: quamvis interea a Pelagio longe se abhorrere præseferrent, eumque anathemate damnarent; quod illi ipsi Semipelagiani in libris suis, quorum hodieque extant aliqui, diserte testantur: ut Cassianus in Lib. *de Incarn. contra Nestorium*, qui Pelagii errorem non uno in loco detestatur; & Faustus initio Librorum, quos *de libero arbitrio* inscripsit.

His de Semipelagianismo universim præmissis, videndum

nunc eſt in particulari, in quo præciſe poſitus fuerit circa gratiam Semipelagianorum error? Et an in eo fuerint hæretici, quod admiſerint aliquem prævium adjutorio gratiæ bonum liberi arbitrii uſum, cujus intuitu concederetur gratia ad opus ſalutis promovendum neceſſaria, quod contendunt Catholici. An, ut Janſenio placet, quod negaverint gratiam dominantem, ſeu natura ſua infruſtrabilem & irreſiſtibilem, quemadmodum ſuperius diximus de Pelagianis.

CAPUT IV.

In quo præciſe poſitus fuerit error Semipelagianorum circa gratiæ neceſſitatem?

I. QUemadmodum in ſuperiori quæſtione, ita & in præſenti nobis potiſſimum res eſt cum Janſenio, & ejus ſequacibus. Is capitali illo ſuo errore occupatus, per gratiam nempe natura ſua efficacem & irreſiſtibilem, ſeu cœleſtem delectationem ſuperiorem ac vitricem, voluntatem hominis ad bene agendum neceſſario determinari; docuit, Semipelagianos in eo duntaxat erraſſe, quod ejusmodi gratiam neceſſitantem non agnoverint; non vero in eo, quod rejecerint neceſſitatem gratiæ interioris ad initium fidei, ad orationem &c. ſeu, quod non aliam ad illud fidei & ſalutis exordium admiſerint gratiam, præter eam, quæ Adamo innocenti data fuerat, id eſt, auxilium *ſine quo*, non item auxilium *quo*. Ita expreſſe habet Janſenius pluribus in locis, præſertim autem Propoſitione, quæ inter quinque ejus famoſas numero quarta eſt. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Quam pro-

Propositionem falsam, & hæreticam pronuntiarunt Innocentius X. & Alexander VII. summi Pontifices.

II. Verum antequam hanc Jansenii sententiam impugnare aggrediamur, nonnulla claritatis gratia sunt prævie observanda.

1mo Semipelagianorum doctrina non semper, nec ubique sibi similis fuit. Alii namque ad solum credendi affectum, simplexque salutis, aut operis salutaris desiderium nulla opus esse divina gratia existimabant. Alii Pelagianis propiores etiam fidem ipsam, orationem & quædam bona opera per solum liberum arbitrium absque omni gratia haberi posse arbitrati sunt. Ita illi, de quibus S. Prosper in Epist. ad Ruffinum. Et Cassianus, qui Collat. 13. q. 14. Jobi patientiam naturalibus arbitrii viribus tribuere audet: ac Centurionis fidem, de quo Matth. c. 8. non a DEI gratia, sed ab ipsomet extitisse demonstrat ex eo, quod dixerit Christus, *non inveni tantam fidem in Israel. Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Christus, quod ipse donaverat, prætulisset. Alioqui dixisset: Non dedi tantam fidem in Israel.*

2do Alii bono libertatis usui, quem gratiæ prævium faciebant, rationem meriti respectu gratiæ tribuebant; alii occasionis duntaxat, aut conditionis, ita tamen, ut nihilominus gratia dici posset dari gratis. Sed hoc erat omnibus commune, ut negarent in negotio salutis voluntatem semper a gratia præveniri.

3tio. Nonnulli rigidiores gratiam ita faciebant a prævio liberi arbitrii bono usu pendere, ut ubi præsens, vel præteritus non occurrebat, confugerent ad conditionate futurum. Sic explicabant, ut supra meminimus, ex duobus parvulis cur alter suscepto, alter non suscepto Baptismate moreretur: quod nempe actibus bonis naturalibus conditionate tantum futuris, aut non futuris DEus moveatur ad Baptismum procurandum, aut non procurandum. Quod miserabile effugium a talibus

Viris excogitatum miratur S. Augustinus Lib. de Prædest. Sanct. cap. 12. ubi sic ait : *Unde hoc talibus Viris in mentem venerit, nescio, ut futura, quæ non sunt futura, puniantur, aut honorentur merita parvulorum.* Alii denique molliores gratiam quandoque dari gratis confitebantur. Ita Cassianus *Collat.* 13. c. 11. in Paulo, & Matthæo initium bonæ voluntatis tribuit gratiæ ; in Zachæo, & Latrone tribuit libero arbitrio. Et Faustus Lib. 1. c. 14. ait occultum esse, cur ex morientibus parvulis alii baptizentur, alii non baptizentur.

Ex quibus sequitur, Semipelagianos non admisisse gratuitam prædestinationem ad fidem & justificationem : sed in eorum sententia discretionem fidelium ab infidelibus, justorum salvandorum ab impiis damnandis, nec non prædestinationem ad parseverantiam finalem & gloriam fundari in principiis mere naturalibus, nempe in merito primæ bonæ voluntatis. His animadversis, sit

ASSRETIO UNICA.

In eo Semipelagiani erant hæretici, quod admitterent aliquem prævium adjutorio gratiæ bonum liberi arbitrii usum, cujus intuitu concederetur gratia ad opus salutis promovendum necessaria ; seu, quod gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium fidei, & salutis constanter negaverint. Hanc proinde ab illis exigebat Augustinus ; non vero gratiam dominantem, natura sua infrustrabilem, & irresistibilem.

III. PRob. prima *Assert. pars.* In eo Semipelagiani fuerunt hæretici, quod docuerunt, & de quo accusati, & damnati sunt. Atqui Semipelagiani aliquem docuerunt esse prævium liberi arbitrii bonum usum, cujus intuitu daretur gratia ; deque eo damnati, & accusati sunt. Ergo.

Min.

Min. prob. *Primo* ex ipsismet Semipelagianorum testimoniis. Sic namque ex communi omnium sensu ipsi loquuntur apud S. August. Lib. *de præd. sanct.* cap. 19. *Nos dicimus nostram DEum non præsciisse nisi fidem, qua credere incipimus; & ideo nos elegisse ante mundi constitutionem, ac prædestinasse, ut etiam Sancti, & immaculati gratia atque opere ejus essemus.* Joannes Cassianus, & Faustus Regiensis Episcopus Semipelagianorum Antesignani; ille *Collat.* 13. cap. 8. hic vero Lib. 1. *de Lib. arbitr.* cap. 17. manifeste docent, in negotio salutis, DEum expectare in nobis *ortum quemdam atque conatum bonæ voluntatis;* & deinde concedere gratiam invitantem, attrahentem, erigentem, sanantem: *Cum in nobis*, inquit Cassianus, *ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit DEus, illuminat eam confestim atque confortat, & incitat ad salutem.* Et Faustus, *Dominus*, inquit, *invitat volentem, attrahit desiderantem, erigit adnitentem.*

Secundo: Semipelagiani aperte docuerunt initium fidei, & salutis esse a viribus arbitrii, a naturali libertate, seu possibilitate, a natura ipsa. Item, gratiam esse posteriorem bona voluntate, id est, gratiam ad omne opus bonum vel incipiendum vel perficiendum necessariam, prioris bonæ voluntatis merito dari. Denique fidem, atque in ea perseverantiam non esse donum DEI. Cujus erroneæ doctrinæ plurima, eaque luculenta habemus testimonia SS. Prosperi, Hilarii, & Augustini, quorum nonnulla hic tantum proferimus.

S. Prosper in Epist. ad August. *Ad hanc gratiam*, inquit, *volunt unumquemque pervenire per naturalem facultatem, petendo, quærendo, pulsando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus, ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruit pervenire.* Initialis autem gratiæ nomine intelligitur hic naturalis liberi arbitrii facultas, quam Semipelagiani, quemadmodum & Pelagiani *gratiam* appellabant. Et rursus in eadem Epist. *Quantum ad DEum pertinet*, ait, (di-

(dicunt) omnibus paratam vitam æternam : quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui DEO sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. Iterum idem S. Prosper Lib. *contra Collatorem* cap. 3. *Quomodo autem*, inquit, *non advertis, te in illud damnatum incidere . . . . gratiam DEI secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas ? . . . . Impium est sic velle meritis ante gratiam existentibus locum facere* &c.

S. Hilarius in sua pariter ad S. Aug. Epist. *Dicunt*, inquit (Semipelagiani) *non negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat. Nam illa testimonia, ut est illud,* sicut unicuique partitus est mensuram fidei; *& similia, ad id volunt valere, ut adjuvetur, qui cœperit velle, non ut etiam donetur, ut velit.*

Denique S. Augustinus, qui ad hunc errorem confutandum duos libros ex professo edidit, unum *de prædestinatione Sanctorum*, alterum de *dono perseverantiæ.* In priori, cap. 2. statim aperit, quid sibi probandum assumpserit : *Nunc eis*, inquit, *respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex DEO : tanquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantum augeatur in nobis, eo merito, quo cœpit a nobis.* Quam sententiam refellit toto hoc Libro S. Doctor. Et cap. 3. fatetur ingenue, se ante suum Episcopatum in eodem cum Semipelagianis errore versatum fuisse. Relatis namque illis Apostoli verbis : *Quid habes, quod non accepisti ?* Sic prosequitur : *Quo præcipue testimonio etiam convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in DEum credimus, non esse donum DEI, sed a nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare DEI dona, quibus temperanter, & juste, & pie vivamus* in

in hoc sæculo. Neque enim fidem putabam DEI gratia præveniri &c. En ipsummet Semipelagianorum errorem. Denique hunc suum Librum de *prædestinatione* claudens Augustinus, quod suum fuerit consilium, qui error, quem impugnavit, rursus declarat : *Cum*, inquit, *in prioribus opusculis nostris satis idoneis testimoniis egissemus, donum DEI esse etiam fidem : inventum est, quod contradiceretur*, ad *hoc valere ista testimonia, ut ostendant, DEI donum esse incrementum fidei ; initium vero fidei, quo in Christum primitus creditur, ab homine ipso esse, nec esse donum DEI ; sed hoc exigere DEum, ut cum id præcesserit, cætera tanquam hoc merito consequantur, quæ DEI dona sunt. . . . . Quod videtis, quam sit absurdum, propter quod institimus, quantum potuimus, ut etiam initium fidei donum DEI esse ostenderemus.* Idem passim testatur S. Doctor in altero Libro, qui est *de dono perseverantiæ.* Ex quibus omnibus indubium utique fit, Semipelagianos non admisisse necessitatem interioris gratiæ prævenientis ad fidem inchoatam, sed e contra docuisse, naturales liberi arbitrii vires ad eam sufficere. Hinc

Tertio, Eo tantum nomine damnati sunt Semipelagiani, ut patet ex Synodo Arausicana II. cujus Canones omnes eo pertinent, ut statuatur, gratiam non conferri *credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus* &c. sed per gratiam fieri, *ut credamus, velimus, & hæc omnia agere valeamus*, liberumque arbitrium gratia destitutum nihil valere in ordine ad salutem. Propterea etiam a summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. damnata est quarta Propositio Jansenii his verbis concepta : *Semipelagiani admittebant gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei : Et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Hanc Propositionem*, ajunt

ſummi Pontifices, *falſam & hæreticam declaramus*, *& uti talem damnamus*.

IV. Quapropter, ut bene obſervat Cl. Tournelius in ſuis Prælect. Theol. *de Grat. Chr.* Par. 1. Quæſt. 3. *de Semipelagianis*, a gravi ſaltem temeritate excuſari inter recentiores non poſſunt ii, qui poſt ſolemne illud judicium, cui acquievit Eccleſia univerſa, primam hujus Propoſitionis partem defendere eo prætextu non verentur, quod ad merum factum, ut ajunt, pertineat.

Dicunt nempe 1*mo*. Propoſitionem Janſenianam damnatam eſſe ratione ſolius partis ſecundæ, quæ reipſa falſa & hæretica eſt. 2*do* admitti poſſe, quod fuerit damnata etiam ratione partis primæ, quatenus nempe hæc univerſe ſumpta falſa eſt; quia non omnes Semipelagiani, ſed molliores tantum admittebant neceſſitatem gratiæ etiam ad initium fidei, ut ipſe Janſenius fatetur.

Reſp. ad primum, totam Propoſitionem fuiſſe damnatam; partem quidem ejus primam ut falſam, ſecundam ut hæreticam. Etenim, ut optime argumentatur Natalis Alexander Diſſert. IV. ad ſæcul. V. Cum Semipelagianos conſtet erraſſe circa gratiam, pars Propoſitionis ſecunda non poteſt eſſe hæretica, quin prima ſit falſa. Nam ſi verum eſt, Semipelagianos admiſiſſe neceſſitatem gratiæ prævenientis ad omnes actus etiam ad initium fidei, manifeſtum eſt, eos non erraſſe, niſi circa modum operandi gratiæ, & in eo fuiſſe hæreticos, quod talem dicerent eſſe gratiam, cui voluntas poſſet reſiſtere vel obtemperare. Ergo ſi vera eſt pars prima, vera etiam eſt ſecunda, & conſequenter immerito damnata. Quod ſi vero Semipelagiani fuerunt hæretici, nec in eo hæretici fuerunt, quod dicerent, talem eſſe gratiam, cui voluntas poſſet reſiſtere vel obtemperare; ſequitur, eos non erraſſe circa modum operandi gratiæ, ſed circa neceſſitatem gratiæ prævenientis ad initium fidei. Ergo ſi ſecunda pars propoſitionis merito dam-

damnata eſt tanquam hæretica, prima pars eſt falſa. Ergo prima pars Propoſitionis, quæ eſt de facto, ita connexa eſt cum altera parte, quæ eſt de jure, ut poſterior nequeat eſſe hæretica, quin prior ſit falſa; & viciſſim prior non poſſit eſſe vera, quin poſterior quoque vera ſit, & immerito damnata.

Reſp. ad 2dum: frivolam eſſe illam reſtrictionem. Nullus enim Semipelagianorum non fuit hæreticus. Nullus autem in eo fuit hæreticus, quod diceret talem eſſe gratiam, cui voluntas poſſit reſiſtere vel obtemperare; alioquin male damnata eſſet pars ſecunda Propoſitionis. Ergo nullus Semipelagianus non negavit neceſſitatem gratiæ prævenientis etiam ad initium fidei. Nam ſi aliqui eam admiſerunt, quis eorum fuit error? Non alius ſane, quam quem Janſenius dicit ſecunda parte ſuæ Propoſitionis. Ergo vel male damnata eſt ſecunda pars Propoſitionis, vel nullus unquam Semipelagianorum admiſit neceſſitatem gratiæ prævenientis etiam ad initium fidei, atque adeo prima pars ſimpliciter eſt falſa.

V. Ex his porro, quæ dicta ſunt hactenus, atque ex allatis ipſiusmet D. Auguſtini teſtimoniis, etiam altera Aſſertionis noſtræ pars ſit manifeſta, videlicet S. Doctorem non gratiam dominantem natura ſua infruſtrabilem, ſed neceſſitatem gratiæ prævenientis ad quemlibet actum ſalutarem, adeoque etiam ad fidem inchoatam a Semipelagianis exegiſſe; de hac proinde, non de illa ipſos inter, & Auguſtinum omnem controverſiam fuiſſe. Quid enim aliud omnibus illis locis probare contendit Auguſtinus, ex ſenſu omnium Catholicorum, totiusque Eccleſiæ, quam id, quod negabant Semipelagiani, ſcilicet fidem etiam initialem eſſe a DEO, non vero in nobis eſſe a nobis, ut illi volebant, exiſtimantes, DEum fidem illam a nobis expectare, ut deinde ejus merito retribuat prævenientem gratiam interiorem ad omnia virtutum opera neceſſariam. Ex quo ſequebatur manifeſtum illud abſurdum, interiorem gratiam, quam fatebantur neceſſariam ad omnia virtutum opera,

quæ proinde dona DEI esse concedebant ; interiorem, inquam, illam gratiam, non esse proprie gratiam, quoniam secundum illos non daretur gratis, sed initialis fidei merito retribueretur. Cum autem testimonia, ab Augustino in suis contra Pelagianos libris ad probandum, fidem esse DEI donum, allata, vellent intelligi Massilienses de actu perfecto fidei, non de fide inchoata & imperfecta, Librum *de prædestin. Sanct.* scripsit S. Doctor, ut demonstraret, etiam initium fidei esse donum DEI ; quod re ipsa, ut ostendimus adductis superius testimoniis, toto illo libro executus est, nullibi sane vel mentionem faciendo gratiæ necessitantis, natura sua infrustrabilis & irresistibilis, ad credendum necessariæ ; sed probando ubique, hominem nunquam credere, nisi interiore inspirationis gratia præveniatur, moveatur, adjuvetur.

Respondetur ad Objecta.

VI. *OBjic. 1mo.* Semipelagianorum saltem aliqui confessi sunt, nostras voluntates præveniri a gratia, nec non gratiam necessariam esse ad omne omnino opus bonum etiam inchoandum. Ergo non omnes gratiæ interioris prævenientis necessitatem etiam ad initium fidei & salutis constanter negarunt. *Prob. antec.* SS. Prosperi, Hilarii, & Augustini testimonio :

Primo. S. Prosper in Epistol. ad S. Aug. testatur, hanc Semipelagianorum quorundam fuisse sententiam, *ut ideo quis accipiat, ideo inveniat, ideo inchoet, quia bono naturæ bene usus, ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruit pervenire.* Ergo ex Semipelagianis nonnulli gratiam initialem agnoverunt.

Secundo: S. Hilarius Epist. ad Aug. Num. 2. sic habet: *Ceterum ad nullum opus etiam incipiendum, nedum perficiendum quam-*

quemquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt. Atqui actus fidei eſt utique bonum opus. Ergo &c.

Tertio: S. Auguſtinus Lib de *prædeſt. Sanct.* cap. 1. de iisdem Semipelagianis ſic ſcribit: *Pervenerunt etiam iſti, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum, ſibique quemquam ſufficere poſſe conſentiant.* Hæc procul dubio vel nihil probant, vel probant, Semipelagianos, ſaltem aliquos confeſſos tandem eſſe, voluntates a gratia præveniri; ſed eam feciſſe dependentem a voluntate quoad effectum, ſubjeciſſe voluntati, feciſſe voluntatis pediſſequam.

Reſp. ad 1mum: S. Proſper in citata Epiſtola teſtatur Semipelagianos agnoviſſe gratiam initialem, ſed quæ a natura eſſet indiſtincta. Initialis enim illa gratia, eodem teſte, erat ex mente Semipelagianorum, *Gratia Creatoris, quæ hominem nihil prius merentem, quia nec exiſtentem, liberi arbitrii & rationalem inſtituit, ut per diſcretionem boni ac mali.... ad hanc gratiam, qua in Chriſto renaſcimur, pervenire per naturalem facultatem poſſit.*

Ad 2dum: Hi, de quibus ita loquitur S. Hilarius, ut ne cogerentur fateri gratiam eſſe neceſſariam ad initium fidei, initium iſtud fidei, ac ſalutis deſiderium inter opera ſalutaria non computabant. *Neque enim*, ait S. Hilarius, *alicui operi curationis annumerandum putant.... unumquemque ægrotum velle ſanari.*

Ad 3tium: S. Auguſtinus eo loco verba duntaxat Proſperi, atque Hilarii repetit; eandem proinde locus ille explicationem admittit. Et vero S. Auguſtinus ſtatim poſt verba objecta probat adverſus Semipelagianos, ipſum fidei initium eſſe donum Dei, & negatum illud aſſerit ab iis, contra quos ſcribit. Quin in illo de *prædeſt. Sanct.* libro totus eſt, ut adverſus Semipelagianos demonſtret, gratiam eſſe neceſſariam ad initium fidei.

VII. *Objic. 2do.* Teſtimonia Semipelagianorum:

1mo. CaſſianusSemipelagianorum princeps *Collat.* 13. cap. 3. expreſſe affirmat, *non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum principium ex Deo eſſe, qui nobis & initia ſanctæ voluntatis inſpirat, & virtutem, atque opportunitatem eorum, quæ recte cupimus, tribuit peragendi.*

2do. Gennadius pariter Semipelagianus Lib. de *Eccleſiaſticis dogmatibus* cap. 19. ait: *Manet itaque ad quærendam ſalutem arbitrii libertas, id eſt, rationalis voluntas, ſed admonente prius Deo, et invitante ad ſalutem.* Et cap. 21. docet: *initium ſalutis noſtræ Deo miſerante nos habere; ut vero aquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ eſſe poteſtatis.*

3tio. S. Auguſtinus in libris ante Epiſcopatum ſcriptis, cum adhuc Semipelagianorum errore implicitus eſſet, ſæpe agnovit gratiam, quæ præveniat omne fidei ac bonæ voluntatis initium, ut probat Janſenius Lib. 8. de hæres. Pelag. c. 4.

Reſp. ad 1mum: Eam Caſſiani ſententiam catholicam eſſe. Sed obſervat S. Proſper Lib. *contra Collatorem* cap. 2. in ea firmum diu non fuiſſe Caſſianum. *Cito,* inquit, *a ſententia ſua inſtabili levitate diſſentit.... Doctor Catholice, cur profeſſionem tuam deſeris?.... quod in potentibus, quærentibus, pulſantibusque miraris, cur non eidem gratiæ, quæ deſideratur, adſcribis? Vides bonos conatus, pia ſtudia, & dubitas eſſe dona Dei?* Commendat itaque S. Proſper Caſſianum, quando hic confitetur, initia actuum ac cogitationum bonarum eſſe a gratia; accuſat vero eundem, ut a fide Catholica aberrantem, dum ab hac ſua confeſſione recedit. Ceterum cum dicit Caſſianus, Deum in cor noſtrum inſpirationes immittere, plerumque intelligit inſpirationis nomine ſolam doctrinam externam. Certe *Collat.* 13. cap. 4. id videtur innuere, cum adducit exemplum Abrahæ, qui voce divina excitus de terra ſua exivit; et S. Antonii, qui audita ea Evangelii ſententia, *qui non odit patrem & matrem &c.* cuncta ſtatim abdicans Chriſtum ſecutus eſt.

Ad

Ad 2dum : Si ſincera ea eſt Gennadii Maſſilienſis confeſſio, Semipelagianus tantum fuit factione, non dogmate, in eo ſaltem loco, qui hic objicitur. Sed ſunt, qui velint, Gennadium reſipuiſſe depoſitis Semipelagianorum erroribus, antequam ſcriberet librum de Eccleſiaſticis dogmatibus. Quidam ajunt librum hunc, qui extat inter opera S. Auguſtini, non eſſe Gennadii, ſed alterius Authoris Catholici. Sane liber hic laudatur ab Adriano I. in Epiſt. 3. ad Carolum Magnum; & ab homine a Pelagianorum & Semipelagianorum erroribus alieno exaratum eſſe, vel ex prima ejus lectione fit manifeſtum.

Ad 3tium: Non aliter S. Auguſtinus fuit in ſententia Semipelagianorum, ut ipſe ait Lib. 1. *Retract.* c. 23. & Lib. de *prædeſt. Sanct.* c. 3. quam quia *fidem non putabat Dei gratia præveniri .... niſi quia credere non poſſemus, ſi non præcederet præconium veritatis: ut a prædicato nobis Evangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe* arbitrabatur: Hunc autem errorem non in omnibus ſuis operibus ante Epiſcopatum ſcriptis tradidit, ſed in nonnullis tantum; & hæc inter appellat duntaxat expoſitionem quarundam propoſitionum ex Epiſtola ad Rom. nec non epiſtolam ſuam 49. quæ eſt ad Presbyterum *Deogratias*. Ex eo igitur, quod in reliquis operibus ante Epiſcopatum conſcriptis, ex quibus teſtimonia profert Janſenius, ſæpe agnoſcat Auguſtinus gratiam, cui fidei & bonæ voluntatis initium tribui debeat, male arguitur, Semipelagianos quoque eandem gratiam agnoviſſe. Neque enim operibus illis S. Doctor Semipelagianiſmum docuit, aut profeſſus eſt; quin potius Lib. 1. *Retract.* ubi recognoſcit opera a ſe ante Epiſcopatum conſcripta, in libris *octoginta trium quæſtionum, de Quantitate animæ &c.* ex quibus Janſenius teſtimonia colligit, & refert, nihil ejus generis dignum emendatione notat Auguſtinus.

VIII. *Objic. 3tio.* Semipelagiani ultro admiſerunt in homine lapſo gratiam illam, quam S. Auguſtinus in homine ſano agno-

agnoſcebat. Atqui S. Auguſtinus in homine ſano agnoſcebat gratiam ad ipſum ſalutis initium neceſſariam, ſed quæ non eſſet natura ſua efficax. Ergo eandem etiam agnoverunt Semipelagiani: atque adeo in eo non erant hæretici, quod talem gratiam rejicerent, ſed quod vellent indifferentem, verſatilem, libero voluntatis arbitrio ſubditam, nec diſtinctam ab ea gratia, qua opus habuit homo ſanus, Adamus nempe innocens.

Prob. inprimis *maj.* S. Hilarius Epiſt. ad Auguſt. de Semipelagianis loquens, *moleſte*, inquit, *ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perſeverantiam, non qua fieret, ut perſeveraret, ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poſſet; nunc vero Sanctis in regnum per gratiam prædeſtinatis non tale adjutorium perſeverantiæ detur; ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur.* Quam quidem diviſionem gratiæ in gratiam hominis innocentis, & gratiam hominis lapſi, ægre admodum ferebant, non quod exiſtimarent, gratiam Adamo non fuiſſe conceſſam, ſed quia credebant, eandem ſufficere homini lapſo; & gratiam medicinalem ſanantem, inſuperabilem & invincibilem, quam Auguſtinus docebat, cum humani arbitrii libertate conciliari non poſſe.

Prob. etiam *min*: S. Auguſtinus amplum iſtud ſtatuit diſcrimen inter gratiam utriusque ſtatus, naturæ ſcilicet innocentis, & lapſæ, quod gratia prior ſufficiens duntaxat fuerit, verſatilis, libero voluntatis arbitrio permiſſa; gratia vero hujus ſtatus invincibiliter, & inſuperabiliter determinet voluntatem ad bonum. Diſcrimen iſtud fuſe proſequitur S. Doctor Lib. *de corrept. & grat.* cap. 12 *Subventum eſt igitur*, inquit num. 38. *ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur. . . . . Fortiſſimo* (Adamo) *dimiſit atque permiſit facere, quod vellet; infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſime, quod bonum eſt, vellent, & hoc deſerere invictiſſime nollent. Ergo.*

Reſp. Neg. Mai. Ad prob. maj. dicendum eſt, diſcrimen

men

ſcrimen illud gratiæ aſſignatum pertinere ad gratiam perſeverantiæ finalis, ad gratiam interiorem actualem, quæ neceſſaria eſt ad omne opus ſalutis etiam inchoandum. Moleſte autem ferebant Semipelagiani diviſionem illam gratiæ, quia perſeverantiam finalem nolebant eſſe donum Dei. *Reſpondent illi* (ait S. Auguſtinus Lib. *de dono perſever.* cap. 21. quem contra eos propterea ſcripſit,) *ita nos a nobis habere initium fidei, ſicut finem.* Ceterum illud unum admittebant Semipelagiani diſcrimen inter Adamum innocentem, & ejus poſteros quoad neceſſitatem gratiæ, quod Adamus poſſet inchoare ipſum opus bonum ſolis viribus ſuis, nos vero ſolum fidei initium a nobis habere poſſimus, ut conſtat ex citata Epiſt. S. Hilarii, *in hoc ſolo*, ita proſequitur vir Sanctus, *volunt a primo homine diſtare omnium naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, ſine qua perſeverare non poterat: hos autem ammiſſis & perditis viribus credentes tantum, non ſolum erigat proſtratos, verum etiam ſuffulciat ambulantes.* Ergo illud unum agnoſcebant diſcrimen inter Adamum innocentem, & ejus poſteros, quod ille plus poſſet ſolis naturæ viribus, quam poſteri ejus poſſint.

Ad prob. Min. Neg. aſſertum. Diſcrimen namque gratiæ utriusque ſtatus ex mente S. Auguſtini in eo eſt, quod naturæ innocenti ſuffecerit gratia illuminationis, quæ ab Auguſtino dicitur auxilium *ſine quo*, naturæ vero lapſæ neceſſaria ſit gratia voluntatis, ob infirmitatem, quam ex peccato primi parentis contraxit, ut nos deinde oſtendemus. *Si enim*, ait S. Doctor Lib. & cap. citato, *in tanta infirmitate vitæ hujus ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent, ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent.*

Porro argumentum Adverſariorum in eos retorqueri poteſt hoc modo: Gratia, quam Semipelagiani neceſſariam eſſe negabant ad initium fidei, atque ſalutis, ea ipſa erat, quam confitebantur eſſe neceſſariam ad bonum opus. Atqui gratia, quam confitebantur eſſe neceſſariam ad bonum opus, non erat re ipſa efficax, & irreſiſtibilis. Ergo gratia, quam neceſſariam eſſe negabant ad initium fidei, & ſalutis, non eſt gratia natura ſua efficax, & irreſiſtibilis. *Maj.* hujus argumenti ultro admittitur. *Min. prob.* Gratia, quam Semipelagiani neceſſariam confitebantur ad bonum opus, ejuſdem erat generis, cujus gratia Adamo innocenti data, ex loco S. Hilarii, quem nobis objiciunt, intellecto ad ſenſum objectionis. Atqui gratia Adamo innocenti data ad perſeverandum non fuit ſe ipſa efficax, & irreſiſtibilis, ut omnes conſentiunt. Ergo. &c.

Conſectaria.

IX. EX iis, quæ de Pelagiano, ac Semipelagiano dogmate hucuſque diſputavimus, ſatis conſtare arbitror, qui ſint utriusque Sectæ, ac qui cujuſque proprii circa gratiæ neceſſitatem errores. Illud nempe inter partis utriusque ſequaces potiſſimum interfuit, quod Pelagiani gratiam nullam Chriſti partam meritis, ac *medicinalem* ad ſingulos ſalutares actus neceſſariam adhiberent, niſi partim extrinſecus inſonantem auribus, hoc eſt legem, Doctorum prædicatione ac voce pulſantem: partim interius illuſtrantem; ſed hanc utilem duntaxat ad facilius operandum, minimeque neceſſariam. Semipelagiani vero utramque neceſſariam eſſe judicaverunt, ita tamen, ut ante poſteriorem iſtam, quæ & interior, & *actualis* vulgo dicitur, homo aliquid ex ſe ſe, ſoliſque naturæ viribus poſſet, cujus non tam merito, quam diſpoſitione quadam neceſſariæ illius gratiæ compos fieret. Hic itaque veluti cardo Semipelagiani dogmatis, & limes inter illos interjectus eſt: quod Pelagiani nullum

lum necessarium esse putaverint ad salutariter agendum gratiæ adjutorium; & eam, quam admittebant qualemcunque gratiam, voluntatis humanæ meritis, naturæ industria partis, acquiri arbitrati sint. Semipelagiani vero, nonnisi *voluntariam devotionem*, ut Prosper loquitur in sæpe laudata Epist. ad August. sive *credendi voluntatem*, vel fidem initialem, sive *sanitatis, ac medici desiderium*, ut Hilarius indicat, antecedere dicebant, & a nobis ipsis esse.

Hanc credendi voluntatem, ac remedii cupiditatem, fidem nonnunquam absolute nominat Augustinus; quatenus fides ex utroque componitur, assensione nempe mentis, & credulitatis affectu, qui in voluntate consistit. Nemo enim nisi volens ad credendum adducitur: siquidem credere, venire, aut non venire in arbitrio est voluntatis, ut sæpe Augustinus affirmat Lib. *de prædest. Sanct.* cap. 5. sed illud ipsum, quod est *credere*, vel fides dupliciter accipi potest: alia nempe est fides perfecta, alia imperfecta. De utraque memorabilis est locus Augustini eodem Lib. cap. 7. ubi Cornelium Centurionem, antequam Christum agnosceret, talem fuisse scribit, ut de eo dici posset: *Ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet. Cujus acceptæ sunt eleemosynæ, & exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum. Nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.* Igitur alia fuit Cornelii fides, antequam Petrus ad eum venisset, alia postquam ab eodem Apostolo nuntiatus est illi Christus. Prior nempe inchoata & imperfecta, posterior vero perfecta & consummata: sed utraque donum Dei fuit; contra quam assererent Semipelagiani, fidem illam inchoatam, sive fidei desiderium nequaquam imputandum esse gratiæ, contendentes.

X. Illud præterea controversiæ caput Augustinum inter, ac Semipelagianos, quod in natura, & qualitate gratiæ positum

est, hoc loco considerandum occurrit: quod isti gratiam Christi in sola mentis illustratione sitam esse vellent, sine ulla motione voluntatis; Augustinus vero hanc posteriorem maxime Christi esse gratiam arbitratus sit. In quo quid a Pelagianis discrepent, jam abunde declaratum est: nimirum sic eam mentis illustrationem divinitus immissam Pelagianos admisisse, ut hanc minime necessariam, sed utilem duntaxat crederent; Semipelagianos autem gratiam illam prorsus esse necessariam judicasse, ut absque ea perveniri non posset ad justitiam, & salutem.

XI. Quanquam etiam inter Catholicos non desint Theologi, qui, quam gratiam Christi dicimus, eam sola mentis, sive intellectus illustratione definiunt; alteram autem, quæ in motione sita est voluntatis, qualiscunque ea sit, de quo se pronuntiare non posse ajunt, sicut valde utilem agnoscunt, ita absolute necessariam videri negant. Quorum tamen doctrina a Semipelagiano dogmate eatenus distat, quod ab illa mentis illustratione redundare aliquid in voluntatem asserant, ex quo indeliberata quædam motio excitetur. Qua in re notari debet, gratiam Christi non solum a Pelagio, & huic ex parte adhærentibus Semipelagianis; verum etiam ab Augustino, ejusque discipulis Catholicis sæpe *doctrinæ* voce comprehendi: sed aliter isti, & aliter illi *doctrinæ* vocabulum interpretantur. Nam Pelagius, ut sæpe jam diximus, doctrinam ejusmodi, quæ ad recte agendum necessaria est, nonnisi legem, & Evangelicam doctrinam extrinsecus insonantem esse putavit; ex abundanti vero, & ad majorem solum agendi facilitatem illustrationem mentis divinitus dari dixit; quæ ad externam legem atque doctrinam pertineret, solumque afficeret intellectum, nec affectum voluntatis excitaret, nisi improprie ac metaphorice; quemadmodum externa cohortatio, & eloquentis hominis oratio extrinsecus pulsando inflammare dicitur, & accendere audientium animos, ac studia. Contra vero Augustinus dissimili

li longe notione ac sensu gratiam *doctrinæ* vocabulo significatam intelligit. *Doctrinam* vel *suasionem* nonnunquam appellat, sed ejusmodi, quæ *ab illuminatione cordis* incipiens, ut ait Fulgentius Lib. de verit. Prædest. *ad appetitionem ac voluntatem pervenit.*

Complura sunt, & luculenta ejusdem testimonia, quibus id, quod modo agimus, ostendit, gratiam nempe Christi in certo doctrinæ, & illuminationis genere constitutam esse. Ut alia omittamus, in Libro *de grat. Chr.* cap. 8. contra Pelagium & Cœlestium, postquam ipsorum hæresim, ac legem, doctrinamque pluribus exposuit, ostenditque, cujusmodi gratiam illi confiterentur, *qua* nempe *demonstrat, & revelat DEus, quid agere debeamus; non qua donat, atque adjuvat, ut agamus:* deinceps quæ sit vera & Catholica *gratia* differit, ac demum cap. 13. ita subjungit: *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius & interius eam DEus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant, & rigant extrinsecus; sed etiam per se ipsum* &c. *Sic enim docet DEus eos, qui secundum propositum vocati sunt; simul donans & quid agant scire, & quod sciunt agere.* Nec omittendus est alius ejusdem locus ex Tractatu in Psalmum CXVIII. in quo efficientiam illam divinæ gratiæ ita complectitur: *Docet ergo DEus suavitatem, inspirando delectationem charitatis: docet disciplinam, temperando tribulationem: docet scientiam, insinuando cognitionem. Cum itaque alia sint, quæ ideo discimus, ut tantummodo sciamus: alia vero, ut etiam faciamus: quando DEus ea docet, sic docet, ut ea scienda sciamus, aperiendo veritatem: sic docet, ut facienda faciamus, inspirando suavitatem.*

XII. Hinc vero conficitur, eos, qui in sola mentis illustratione proxime gratiam consistere, sed ejus efficientiam etiam in voluntatis affectum derivari putant; dum ita necessariam illam esse statuant, ut sine *ea præveniente, homo credere, spe-*

rare, diligere, aut pœnitere non possit; sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, quemadmodum Tridentini Patres loquuntur Sess. VI. Can. 3. procul a Pelagiani, vel Semipelagiani erroris contagione abesse. Sane Augustinus, teste doctissimo Petavio Lib. *de Pelag. & Semipel. dogmatum historia* cap. X. nihil amplius inquirendum credidit in illa de gratia quæstione, nisi ut interiorem Christi gratiam, & inspirationem necessariam esse ad singulos actus profiterentur, qui inter Catholicos censeri cuperent. Cujusmodi vero efficientia illa esset gratiæ, & utrum solum illuminaret intellectum; an præterea voluntatem ipsam proxime permoveret, quove id modo faceret, nihil ad Catholicæ professionis integritatem ratus est pertinere. Quod summi Viri judicium cum Romanæ deinde Sedis Pontifices; tum synodalibus Decretis, quæ ea de re habita sunt Concilia comprobarunt. Ita laudatus Petavius.

CAPUT V.

De Necessitate gratiæ status Naturæ innocentis, & status Naturæ lapsæ propria ex mente Jansenii.

I. QUodnam gratiæ, seu auxilii genus datum, & necessarium fuerit Adamo innocenti, altera Dissertationis hujus parte decidemus. Quæritur duntaxat in præsenti, an admitti possit discrimen illud, quod constituit Jansenius inter gratiam actualem sanitatis, seu status naturæ innocentis, & gratiam medicinalem, seu status naturæ lapsæ; quod nempe illa fuerit duntaxat auxilium *sine quo non*, seu auxilium possibilitatis; hæc vero sit auxilium *quo*, seu auxilium actionis & voluntatis. Per quam quidem distinctionem auxilii *quo*, & *sine quo non*, si nihil aliud contenderet Jansenius, quam Adamum innocentem opus duntaxat habuisse ad bene agendum & per-

perseverandum auxilio gratiæ sufficientis, seu *sine quo*, non vero auxilio gratiæ efficacis, seu *quo*, si hoc, inquam, unum contenderet, nihil in eo, quoad præsens institutum, reprehendendum foret. Verum in pluribus hic maxime aberrat. 1*mo*. quod ex hac diversitate auxilii utriusque status inferat, non aliam in præsenti naturæ lapsæ statu dari gratiam, quam efficacem, seu auxilium *quo*; auxilium vero *sine quo non*, seu gratiam pure sufficientem rejiciendam esse. 2*do*. Quod per auxilium *quo* ejusmodi gratiæ efficaciam intelligat, quæ voluntatem in homine lapso antecedenter, & insuperabiliter determinet ad agendum, vel non agendum. 3*tio*. Quod auxilium *sine quo* confundat cum adjutorio possibilitatis, de quo tam diuturna fuit Catholicos inter atque Pelagianos contentio. Etenim, ut superius ostendimus, certum est, Pelagium nunquam admisisse ejusmodi auxilium possibilitatis, quod daret simpliciter posse agere, sed tantum ejusmodi, quod concèderetur ad facilius operandum: cum econtra Catholici, duce Augustino, per adjutorium possibilitatis, seu auxilium *sine quo* & sufficiens, illud intelligebant, quod esset necessarium non solum ad facilius, sed ad bene operandum simpliciter. 4*to* denique, quod ex eodem illo gratiæ utriusque status discrimine inferat Jansenius, gratiam & perseverantiam ita in libero Adami innocentis arbitrio positas fuisse, ut nec merita, nec perseverantia fuerint in statu naturæ innocentis specialia DEI dona.

Hos tamen, & alios ejusmodi consectarios Jansenianæ doctrinæ errores hic fusius non persequemur; sed de iis opportunius alibi, suo nempe quemque loco. Unam hic expendere in animo est gratiæ utriusque status distinctionem. Cui quidem occasionem, & locum dedit non tam doctrina S. Augustini in cap. 11. & 12. Lib. de *Correpț. & Grat.* quam abusus, quem fecit Calvinus doctrinæ his capitibus ab Augustino traditæ. Hoc ipsum discrimen inter gratiam utriusque status Cal-

Calvinus frequenter inculcat, præsertim *in antidoto Concil. Trid. ad Sess. VI.* cap. 6. & ad id probandum toties repetit decretorium illud testimonium ex Lib. de *Correpr. & Grat.* ubi nempe S. Doctor de duplici adjutorio differit. Calvinus autem id Lutheranis acceptum refert in *antidoto Decreti Sorbonici* ad articulum 2. Unde sequitur, basim istam ac fundamentum systematis Janseniani a Lutheranis, atque Calvino acceptam, qui soli hactenus in Augustino viderunt discrimen istud inter gratiam sanitatis, & gratiam medicinalem. Quod deinceps Jansenius Lib. de *Gratia primi hominis* cap. 17. dixit esse *clavim* totius doctrinæ S. Augustini adversus Pelagianos, *qua* nempe *aditus in scripta ejus aperitur ; & sine qua, qui ea molitur ingredi, velut cæcus palpabit in meridie :* esse *filum, sine quo e labyrintho scriptorum ejus* expedire se, ac extricare nemo poterit. Quapropter ubique fere distinctionem hanc obtrudit atque inculcat, utpote per quam duo præcipua erroris sui capita stabilire conatur. Operæ itaque pretium erit, hanc systematis Janseniani basim convellere, atque subruere.

ASSERTIO UNICA.

Fictitium, & doctrinæ Catholicæ contrarium est discrimen, quod assignat cum Calvino Jansenius inter gratiam actualem interiorem utriusque status.

II. PRob. Fictitium & doctrinæ Catholicæ contrarium est illud gratiæ utriusque status discrimen, quod nullum habet in scripturis fundamentum ; quod pugnat cum doctrina Augustini ; & ex quo sponte sua fluunt quinque hæreses Jansenianæ. Atqui tale est istud discrimen. Ergo. *Min. prob.* per partes.

Primo. Ea ipsa Scripturæ loca, quibus maxime nititur Iansenius, eidem minime favere videntur. Etenim locus Apostoli

ſtoli ad Rom. cap. 5. v. 5. *Charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, quo Janſenius Lib. 1. de Stat. Nat. puræ cap. 9. probat, *non poſſe Deum a creatura diligi, niſi ejus dilectio divinitus inſpiretur; & dilectionem Dei eſſe donum liberalitatis Dei;* ille, inquam, ipſe locus intelligitur ab Auguſtino de SS. Angelis Lib. 2. *de Civit. Dei* cap. 9. Ig tur ex hoc Apoſtoli loco per S. Auguſtinum expoſito Sanctis Angelis data eſt gratia, quæ charitatem inſpiraret, & in eis dilectionem Dei efficaciter operaretur. Ergo erat in ſtatu naturæ ſanæ gratia, quæ operabatur vellē: atque adeo gratia, quæ dat velle, non ita eſt propria ſtatus noſtri, ut in ſtatu naturæ integræ locum non habuerit.

Alter Apoſtoli locus Epiſt. ad Philipp. cap. 2. *DEus operatur in nobis velle*, in quo Janſenius ſuam gratiam neceſſitantem exprimi, ſolumve ſtatum naturæ lapſæ intelligi putat, applicatur pariter ab Auguſtino voluntati Adami innocentis Lib. 5 *Operis imperfecti* cap. 57. nec non Lib. 8. *de Geneſi ad litteram.* Itaque verba illa Apoſtoli exprimunt gratiam efficacem; gratiam, quæ facit velle, quæ voluntatem inclinat &c. Atqui verba illa non minus conveniunt gratiæ ſtatus prioris ex Auguſtino, quam gratiæ ſtatus noſtri. Ergo falſum eſt, hoc charactere gratiam medicinalem ſecerni a gratia ſanitatis.

Denique verba illa Apoſtoli ad Epheſ. cap. 2. *gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, DEI enim donum eſt: non ex operibus, ut ne quis glorietur, ipſius enim factura ſumus;* ubi Calvinus, Janſenius, & Queſnellus propos. 23. 24. 52. vident gratiam irreſiſtibiliter neceſſitantem; verba, inquam, illa, interprete S. Auguſtino, deſignant gratiam efficacem, quæ facit voluntatem agere, & ſua ei dat merita. Atqui S. Doctor eadem verba applicat Adamo innocenti Lib. 8. *de Gen. ad lit.* cap. 12. eiſdemque probat, merita hominis innocentis fuiſſe dona DEI. Ergo gratia efficax non ita eſt propria ſtatus noſtri, ut in ſtatu naturæ integræ locum non habuerit. Igitur

tur discrimen Jansenianum inter gratiam utriusque status ex adductis Scripturæ locis minime probatur: neque ullum alium adduxere hactenus Janseniani, aut adducere unquam poterunt, in quo aliquod distinctionis hujus fundamentum habeatur.

III. *Secundo.* Discriminis illius nullum quoque extat vestigium apud S. Augustinum in Lib. *de Corrept. & Grat.* cap. 11. & 12. unde tamen maxime illud evincere nititur Jansenius. Nam ut discrimen istud locum habeat, oportet, nullam fuisse in priore statu gratiam actualem interiorem præter auxilium *sine quo non*, & nullam esse in nostro statu gratiam interiorem præter auxilium *quo*; ut revera sentit, ac docet Jansenius: alioquin status alter ab altero non discerneretur ratione gratiæ. Atqui S. Augustinus cap. 11. & 12. Lib. *de Corrept. & Gr.* id minime significat. Docet quidem S. Doctor eodem loco, primum hominem habuisse auxilium, quocum posset perseverare: sed nullibi docet, solum illud possibilitatis auxilium datum fuisse in statu naturæ innocentis. Et vero Adamus innocens aliquid boni egit; & Angeli boni perseverarunt. An porro ad bene agendum, & ad perseverandum illi acceperunt solum auxilium possibilitatis? Id certe non docet Augustinus in locis, quæ nobis objiciuntur: contrarium vero docet in locis pluribus, quæ superius adduximus. Denique si etiam data fuisset Adamo ad perseverandum gratia meræ possibilitatis, non sequitur, gratiam status illius inde distingui a gratia status nostri. Nam sunt & in statu nostro gratiæ, quæ dant meram perseverantiæ possibilitatem; quod aperte docet Augustinus in eodem hoc libro de *Corrept. & Gr.* cap. 1. N. 11. ubi afferit, justum, qui cadit, perseveraturum, si voluisset: *O homo*, inquit, *in eo quod audieras, & tenueras, in eo perseverares, si velles.* Ergo gratia, quæ dat meram possibilitatem perseverandi, non est propria status prioris. Igitur discriminis Janseniani inter gratiam utriusque status nullum habetur vestigium apud S. Augustinum in objectis nobis locis ex Lib. *de Corrept. & Grat.*

IV.

IV. Quin pugnant cum Doctrina Augustini characteres gratiæ actualis utriusque status, quos assignant Janseniani: Primus namque character a Calvino, & Jansenio assignatus, est, quod altera daret tantum posse; hæc vero non posse tantum, sed & velle, & agere. Secundus notatus a Jansenio Lib. 2. *de Grat. Christi* C. 8. & Lib. 9. C. 16. est, quod cum gratia prioris status homo discerneret se ipsum, gratia vero nostri status ipsa homines discernat: quatenus nempe illa subjecta erat libero arbitrio, hæc liberum arbitrium sibi subjiciat. Idem dixerat Calvinus Lib. 2. *Instit.* c. 3. & c. 7. item Lib. 3. c. 24. Unde concludunt Janseniani, Adamum innocentem, & Angelos potuisse in se ipsis gloriari de suis meritis, quæ fuerunt liberi arbitrii merita. Tertius character positus a Quesnello *Propos.* 10, & 12. est, quod gratiæ status nostri nihil resistat, nec possit resistere; alioquin, inquiunt Novatores, DEus non esset omnipotens. Atqui characteres ejusmodi gratiæ utriusque status manifeste adversantur doctrinæ S. Augustini. Ergo.

Imprimis namque passim docet S. Doctor, DEum in homine, & Angelis operatum esse bonum velle. Sic Lib. 12. *de Civ. DEI* c. 9. hanc quæstionem pertractat: An sancti Angeli DEum habuerint Auctorem bonæ voluntatis, per Spiritum S. charitate in eis diffusa? quæ voluntas non est tantum facultas volendi, neque est charitas habitualis, aut gratia sanctificans, quam extra dubium est, esse a Spiritu S. Ergo quæstio procedit de bono actu voluntatis. Et sic voluntatem accipi ab Augustino in libris de *Civ. DEI* docet ipse Jansenius lib. 1. de *statu naturæ puræ* c. 19. & Lib. de *gratia primi hominis* c. 11. Respondet autem Augustinus, etiam in opinione eorum, qui dicebant, Angelos fuisse aliquantulo tempore sine illa bona voluntate, eos non fecisse hanc in se ipsis voluntatem, nisi operante adjutorio Creatoris. Ergo aliqua gratia primi status operabatur bonam voluntatem. Et rursus Lib. 14. de *Civ. DEI* c. 11. sic loquitur Augustinus: *Fecit itaque DEus homi-*

nem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ. . . . . Bona igitur voluntas est opus DEI: cum ea quippe factus est homo. Denique Lib. 5. *operis imperfecti* c. 57. dicenti Juliano hominem a DEO conditum fuisse cum sola possibilitate boni, objecit Augustinus, in ea opinione hominem se ipsum fecisse bonum: & contra statuit, DEum dedisse homini gratiam, qua bonus esset. Atque ut cogeret Julianum hanc veritatem confiteri, sic urget ex sacris literis: *Quomodo verum erit, fecit DEus hominem rectum? An rectus erat non habens bonam voluntatem, sed ejus possibilitatem. Ergo & pravus erat non habens bonam voluntatem, sed ejus possibilitatem; & a se ipso illi est voluntas bona, falsumque scriptum est:* præparatur voluntas a Domino; *Et:* DEus operatur in nobis & velle. Neque dubitare licet, quæstionem hic esse de homine innocente; atque de bona voluntate, quæ est in homine, cum bene utitur libero arbitrio, & quam non habet, cum adest sola possibilitas volendi bene, & de qua dicitur, *DEus est, qui operatur in nobis velle;* quæ Apostoli verba novi isti Augustiniani clamant, non posse intelligi, nisi de actu voluntatis. Atqui ex S. Augustino hanc bonam volitionem in primo homine DEus operatus est; alioquin homini *a se ipso est bona voluntas, falsumque scriptum est:* DEus in nobis operatur velle. Ergo in illo statu erat gratia, quæ dabat bonum velle. Male igitur Jansenius Lib. 9. *de grat. Chr.* c. 14. asserit, Augustinum nunquam voluntatibus Angelorum, aut primi hominis applicuisse verba illa Apostoli: *DEus operatur in nobis velle.*

Contra alterum characterem est, quod S. Augustinus dicat, Angelos a DEO discretos fuisse, quemadmodum dicit homines bonos, & malos DEum discernere. Nam Lib. 11. *de Civ. DEI* c. 19. illud genesis c. 1. v. 4. *divisit DEus lucem a tenebris*, ait explicari posse de discretione bonorum Angelorum a malis. *Non mihi*, inquit, *videtur ab operibus DEI absurda sententia, si cum lux illa prima facta est, Angeli creati intelligan-*

gantur, *& inter SS. Angelos & immundos discretum fuisse*, *ubi dictum est:* & divisit DEus inter lucem, & tenebras. Lib. autem *Confess.* 18. c. 14. sic habet. *Sumus filii lucis. . . . non filii tenebrarum. . . . inter quos*, *& nos tu solus dividis*, *qui vocas lucem diem*, *& tenebras noctem. Quis enim nos discernit? quid autem habemus*, *quod non acceperimus?* Ex comparatione utriusque hujus loci manifestum fit, S. Augustinum iisdem verbis exprimere discretionem Angelorum in statu naturæ innocentis, & discretionem hominum in statu naturæ lapsæ; & utramque perinde tribuere divinæ operationi. Ergo agnovit S. Doctor in utroque statu gratiam bonos a malis discernentem. Præterea *Enarratione in Psal.* 32. N. 4. in hæc verba: *Verbo Domini* Cæli *firmati sunt*, *& spiritu oris ejus virtus eorum*, sic loquitur de Angelis: *non a se sibi solidamentum fecerunt*, *nec ipsi Cæli firmitatem sibi propriam præstiterunt . . . . non habuerunt aliquid ex se . . . . spiritu enim oris ejus non pars*, *sed omnis virtus eorum.* Deinde S. Doctor eadem verba in eundem sensum explicat de Apostolis. Atqui gratia dedit Apostolis perseverantiam, & perseverantes Apostolos discrevit a non perseverantibus. Ergo eadem gratia dedit etiam Angelis perseverantiam, & perseverantes Angelos discrevit a non perseverantibus.

Denique tertius etiam gratiæ character a Quesnello assignatus pugnat cum doctrina Augustini. Etenim S. Doctor gratiam in utroque statu perinde omnipotentem fuisse docet; ac proinde ex illa victricis gratiæ omnipotentia non potest peti discrimen gratiæ utriusque status. Et vero dicit Augustinus Lib. *de Corrept. & Grat.* c. 14. DEum *habere humanorum cordium*, *quocunque voluerit*, *inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Ex quibus verbis concludit Calvinus Lib. 6. de *libero arbitr.* & Jansenius Lib. 2. *de gratia Chr.* c. 24. gratiam medicinalem propriam hujus status non posse carere suo effectu. Sed ista ratio vel nihil evincit pro gratia hujus sta-

 tus,

tus, vel perinde evincit pro gratia ſtatus prioris. Diſerte enim docet S. Auguſtinus Lib. 11. *de Civ. DEI* c. 9. DEum *potuiſſe voluntatem Adami & Evæ convertere in bonum, ſed noluiſſe.* Nec enim DEus minus omnipotentem habuit poteſtatem in voluntatem hominis innocentis, quam in voluntatem hominis lapſi. Ergo æque omnipotens fuit gratia ſtatus prioris, quam noſtri; alioquin DEus non potuiſſet Adamum & Evam in bono reddere ſtabiles, quod potuiſſe DEum aſſerit Auguſtinus. Deinde Janſenius probat gratiæ utriusque ſtatus diſcrimen ex illis Auguſtini verbis Lib. *de Correpr. & Grat.* c. 14. *cui volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium.* Et iſtis: *non eſt dubitandum voluntati DEI, quæ in Cœlo & in terra omnia, quæcunque voluit, fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minus faciat ipſe quod vult.* Atqui iſtud pariter ad Angelos pertinet ex mente ejusdem Auguſtini: nam *Enchyridii* c. 95. *DEus noſter*, inquit, *in Cœlo & in terra omnia, quæcunque voluit, fecit.* Et ne quis iſtud ad ſolos homines traduceret, addit paulo poſt c. 96. *Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quidquid vult, poteſt; nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus*: ergo nec Angelorum voluntate. Manifeſtum igitur eſt, Angelis non ſecus atque hominibus convenire illud Auguſtini effatum: *Volenti ſalvum facere nullum reſiſtit arbitrium.* Ergo gratia prioris ſtatus perinde fuit omnipotens, ac gratia ſtatus noſtri. Patet itaque, dictos gratiæ characteres, a Calvino, Janſenio, & Queſnello aſſignatos Auguſtini doctrinæ manifeſte adverſari.

V. *Tertio* tandem ex diſcrimine Janſeniano gratiæ utriusque ſtatus conſequuntur quinque illæ famoſæ Janſenii propoſitiones, damnatæ ab Eccleſia, ut hæreticæ.

Nam 1*mo* iis omnibus, qui transgrediuntur aliquod DEI mandatum, deeſt gratia efficax, ſeu gratia, quæ dat velle & agere. Atqui nulla eſt in hoc ſtatu noſtro gratia niſi efficax,

quæ

quæ dat velle & agere : gratia enim, quæ dat tantum posse, solius propria fuit status naturæ innocentis. Ergo ejusmodi hominibus deest gratia, qua possibile fiat præceptum, quod transgrediuntur : atque adeo DEI præcepta hominibus etiam volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia ; quæ est prima propositio Janseniana.

2do. Resistere gratiæ interiori, est eam privare effectu, quem potest producere in circumstantiis, in quibus datur, & propter quem datur. Atqui id non potest contingere, si character proprius gratiæ hujus status sit, quod operetur invincibiliter velle : vel enim in circumstantiis illis est fortior, quam opposita concupiscentia ; & tunc infallibiliter operatur velle perfectum, facitque observare præceptum : vel est debilior ; & tunc operatur infallibiliter velle inchoatum, & imperfectum, qui solus est effectus, quem potest gratia in his circumstantiis producere, & propter quem datur. Ergo evidens est, in statu naturæ lapsæ nunquam interiori gratiæ resisti ; quæ est secunda propositio Janseniana.

3tio. Si non potest in hoc statu interiori gratiæ resisti, manifestum est, eam invincibiliter operari consensum voluntatis. De fide autem est, gratiam esse necessariam ad omne opus bonum. Ergo in hoc statu nihil fit boni, nisi per gratiam irresistibilem. Ergo non meremur in hoc statu, nisi per gratiam irresistibilem. Ergo libertas indifferentiæ non est necessaria in hoc statu ad merendum, nec proinde ad demerendum ; quæ est tertia propositio Janseniana.

4to. Si gratia omnis in hoc statu est irresistibilis, & hæc est doctrina S. Augustini contra Pelagianos, sequitur, gratiam, quæ suam relinquit voluntati electionem, & cui voluntas potest suum dare, vel non dare consensum, non esse gratiam hujus status, sed pertinere ad statum naturæ innocentis. Ergo Pelagiani fuerunt nihilominus hæretici admisso ejusmodi auxilio, cui voluntas posset consentire, vel dissentire ; quæ est quarta propositio Janseniana.

5to.

5to. Reprobo nulli datur gratia salutis: hoc evidens est. Atqui in hoc statu nostro nulla est gratia, quæ det meram possibilitatem salutis, nec ipsam det salutem. Ergo nulli reprobo datur possibilitas salutis. Ergo omnibus reprobis impossibilis est salus. Ergo Christus nulli reprobo meritus est media salutis sufficientia, nec pro æterna ullius reprobi salute sanguinem fudit; quæ est quinta propositio Janseniana.

Quod si igitur Jansenianum inter gratiam utriusque status discrimen nullum habet in Sacris Litteris fundamentum, si pugnat cum doctrina S. Augustini, si ex eo insuper famosæ illæ Jansenii propositiones consequuntur; haud immerito inferimus, discrimen istiusmodi non modo fictitium esse, sed & Catholico dogmati aperte contrarium.

Respondetur ad Objecta.

VI. OBjic. S. Augustinus inter adjutorium, quod datum est primo homini ad perseverandum, & adjutorium, quod nunc datur per Christum, amplum statuit discrimen; quod fuse prosequitur Lib. de *Corrept. & Gr.* toto cap. 11. & 12. Atqui discrimen illud, si S. Doctoris sententiæ rite expendantur, non in alio constitui videtur, quam quod adjutorium prioris status det possibilitatem, adjutorium vero status nostri det etiam volitionem ipsam, & actionem; quod illud fuerit gratia sufficiens libero voluntatis arbitrio permissa; istud sit gratia invincibiliter, & insuperabiliter determinans voluntatem &c. Ergo.

Prob. min. Inprimis Cap. 11. N. 33. S. Doctor adjutorium alterum alteri opponit, & oppositionem constituit in eo, quod *nunc adjutorium tanto amplius detur, ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus*, quemadmodum adfuit Adamo; verum *etiam tale ac tantum, ut velimus.* Idem docet Num. 31. *Hæc prima*, inquit, *est gratia, quæ data est pri-*

primo Adam ; sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima enim est, qua fit, ut homo habeat justitiam, si velit. Secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit. Et cap. 12. N. 34. postquam exposuit, quid sit adjutorium, sine quo aliquid non fit, & quid adjutorium, quo aliquid fit ; ita concludit : *Primo itaque homini datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret ; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis in Regnum DEI prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ datur ; sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur.* Et Cap. eodem N. 38. *DEus Sanctis suis non solum dat adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare, si velint ; sed in eis etiam operatur & velle . . . tantum quippe Spiritu S. accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt ; ideo sic velint, quia DEus operatur, ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus . . . ipsis relinqueretur voluntas sua, ... inter tot & tantas tentationes, infirmitate sua voluntas ipsa succumberet . . . . Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur . . . . Fortissimo* (Adamo) *dimisit, atque permisit facere, quod vellet : infirmis servavit, ut ipso donante invictissime quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent.*

Ex his vero ita argumentari licet : S. Augustinus gratiam sanitatis opponit gratiæ medicinali. Hanc dicit esse illa potentiorem ; & ideo potentiorem, quod per eam fiat, non tantum ut homo possit, sed etiam ut velit. Adjutorium status nostri tale esse docet, ut eo dato detur idipsum, propter quod datum est ; & per ipsum DEum operari non tantum posse, sed & velle. Asserit homines per gratiam medicinalem ideo posse, quia volunt ; ut proinde hæc gratia non det potestatem, nisi quia dat actionem, & actio prius intellligatur, quam potestas agendi, quod non convenit gratiæ sanitatis. Denique aperte dicit : gratiam hujus status non relinquere hominibus

ſuam voluntatem, ſed *inſuperabiliter* eo auxilio hominem agi, ita, ut bonum non poſſit deſerere. Ergo S. Auguſtinus diſcrimen inter gratiam utriusque ſtatus in eo conſtituit, quod gratia prioris ſtatus ſufficiens tantum fuerit, gratia vero ſtatus noſtri ſit efficax; illa dederit ſolam poſſibilitatem, hæc det velle, & agere; illa fuerit ſubjecta libero arbitrio, hæc ſibi liberum arbitrium ſubjiciat.

Reſp. Conc. maj. Neg. min. Ex eo namque, quod S. Doctor adjutorium datum Adamo ad perſeverandum opponat adjutorio, quod nunc datur ſanctis prædeſtinatis, qui perſeverant; quod hoc dicat eſſe illo potentius; iſtud nunquam conferri, quin detur ipſa voluntas & actio &c. ex eo, inquam, ſolum ſequitur, gratias dari diverſi generis; alias mere ſufficientes, alias efficaces; ſufficientem, non efficacem datam eſſe Adamo ad perſeverandum; efficacem vero dari ſanctis adultis, qui perſeverant; quod utique verum eſt. Minime vero exinde ſequitur, nullam fuiſſe gratiam actualem in priori ſtatu, niſi qualis data eſt Adamo ad perſeverandum; & nullam eſſe in noſtro ſtatu, niſi qualis datur ad perſeverandum juſtis, & ſanctis prædeſtinatis in Regnum DEI; quod utrumque probandum foret Adverſariis: ſed nunquam certe probabitur, quia utrumque falſum eſt, & alienum a doctrina S. Auguſtini, & Eccleſiæ Catholicæ. Characteres igitur, quibus S. Doctor auxilium utrumque deſignat, & qui in objectione adferuntur, minime evincunt diſcrimen illud Janſenianum inter gratiam utriusque ſtatus.

VII. *Inſt.* Non poteſt intelligi, quodnam fuerit auxilium illud *ſine quo non*, quod ſolum Adamo datum aſſerit S. Auguſtinus; quodnam vero auxilium *quo* proprium ſtatus noſtri, niſi illud dicatur eſſe gratia actualis ſufficiens tantum, & reſiſtibilis; altera vero efficax, & irreſiſtibilis. Ergo.

Reſp. Auguſtinum nullibi dicere, ſolum illud auxilium *ſine quo non* datum eſſe Adamo; ſed illud ſolum ipſi datum eſſe ad

ad perseverandum per impositi præcepti observantiam, cui annexa erat conservatio donorum Posteris transmittenda.

Quis vero non intelligit, hæc duo esse diversa, nullum nisi mere sufficiens adjutorium Adamo datum esse ad observationem talis præcepti in talibus circumstantiis; & nullum nisi mere sufficiens adjutorium unquam esse datum Adamo, vel Angelis in statu naturæ innocentis. Primum dixit Augustinus, non item alterum. Quemadmodum etiam nusquam asseruit, auxilium *quo* esse ita proprium nostri status, ut nullum aliud auxilium adsit in hoc statu nostro ad quodcunque opus salutare; aut quod auxilium efficax nunquam datum fuerit in statu naturæ innocentis. Declarat duntaxat S. Doctor, auxilium illud *quo* dari omnibus, & solis prædestinatis ad Regnum Cœlorum in hoc statu nostro; non autem, nullum aliud prædestinatis conferri per totam eorum vitam, vel nullum conferri hominibus non prædestinatis, quod ipsis veram det salutis possibilitatem.

Consectarium.

VIII. UT Janseniani discriminis inter gratiam utriusque status vanitas magis adhuc appareat, non desunt, qui sat verosimiliter censent, S. Augustinum Lib. de *Corrept. & Grat.* Cap. 11. & 12. locutum non esse de gratia utriusque status interiore actuali, & necessaria ad omne opus pietatis: sed per auxilium *sine quo non*, Adamo datum, intellexisse duntaxat adjutorium perseverantiæ, cum quo Adamus poterat perseverare, si vellet, & sine quo perseverare non poterat; & per auxilium *quo* intellexisse ipsam *formaliter* finalem perseverantiam, omnibus & solis prædestinatis in hoc statu nostro datam aut dandam, consistentem in unione mortis cum gratia sanctificante; qua quis nempe actu, & *formaliter* est perseverans, seu moritur in statu gratiæ sanctificantis. Cum enim, in-

inquiunt, loquitur iis locis Augustinus de adjutorio Adami, non dicit, fuisse gratiam, cui homo consentiret, si vellet; sed gratiam, *in qua si permanere vellet, nunquam malus esset;* gratiam, quam deserere homo posset per liberum arbitrium; adjutorium, in quo permaneret homo, si vellet. Atqui S. Doctor cum passim loquitur alibi de gratia interiore actuali, nusquam dicit, hominem in ea permanere, vel eam deserere, quia reipsa impropria esset isthæc loquendi ratio; sed dicit, hominem eam respuere, repudiare, ei dissentire. Ergo non loquitur S. Doctor iis in locis de gratia actuali interiore.

Accedit, quod S. Augustinus manifeste significet, auxilium *quo*, quod opponit auxilio *sine quo non*, ita esse proprium status nostri, ut detur omnibus prædestinatis, & solis prædestinatis. Sic enim habet initio cap. 13. *Hæc de iis loquor, qui prædestinati sunt in Regnum Dei.* Et jam cap. 7. dixerat, se loqui de iis, qui perseverant usque in finem. Atqui gratia actualis interior non datur solis prædestinatis, ut patet; nec datur omnibus; quam enim acceperunt gratiam actualem interiorem parvuli statim post Baptisma decedentes? Ergo illud auxilium *quo*, cujus meminit Augustinus, non est gratia interior actualis propria nostri status. Ex eo igitur, quod eo loco S. Doctor auxilium *sine quo non* opponat auxilio *quo;* quod adjutorium Adamo datum ad perseverandum differre dicat ab auxilio, quod nunc datur sanctis prædestinatis, qui perseverant; minime sequitur, eum etiam opponere gratiam actualem prioris status gratiæ actuali status nostri; atque hanc inter & illam discrimen illud constituere, quod eundem statuisse contendit Jansenius. Verum si detur etiam, S. Doctorem laudatis in locis per auxilium *sine quo non*, & auxilium *quo* gratiam actualem interiorem utriusque status reipsa intellexisse, quod nos toto hoc Capite ultro dedimus, ac supposuimus, non tamen inde magis evinci Jansenianum gratiæ discrimen, satis, credo, a nobis superque ostensum est hactenus.

SE-

SECTIO II.

DE

Dogmatis Catholicæ Fidei ad gratiæ necessitatem pertinentibus : deque iis, quæ salvo dogmate inter Scholasticos sunt controversa.

SEctariorum erroribus præcipuis circa gratiæ divinæ necessitatem compendio expositis, atque rejectis, sequitur, ut quid ea super re ab Ecclesia Catholica definitum, atque adeo pro certo ab omnibus & indubitato habendum sit; quidve salvo fidei dogmate inter scholasticos adhuc controversum, eadem brevitate persequamur, & in aperto constituamus.

Ut vero doctrinæ ordo ac methodus servetur, declarandum erit, primum, quanta sit necessitas gratiæ actualis interioris in hoc statu naturæ lapsæ ad bonum tam supernaturalis quam naturalis ordinis faciendum; deinde, quanta pariter necessitas ad vitandum malum; tum, quale gratiæ divinæ auxilium necessarium sit ad perseverandum; denique quodnam agnoscendum discrimen, spectata gratiæ necessitate, inter statum naturæ lapsæ, & statum naturæ integræ, ac innocentis.

CAPUT I.

Quanta sit Necessitas gratiæ ad bonum faciendum.

I. BOnum duplicis est ordinis. Aliud naturale, & simpliciter morale, cui naturalis quædam inest honestas, ac rectitudo: veluti cum infidelis naturali honestate motus, & ex dictamine rectæ rationis reveretur parentes, innocentem tuetur &c. Aliud est supernaturale, quod ad æternam animæ salutem pertinet, & ad eam consequendam conducit per modum dispositionis, aut meriti; estque a speciali auxilio Spiri-

tus S. five inhabitantis, five moventis. Talia sunt illa bona opera, quæ per inhabitantem Spiritus S. gratiam fiunt ab hominibus justis; & illa, quæ Spiritu S. cor movente ad justificationem disponunt; ut credere, sperare, diligere, de peccatis pœnitere.

Opera hujuscemodi, seu actus salutares plerumque a Patribus, & Conciliis sub illis vocibus exprimuntur, *sicut expedit*, vel, *sicut oportet &c.* quæ formula desumpta est ex Apostolo ad Rom. 8. v. 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus*, Et de his solis loquuntur Patres, atque Concilia, cum de necessitate gratiæ ad salutem agunt contra Pelagianos, & Semipelagianos. De his proinde solis & nos adversus eosdem hæreticos agemus in præsenti. Utrum vero etiam ad bonum morale naturalis ordinis necessaria sit aliqua gratia, sequenti Capite expendemus.

Porro Fidei Catholicæ doctrina est, *hominem sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio, sperare, diligere, aut pœnitere non posse, sicut oportet.* Ita Concil. Trid. sess. VI. Can. 3. novissime definivit, & multo ante plura alia Concilia contra Pelagianos celebrata; præsertim Arausicanum II. Anno Dom. 529. Can. 6. & 7. Quod Ecclesiæ dogma duplici assertione adversus Pelagianos, & Semipelagianos stabiliendum est.

ASSERTIO PRIMA.

Neque fides, neque ipsius initium haberi potest sine adjutorio interioris gratiæ prævenientis.

II. PRob. *prima pars:* Christus Dominus apud Matth. cap. 11. v. 27. expresse pronuntiavit: *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Hinc postquam S. Petrus solemniter suam in Christum fidem professus fuisset his verbis: *Tu es Chri-*

Christus Filius DEI vivi Matth. 16. v. 17. statim Christus subjunxit : *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.* Et Joan. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et deinde v. 66. *Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Venire autem ad Christum, est in eum credere, ut ipse Dominus ibidem explicat v. 65. *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt . . . Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi &c.*

Hinc Apostolus 1. ad Cor. 4. v. 7. *Quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quibus S. Augustinus subjungit Lib. de *prædest. sanct.* cap. 3. *Quo præcipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem; putans fidem, qua in DEum credimus, non esse donum DEI, sed a nobis esse in nobis* &c. Rursus idem Apostolus ad Ephes. cap. 2. v. 8. *Gratia estis salvati per fidem: DEI enim donum est.* Et ad Philip. c. 1. v. 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Igitur ex Apostolo fides divina est donum DEI. Atqui secundum omnes Catholicos, ipsis etiam Pelagianis & Semipelagianis consentientibus, opus salutare eatenus donum DEI est, quatenus non fit, nisi dependenter a DEO, per interiorem gratiam voluntatem hominis præveniente, eamque excitante & adjuvante ad volendum & operandum. Ergo etiam fidei donum non nisi ejusmodi gratia haberi, & obtineri potest. Accedit, fidem divinam ex Apostolo non minus esse donum DEI, quam patientiæ virtutem: hanc vero ipsi etiam Semipelagiani agnoscebant esse DEI donum, quod sine illustrationis, & inspirationis divinæ gratia haberi non posset. Ergo idem de fide supernaturali dicendum, & sentiendum est. Cujus ratio ulterior desumitur ex naturali intellectus & voluntatis

tatis humanæ conditione. Quippe non potest hæc utraque facultas ferri in objectum supernaturale, nisi elevetur gratiæ supernaturalis auxilio; repugnat enim sine viribus adjutorii supernaturalis id fieri, quod excellentia sua superat nudas agentis naturalis vires. Atqui objectum fidei est supernaturale. Ergo intellectus, & voluntas indigent auxilio gratiæ supernaturalis, ut circa fidei objectum versentur.

III. *Prob. altera pars* speciatim de initio fidei. Apostolus 2. ad Cor. cap. 3. postquam dixit v. 4. *Fiduciam nos habere per Christum ad DEum*, subjungit v. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* Super quæ D. Thom. ibi Lect. 1. *Causa autem hujus*, inquit, *fiduciæ est, quia quidquid ego facio, etiam ipsum principium operis, DEO attribuo. Et ideo dicit:* Non quod simus sufficientes cogitare, *saltem non dicere, vel implere. Nam in quolibet processu operis primo est assensus, qui fit cogitando, deinde collatio per verbum, & postmodum impletio per opus: unde fit, ut sic nec cogitare quis a se habeat, sed a DEO: non est dubium, quod non solum perfectio operis boni est a DEO, sed etiam inchoatio.* Et S. Augustinus ex iisdem Apostoli verbis Lib. de Prædest. sanct. cap. 2. *Attendant, & verba ista perpendant, qui putant, ex nobis esse fidei cæptum, & ex DEO esse fidei supplementum. Quis enim non videat, prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum .... Non enim omnis qui cogitat, credit ... sed cogitat omnis, qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit. Ergo* (concludit S. Doctor) *si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex DEO est. Profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus; sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex DEO est.*

Et sane, si illud primum fidei desiderium, & initium sit a no-

a nobis, ejusque intuitu DEus nobis conferat fidem; jam fidei gratia gratuita non erit, sed secundum merita nostra dabitur, nempe secundum illum bonum affectum, & inchoatam credendi voluntatem; quod damnatum fuit in Pelagio, ut ipse arguit S. Augustinus Lib. *de Prædest. Sanct.* c. 2. *Non ergo*, inquit, *receditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in Episcopali judicio Palæstino damnare compulsus est, gratiam DEI secundum merita nostra dari, si non pertinet ad DEI gratiam, quod credere cœpimus.* Cujus ratio ex ipsa fidei conditione depromitur. Etenim si fides est totius salutis basis, ac fundamentum; *justus* namque *ex fide vivit*, & *fides est sperandarum substantia rerum*, ut ait Apostolus ad Hebr. 11. v. 1. Non minus necessaria est gratia ad fidem, ejusque initium, ac ad salutem ipsam; & initium fidei, seu pius credulitatis affectus inter actus salutares computari debet, cum inde bonorum operum series, ac salus ipsa pendeat.

Quod si primum illud salutis initium a nobis esset, falsa foret hæc Apostoli sententia ad Rom. 11. v. 35.. *quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Unde S. Augustinus Lib. de Prædest. Sanct. c. 2. ita rursus concludit: *En ipsum igitur initium fidei nostræ, ex quo, nisi ex ipso est? neque enim, hoc excepto, ex ipso sunt cætera, sed ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

IV. *Confirmatur* utraque assertionis pars authoritate Conciliorum, Palæstini, Milevitani, Affricani IV. & plurium aliorum Affricanorum; Arausicani II.; nec non Oecumenici Ephesini, & Tridentini, quorum definitionibus sancitum est, *justificationis, & salutis exordium in adultis a DEI per JESUM Christum præveniente gratia summendum esse.* Verba sunt Concilii Tridentini Sess. VI. c. 5. ex præcedentibus Conciliis repetita. Neque hoc argumentum fusius persequemur: quia, si qui sint Pelagianismi, aut Semipelagianismi suscitatores, ultro se damnatos esse confitebuntur in laudatis Conciliis, & a

ſummis Pontificibus Innocentio I. Zozimo, Cæleſtino, Gelaſio, nec non a SS. Hieronymo, Auguſtino, ejusque diſcipulis; & ad ſolas Scripturas provocabunt.

ASSERTIO SECUNDA.

Nullum bonum ſalutare, pertinens & conducens ad vitam æternam, fieri vel haberi poteſt ſine gratiæ interioris adjutorio.

V. PRobatur 1mo. iis omnibus rationum momentis, quæ paulo ante protulimus. Neque enim fides eſt magis bonum ſupernaturale, ad ſalutem æternam pertinens, ac conducens, quam quodcunque aliud opus ſalutare. Ergo ad hoc non minus, quam ad illud neceſſarium erit interius gratiæ divinæ adjutorium.

Prob. 2do ſpeciatim. Chriſtus Dominus Joan. 14. v. 6. univerſaliter dicit, *Ego ſum via, & veritas, & vita, nemo venit ad Patrem niſi per me.* Atqui per quodlibet opus ad ſalutem pertinens itur ad Patrem. Ergo illud fieri, & haberi non poteſt, niſi per Chriſtum, ejusque gratiam. Rurſus Joan. 15. v. 5. *ſine me*, inquit, *nihil poteſtis facere.* Loqui autem Chriſtum de operibus ad ſalutem conducentibus, quod ſine Chriſti gratia haberi non poſſint, ex ipſo contextu liquet. Ibi namque ſeipſum comparat viti, & diſcipulos palmitibus; qui, ſi in vera vite, Chriſto, manſerint, multum fructum afferent: fructum utique ſalutis, qui manat a Chriſto, & quem a diſcipulis ſuis ipſe requirit. Super quæ S. Auguſtinus tract. 81. in Joan. ait: *Ne quisquam putarit, ſaltem parvum aliquem fructum poſſe a ſemetipſo palmitem ferre, cum dixiſſet:* hic fert fructum multum, *non ait: quia ſive parum, ſive multum; ſed*, nihil poteſtis facere. *Sive ergo parum, ſive multum ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt. Quia etſi parum attulerit palmes, cum purgat agricola, ut plus afferat:*

ferat: tamen nisi in vite manserit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum a semetipso non potest ferre.

Ratio autem est, quia nulla creatura pollet naturali facultate, ut per se, seu viribus suis elevetur ad gradum ordinis, & naturæ altioris. Ergo non potest viribus propriis, & absque divinæ gratiæ auxilio tendere ad finem supernaturalem, Cum igitur ad eum tendat per opera supernaturalia, non potest ea perficere, nisi gratia divina adjuvante. Alioquin, u. recte ratiocinatur Paulus ad Gal. 2. v. 21. *Si per legem justitia*, id est, si homo potest per opera moralia legis ad justitiam tendere; *Ergo gratis Christus mortuus est:* quia non aliam ob causam Christus est mortuus, nisi propter nostram justificationem. Adde, quod omne opus salutare vel est dispositio ad gratiam, vel est meritorium vitæ æternæ. Sed homo non potest facere opera, quæ disponunt ad gratiam, sine gratia Spiritus S. moventis; nec opera meritoria vitæ æternæ sine gratia inhabitantis Spiritus Sancti, ut infra ostendetur. Ergo &c.

Respondetur ad Objecta.

VI. OBjiciunt Pelagiani, & Semipelagiani 1*mo:* Scripturæ locis a nobis in Assertionis probationem adductis recte quidem probari, necessariam esse exteriorem gratiam, revellationis scilicet, seu prædicationis Evangelii, sine qua fides haberi non potest; *quomodo enim credent sine prædicante?* non autem etiam probari, necessariam esse gratiam interiorem, qua excitetur ac moveatur affectus ad credendum. Ergo.

Resp. Neg. ant. Quia Scripturæ ad fidem, ejusque initium eam gratiam necessariam esse dicunt, quæ oculos mentis interius aperiat, dum prædicator Evangelicus exterius auribus insonat; quæ exponat scripturæ sensum; quæ cor lapideum auferat, & det cor carneum; quæ denique distincta omnino sit ab externa verbi prædicatione. Hujusmodi autem gratia uti-

utique interior est, diffusa nempe in cordibus per Spiritum Sanctum.

En Scripturæ testimonia! Psal. 118. David ad DEum ait, *revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Lucæ 24. v. 44. Christus dicitur aperuisse Apostolis suis sensum Scripturarum: *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Juxta græcum legitur *aperuit eis mentem;* quæ loquendi ratio exprimit non tantum externam expositionem, sed vim efficacem Spiritus Sancti interius operantis, & mentem illustrantis. Quemadmodum aliis in locis DEus dicitur *aurem aperire* Isai. 50. v. 5. cum videlicet hominem ad audiendum verbum disponit. Quid enim prodest externa verbi prædicatio, aut signorum manifestatio, *nisi DEus det oculos ad videndum, & cor ad intelligendum.* Deuter. 29. v. 4. Similiter Ezech. 36. v. 26. dicit Deus: *dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum; & spiritum meum ponam in medio vestri.* Et Jer. 31. v. 33. promittit se positurum in nobis leges suas, *& in cordibus scripturum.* Quid autem hæc sibi volunt, nisi ut nobis per ea significetur, solius Spiritus S. interius moventis virtute, & divinæ gratiæ interioris beneficio, cor nostrum, antea durum & pertinax, docile fieri, & veritati capessendæ idoneum. Denique exteriorem gratiam prædicationis ab interiore fidei gratia, quam ad credendum necessariam esse dicimus, expresse distinguit Apostolus 1. ad Thessal. 1. v. 5. his verbis: *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute: & in spiritu Sancto;* qui nimirum per gratiam suam interius movendo, ac inspirando fecerat, ut Thessalonicenses fidem susciperent, & susceptam servarent. Hinc 1. ad Cor. 3. v. 7. idem Apostolus ait: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat DEus.*

VII. *Objiciunt 2do.* alia S. Scripturæ testimonia, & exempla,

pla, quibus significari videtur, saltem initium salutis esse ab homine, & ejus meritum naturale præire gratiæ DEI, quæ deinde illius intuitu a DEO præparatur, atque confertur.

1*mo*. Proverb. c. 16. v. 1. dicitur: *hominis est præparare animam.*

2*do*. Zachar. c. 1. v. 4. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, dicit Dominus.*

3*tio*. Matth. cap. 10. v. 11. *In quamcunque Civitatem, aut Castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete.*

4*to*. Apud eundem Matth. c. 25. v. 15. DEus distribuit talenta *unicuique secundum propriam virtutem.*

5*to*. Actor. c. 10. v. 4. Angelus ad Cornelium Centurionem ait: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu DEI;* earum quippe intuitu missus ad eum fuit Petrus, qui Christum ipsi annuntiaret.

6*to*. Lucæ 19. Zachæus propter ardens desiderium videndi JESUM meruit audire: *hodie salus domui huic facta est.*

His Scripturæ testimoniis & exemplis ostenditur, duo ad salutem obtinendam requiri: unum ex parte voluntatis nostræ, nempe, ut præparemus animam, ut convertamus nos ad DEUM, ut eum quæramus, ut oremus, velimus, desideremus saltem; alterum vero ex parte Divinæ gratiæ, nempe, ut DEUS se convertat ad nos, ut se nobis manifestet, ut postulata exaudiat, id perficiat, quod volumus.

Resp. Cum S. Augustino lib. *de Gr. & lib. arbitr.* iis Scripturæ locis ita commendari liberum hominis arbitrium, ut non excludatur gratia: sicut, quando dicitur, *Converte nos Domine ad te, & convertemur*, ita commendatur gratia, ut non excludatur libera voluntatis cooperatio. Idem est Concilii Trid. sensus Sess. 6. Cap. 5. Ad cujus pleniorem intelligentiam, duplex distingui debet est gratiarum genus: aliæ nempe sunt gratiæ communes, & aliæ speciales. Illæ, posita

 ele-

elevatione humanæ naturæ ad finem ſupernaturalem & ſincera DEI voluntate de omnium hominum ſalute, dantur omnibus & debentur, quia ſunt media ſalutis neceſſaria, & ſufficientia. Gratiæ autem ſpeciales nulli debentur, quia non ſunt media abſolute neceſſaria ad finem: quare DEUS dat illas, aut non dat, quibus vult, & quando vult. Attamen DEUS, cujus ſuaviſſima & ordinatiſſima eſt providentia, has etiam gratias iis confert, qui communibus bene utuntur, & qui iis adjuti faciunt quod poſſunt, & petunt quod non poſſunt. Communibus itaque gratiis nos DEUS prævenit, earumque ope poſſumus præparare animam, DEUM quærere, orare, convertere nos ad DEUM, ſaltem per pium juſtificationis deſiderium. Sed ut ad ſingula, quæ objecta ſunt, reſpondeatur.

Ad 1*mum.* dico cum S. Thoma 1.2. q. 109. art. 6. ad 4. *Hominis eſt præparare animam, quia hoc facit per liberum arbitrium; ſed tamen hoc non facit ſine auxilio DEI moventis, & ad ſe attrahentis.*

Ad 2*dum.* Jubemur converti ad DEUM, non per ſolas naturæ vires, ſed libere cooperando gratiæ prævenienti, ut egregie exponitur a Concil. Trid. loco mox cit. Eodem modo intelligendum eſt illud lib. 2. Paralip. c. 15. v. 2. *Si quæſieritis Dominum, invenietis:* & illud Iſai. c. 30. v. 18. *expectat Dominus, ut miſereatur veſtri.*

Ad 3*tium.* Si verba illa hunc ſenſum faciant: interrogate, quis dignus ſit, cui annuntietur Evangelium, dicendum eſt, hanc præviam diſpoſitionem eſſe a gratia, non a ſolo naturali merito. Sed alii ea ſic explicant: interrogate, quis veſtro dignus ſit hoſpitio propter bonam famam, honeſtam vivendi rationem, & hoſpitalitatis ſtudium.

Ad 4*tum.* Reſp. cum Maldonato in hunc locum Matthæi, verba illa, *unicuique ſecundum propriam virtutem*, dicta eſſe a Chriſto, non ad ſignificandam DEI œconomiam in diſtributione gratiarum, ſed ad declarandum, quod fides, gratiæque

que a DEO concessæ, hominis diligentia, & bonis operibus excoli, augerique debeant.

Alii aliter explicant, & per *talenta* intelligunt, non gratias actuales interiores, sed illas, quæ dicuntur gratis datæ, quæ nimirum dantur magis ad aliorum, quam ad recipientis utilitatem & salutem: quales sunt, gratia sanitatum, operatio miraculorum, prophetia, discretio spirituum, & cæteræ, quas recenset Apostolus 1*ma*. ad Cor. cap. 12. quæ quidem gratiæ ut plurimum illis impertiuntur, qui magis idonei sunt iisdem muneribus cum uberiore fructu exercendis, *unicuique secundum propriam virtutem.*

Ad 5*tum*, & 6*tum*. Cornelius *non sine aliqua fide donabat & orabat*, inquit S. Augustinus Lib. de *prædest. Sanct.* c. 7. fide scilicet inchoata, quæ ut perfecta evaderet, missus ad eum fuit S. Petrus, a quo in fide informaretur. Unde S. Doctor concludit, id etiam, quod, antequam in Christum crederet, bene operatus est, DEO dandum esse. Idem dicendum de Zachæo, cujus fides & ardens desiderium videndi JESUM fuit divinæ largitatis donum, ut declarat Concil. Arausicanum II. Can. 25. *Manifestissime credendum est, quod illius latronis, quem Dominus ad Paradisi patriam evocavit; & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est; & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum.*

VIII. *Instant*: Complures fuisse ex Patribus Augustino antiquioribus, præsertim Græcis, quorum ea unanimis erat sententia, hominis esse incipere, ac tum laudabilibus liberi arbitrii conatibus DEUM gratiam suam conferre. Longum hic foret singulorum verba, ac sententias recitare: fontes, ac doctrinæ ipsorum capita indicasse sufficiet. Ita nempe docuisse videntur S. Justinus *Apol.* 1. & 2. S. Iræneus L. 4. c. 37. Clemens Alexandrinus L. 1. *Stromatum*. S. Chrysostomus *Homil.*

mil. 42. *in Genesim*, & *Homil.* 12. *in Epistolam ad Hebr.* Denique S. Hilarius L. 8. *de Trinitate*, Num. 12. Quibus in locis laudati Patres expresse habent, gratiam bona voluntate præveniri; gratiam posteriorem, bonam vero voluntatem priorem esse, quæ cœlestem provocet, ac mereatur gratiam; DEUM subsequente sua gratia pios ac naturales hominis conatus juvare. Inde certe natæ sunt Semipelagianorum quærelæ adversus S. Augustinum, quod nimirum is ab Antiquorum Ecclesiæ Patrum doctrina recessisse videretur.

Resp. Si quæ a laudatis Patribus paulo durius dicta videantur circa gratiæ prævenientis necessitatem, considerandum est, eos tunc disputasse adversus Marcionitas, & Manichæos, atque in hoc potissimum laborasse, ut contra hæreticos illos liberum hominis vindicarent arbitrium, illæsis nihilominus Divinæ gratiæ juribus: tunc enim securius loquebantur, cum nondum exorta fuisset Pelagiana hæresis, nullumque haberent gratiæ divinæ hostem. Ita nempe illos excusat ipse S. Augustinus Lib. *de Prædest.* SS. c. 14. num. 27. *Quid opus est, inquit, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem, in hac difficili ad solvendum quæstione versari? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia DEI quid sentirent, breviter quibusdam Scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent.* Cæterum ex laudatorum Patrum operibus, ac ipsis etiam objectis & citatis locis, si totus ac integer eorum contextus accipiatur, & rite expendatur, constat abunde, eos non aliter de necessitate gratiæ sensisse, ac deinde sensit Augustinus, omnesque semper Catholici professi sunt.

IX. *Objic.* 3tio. Si gratia simpliciter necessaria foret ad operandum salutariter, integra non staret humani arbitrii libertas. Frustra enim DEUS dedisset homini arbitrii potestatem, quam implere non posset, nisi ab ipso semper adjuvetur. Ergo. *Resp.*

Resp. cum S. Augustino, per gratiam confirmari potius, quam tolli libertatem. *Sicut enim*, inquit L. de Spir. & Lit. c. 30. *lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed stabilitur.* Cujus rationem ibidem reddit; *quia nempe gratia sanat voluntatem, qua justitia libere diligatur.* Et c. sequenti: *cum potestas datur, non necessitas utique imponitur.* Quod pluribus aliis locis uberius probat ex illis Christi verbis Joan. 8. *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.*

Consectarium.

X. QUanquam Pelagianorum, & Semipelagianorum capitalis error circa gratiæ necessitatem in eo fuerit, ut ex hactenus dictis abunde constat, quod illi dicerent, posse hominem solis arbitrii viribus gratiam a DEO promereri, quæ ad bonum non quidem simpliciter, sed facilius operandum necessaria foret: hi vero ad gratiam fidei pervenire hominem posse assererent per quosdam pios naturæ conatus, & bonum voluntatis affectum in fidem suscipiendam. Non defuere tamen etiam inter Catholicos Theologi, ut refert Estius in 2. *Sentent.* Distinct. 26. paragr. 34. qui absque erroris suspicione dici posse existimabant, necessariam simpliciter non esse homini gratiam ad se præparandum ad gratiam, seu quod idem est, hominem solis naturæ viribus posse aliquo modo se disponere ad recipiendam primam gratiam actualem; quatenus nempe per opera moraliter bona ex merito, non de condigno ex justitia, sed de congruo ex quadam decentia eandem sibi conciliaret, eoque pacto se ad illam præpararet: vel certe quatenus se disponeret mere *negative*, ita vitam suam ex recta ratione instituendo, ut omnem removeat obicem gratiæ recipiendæ; sicque DEus ex benignitate quidem, ac liberalitate, cui se tamen obstrictum voluit certa lege ac decreto, tali homini gratiam largiretur; non quod illa opera ratio-

nem meriti habeant, sed quod DEO motivum sint, conditio, vel occasio, qua movetur ad gratiam liberaliter conferendam; juxta quem sensum intelligi etiam debeat axioma illud Theologicum: *facienti quod est in se, DEus non denegat gratiam*. Ita sensisse, ait Estius, Durandum, Scotum, Gabrielem, Thomam Argentinensem *in hanc Distinct.* Altissiodorensem in *summa* Lib. 1. c. 15. q. 3. Alfonsum a Castro Lib. 2. de *lege pœnali* c. 14.

XI. Contra quos secundum receptam magis, tutioremque Theologorum sententiam dicendum videtur, non posse hominem se ullo pacto præparare, atque disponere ad gratiam sine gratia. Præparatio namque & dispositio ad gratiam actualem recipiendam est aliquid ad salutem pertinens. Atqui homo nihil potest solis naturæ viribus, quod ad salutem quoquo modo pertineat, ut probatum est. Ergo &c. Deinde, eatenus posset homo solis naturæ viribus aliqua ratione sese disponere ad recipiendam gratiam actualem, quatenus iis solis posset facere aliquid, quod DEum ex decentia, & congruitate quadam induceret ad largiendam gratiam actualem. Atqui ex Patribus, & Conciliis, homo nihil tale potest: cum enim Patres, & Concilia contra Pelagianos, & Semipelagianos docent, gratiam actualem non secundum merita nostra dari; intelligunt, nullum opus a nobis ex solis arbitrii viribus fieri posse, cujus intuitu, etiam ex decentia, & congruitate tantum, DEus nobis gratiæ suæ auxilia largiatur. Denique dicere, propter naturalia opera moraliter bona, quibus insit ratio meriti etiam solum de congruo, gratiam a DEO concedi; est funditus evertere essentiam gratiæ, quæ plane gratuita est, nullisque operibus naturæ debita. Nam Apostolus ad Rom. 3. v. 20. *ex operibus*, inquit, *legis non justificatur omnis caro*. Et v. 24. *justificati gratis per gratiam ipsius*. Rursus c. 4. v. 2. 3. & 4. *si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud DEum* &c. Ad Ephesios 2. v. 8. *gratia estis*

sal-

salvati per fidem, & hoc non ex vobis; DEI enim donum est; non ex operibus, ne quis glorietur.

XII. Frustra reponitur, in eo explicandi modo nullum admitti meritum ne quidem de congruo, sed tantum hominem gratiæ recipiendæ obicem removere, ejusque dispositionem se habere per modum conditionis, qua posita, dabitur gratia; non posita, non dabitur. Nam contra est; quod sic non nisi vocetenus recedatur a sententia Semipelagianorum, qui profecto facile consensissent, initium fidei, ad quod volebant vires arbitrii sufficere, dici meram conditionem, qua posita daretur; qua non posita, non daretur gratia. Accedit, quod si ita esset, adhuc donatio gratiæ non fieret sine onere, & ita non esset mere gratuita; sed supponeret aliquid operis ex parte hominis. Namque juxta illum explicandi modum, DEus fidem veluti obstrinxit suam, ut homini facienti, quod in se est, solis naturæ viribus, atque omnem gratiæ obicem removenti conferret gratiam; quod certe significat, esse aliquid ex parte hominis, cujus intuitu gratia conferretur. Non potest autem aliud intelligi, quam aliquid, quod meriti rationem habeat, saltem secundum generalem ipsius significationem. Pugnant vero hæc duo inter se, DEum gratiam homini conferre ex pura liberalitate ac misericordia, & ideo homini gratiam dare, quia facit, quod in se est: semper enim ex parte hominis est aliquid, quod DEum ex certa lege moveat ad conferendam gratiam; quo posito, gratia amplius non est gratia, quia pure gratuita non est; nec stat illud Apostoli ad Rom. c. II. *si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.*

Igitur opera moralia solis naturæ viribus elicita nec habent rationem meriti ne quidem de congruo respectu gratiæ, nec DEO sunt motivum, causa, occasio, vel conditio, qua DEus ex certa lege, pacto, aut decreto ad gratiam conferendam moveatur: adeoque homo solis naturæ viribus nullo modo

do nec proxime, nec remote, nec *positive*, nec *negative*, potest se disponere ad recipiendam gratiam, neque ulla ratione præparare ad gratiam sine gratia. Unde patet axiomatis illius Theologici, *facienti, quod in se est, DEUS non denegat gratiam*, hunc sensum esse: facienti, quod in se est, gratiæ prævenienti consentiendo & cooperando, DEUS majorem ac uberiorem non denegat gratiam, sive habitualis illa sit ac Sanctificans, sive actualis & operans. Sic certe axioma istud exponit S. Thomas 1. 2. Q. 109. Artic. 6. ad 2. *Dicendum quod nihil homo potest, nisi a DEO moveatur, secundum illud Joan.* 15. sine me nihil potestis facere. *Et ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus a DEO.*

CAPUT II.

Utrum etiam ad bonum morale naturalis ordinis necessaria sit gratia?

I. BOnum morale naturalis ordinis diximus esse illud, cui naturalis quædam inest honestas ac rectitudo, seu quod ex recto rationis dictamine procedit, quin ullam habeat cum salute supernaturalis ordinis proportionem, aut ad vitam æternam pertineat. Naturalis ejusmodi bonitas ex tribus consurgit, objecto nimirum conveniente, debitis circumstantiis, & fine honesto; quæ tria possunt solo lumine naturali cognosci, & in eodem conjungi actu seu opere per solum innatæ libertatis usum cum DEI concursu, quem ut Causa prima & generalis subministrat, ad exigentiam, ut ajunt, causarum secundarum. Hi sunt actus, qui dicuntur Theologice indifferentes; eo quod de se & suamet natura neque a salute æterna avertant; neque ullo sensu sint meritorii vel vitæ æternæ, vel gratiæ ad vitam æternam; nec ullam

vim habeant impetrandi gratiam, nec ad eam disponant; vel causa sint, cur gratia a DEO conferatur, ut ostendimus hactenus adversus Pelagianos & Semipelagianos. De hujuscemodi itaque actibus & operibus præsens versatur quæstio: Utrum videlicet in hoc statu naturæ lapsæ, de quo unice hic nobis est sermo, solis naturæ viribus perfici ab homine possint; an vero etiam ad actus illos supernaturale aliquod adjutorium, & interior gratia requiratur. Quod ut dilucide pertractetur, quæ certa sunt, aut fere in confesso, ab iis, quæ in contentionem veniunt, sunt antea secernenda.

II. Atque illud inprimis inter Doctores utcunque convenit, hominem in statu naturæ lapsæ bonum quodcunque morale naturalis ordinis operari, atque adeo universa naturæ præcepta observare, totamque naturalem legem implere nequaquam posse. Etenim, quamvis liberum hominis arbitrium per peccatum Adami extinctum penitus non sit; viribus tamen adeo attenuatum ac infirmatum esse, ut præceptis omnibus moralibus, quorum nonnulla ardua admodum sunt ac difficilia, observandis nequaquam par esse videatur, præsertim cum tot graves undequaque urgeant tentationes, quibus superandis natura sola non sufficit, ipsis Sacris litteris manifeste docemur. Nam ad Rom. 8. v. 3. expresse habetur: *quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem; DEUS filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis.* Quo loco Apostolus aperte docet, impossibilem fuisse homini lapso legis observantiam absque gratia DEI; idque propter carnis infirmitatem, quia natura per peccatum vulnerata erat: & ideo missum fuisse Filium DEI, ut per ipsum possibile fieret, quod alioquin impossibile fuerat. Neque dubium esse potest, quin loquatur Apostolus de præceptis naturalibus, cum speciatim disserat de præcepto, *Non concupisces.* Lex certe illa, qua DEum, ut au-

authorem naturæ ſuper omnia diligere jubemur, moralis eſt & naturalis, quemadmodum & præceptum reſiſtendi concupiſcentiæ illicienti ad peccata contra legem naturæ. Quis vero ſolis viribus ſuis, nulloque DEI ſuffultus adjutorio, præcepta hæc, quæ tum ex objecto; tum ex circumſtantiis difficultatem plurimam patiuntur, ſe obſervare poſſe confidat? Quid namque arduum magis, & ſupra hominem poſitum, quam ut DEum ſuper omnia diligat, ſibi ipſi jugiter renuntiet, & bellum perpetuo cupiditatibus ſuis inferat? Neceſſariam ſibi profecto ad id Divinam gratiam fateatur eſt neceſſe, ſine qua univerſam legem, ejusque præcepta omnia impleri, atque obſervari poſſe, non niſi temere quis aſſerat.

III. Eo proinde revocatur fere omnis ac recidit quæſtio inter Scholaſticos agitata: Utrum homo, Chriſti adjutorio deſtitutus, ſibique ſoli relictus, non univerſam quidem naturæ legem, ſed quædam dumtaxat, faciliora ſaltem ejuſdem præcepta obſervare, ſeu bonum aliquod morale naturalis ordinis velle, ac facere poſſit?

Sunt, qui ad hujus generis opera gratiam ſanctificantem exigunt; quæ ſententia tribuitur Michaeli Bajo. Alii fidem Chriſtianam ad quodcunque bonum opus requirunt; in qua opinione videtur fuiſſe Cornelius Janſenius, ut ſequenti capite videbimus, ubi opinionem utramque tanquam in fide erroneam rejiciemus.

Ex Orthodoxis vero, quorum dumtaxat opiniones excutimus in præſenti, duæ hic ſunt inter ſe contrariæ, pugnantesque ſententiæ. Alii generalem DEI concurſum ſufficere exiſtimant,, adeo, ut quamvs homo lapſus quodlibet indiſcriminatim bonum morale operari nequeat, adeoque nec univerſa legis naturæ præcepta implere ſine ſpeciali auxilio gratiæ; aliquod tamen ejuſmodi opus ſaltem facile, & cum nulla gravis pulſat tentatio, abſque gratiæ illius adjutorio facere poſſit. Alii econtra ad omne omnino opus bonum morale

rale eliciendum requirunt gratiam actualem theologicam, collatam ex meritis Christi. Inter quos tamen Gabriel Vasques in 1. 2. S. Thomæ Disput. 190. ubi prolixe quæstionem præsentem versat, duplex distinguit auxilii genus: unum ordinis supernaturalis, quale ad opera virtutum infusarum est necessarium, alterum ordinis naturalis, quod nempe per causas naturales æterna DEI per Christum misericordia nobis præparatur, in singulari DEI protectione ac providentia positum, qua removentur peccandi occasiones, ardor concupiscentiæ minuitur, subtrahuntur externa objecta & exempla, quibus ad malum incitamur; alia vero proponuntur, quibus amor virtutis accenditur. Primi generis auxilium necessarium esse ait ad quodcunque opus virtutum infusarum; alterum vero ad opus morale, quod sit ex omni parte bonum atque honestum. Et quamvis auxilium istud sit ordinis naturalis; gratuitum tamen est, & vere gratiæ donum, quia ex meritis Christi ultro concessum a DEO, res omnes liberaliter in bonum nostrum ita ordinante; cum tamen eas alio modo, quo nempe nos in malum consensuros norat, regere & instituere potuisset, absque injuria nostra, & creationis ac conservationis dono integro permanente.

IV. In qua quidem Controversia dirimenda, si aliqua moderatione uti liceat, & mediam quamdam inter oppositas viam tenere, forsan haud improbabiliter dici poterit: hominem lapsum per solas naturæ vires bonum morale efficere quidem posse; eum tamen a DEO in hoc nostro statu institutum esse providentiæ ordinem, ut ex gratia præveniente fiant illi omnes actus boni, qui alioquin fierent ex naturali facultate; atque adeo, quamvis possit homo absque gratia aliquid boni naturalis operari, re ipsa tamen nihil ejusmodi absque gratia operetur. Quo posito, auxilium gratiæ actualis necessarium erit ad quodcunque opus, non propter difficultatem ipsius operis, quæ sit supra naturæ

ræ vires, sed propter ordinationem DEI liberam, qui cum in Christo misereri omnium voluerit, & omnes restituere in adoptionem Divinam, nisi ipsi obstiterint; voluit simul omnes actus moraliter bonos aliquid ad hunc finem conferre. Unde affinitas quædam exurgit operum moraliter bonorum cum ipsa salute, non quidem ipsis operibus indita, sed mere extrinseca & accidentalis, ex libera nempe DEI miserentis ordinatione. Et sane ut dicatur DEUS velle sincere salutem omnium hominum etiam infidelium, qui nunquam de Christo audierunt, necesse est, ut intelligatur affinitas quædam inter observationem legis naturalis, & gratiam fidei, quam obtinerent illi, si legem naturalem observarent. Ejusmodi quidem legis observantia, atque actus moraliter boni nihil possunt conducere ad salutem per viam meriti, aut dispositionis *positivæ*; attamen, DEO sic ordinante, conducunt ad salutem per remotionem obicis, & gravium impedimentorum. Quæcunque autem affinitas cum salute æterna etiam remota & indirecta, nobis videtur non esse, nisi a gratia, ut ad finem superioris Capitis ostendimus; & ita statuendum arbitramur contra Semipelagianos, ut ab eorum errore, quam longissime fieri potest, recedamus. Sit igitur

ASSERTIO PRIMA.

Gratia actualis interior per Christum non est simpliciter necessaria ad exercendos actus moraliter bonos in se & absolute spectatos.

V. PRobatur 1mo ex censura Romana 27. Prop. Bajanæ: *Liberum arbitrium sine adjutorio DEI non nisi ad peccandum valet.* Si namque summi Pontifices eos damnant, qui asserunt, liberum arbitrium sine adjutorio DEI non nisi ad peccandum valere; ergo supponunt ipsum sine adjutorio DEI aliquid posse, quod non sit peccatum: hoc est, aliquod opus ex ob-

objecto ac fine bonum & honestum; siquidem inter opus morale bonum vel malum non datur medium, præsertim in opinione adversa, quæ nullos agnoscit actus indifferentes in individuo. Igitur ex dictæ propositionis censura istud necessario sequi videtur, liberum arbitrium posse sine speciali adjutorio DEI aliquod opus bonum morale perficere.

Prob. 2do authoritate S. Augustini: *non usque adeo*, inquit ille Lib. de spir. & litt. c. 28. num. 48. *in anima humana imago DEI terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint.* Et Enarratione in Psal. 57. n. 1. sic loquitur: *manuformatoris nostri in cordibus nostris veritas scripsit:* quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. *Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset, unde judicarentur etiam ii, quibus lex non esset data.* Quibus verbis significat S. Doctor, non ita extinctum esse in homine lapso quemlibet boni rectique amorem, quin sola duce natura possit aliquod bonum opus morale perficere. Magistro suo assentitur discipulus S. Prosper carmine de Providentia:

Ite ipsi in vestræ penetralia mentis, & intus
Incisos apices, ac scripta volumina cordis
Inspicite, & genitam vobiscum agnoscite legem.
Nam quis erit, modo non pecus agri, aut bellua ponti,
Qui vitiis adeo stolide oblectetur apertis,
Ut quod agit, velit ipse pati? mendacia fallax,
Furta rapax, furiosum atrox, homicida cruentum
Damnat, & in mœchum gladios distringit adulter.

VII. *Prob.* 3tio. ratione. Si reparata non fuisset a Christo natura humana, homo absque gratia Christi potuisset suis solis viribus efficere aliquid boni naturalis, aut saltem sibi accersere auxilium ad observanda legis naturalis præcepta necessarium: nam tunc etiam homo obstrictus fuisset præcepto ad bene operandum e. g. ad colendos Parentes, non inferendam

proximo injuriam &c. Nemo autem præcepto obligari poteſt ad impoſſibilia. Ergo natura humana ſola, ſolisque ſuis viribus valet aliquid boni moralis præſtare. Deinde, voluntas humana gratiæ auxilio deſtituta, vel gravitate tentationis, operisque difficultate determinaretur ad violandum præceptum, vel ipſa ſeſe libere determinaret? Si primum; ergo non eſt intrinſece libera. Si ſecundum; ergo poteſt viribus ſuis tentationem vincere, difficultatem ſuperare, & præceptum obſervare.

VIII. *Oppon.* Concilium Arauſic. II. Can. 22. *Nemo habet de ſuo, niſi peccatum, & mendacium.* Quæ ſententia eſt etiam SS. Auguſtini, & Proſperi. Ille namque, ut plura alia loca taceantur, Lib. 1. ad Bonifacium ſic ait: *Non poteſt homo boni aliquid velle, niſi adjuvetur ab eo, qui malum non poteſt velle.* Et Lib. *de Correpť. & Gr.* c. 11. *liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem nihil eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti Bono.* S. Proſper vero Carmine de Ingratis ita canit:

\- - - *tantum nocet error,*
Ut juvet errare, & veteris contagia morbi
Tam blande obrepunt, ut quo languetur, ametur.

Quibus verbis ſignificatur, tantam eſſe hominis ad malum propenſionem, ut id, quod ſenſus magis afficit, atque delectat, id judicet convenientius: quo igitur honeſti amor vincat, neceſſe eſt, ut affectio alia DEI beneficio homini conferatur. Ergo nudum hominis arbitrium non poteſt niſi peccare, & ad omnes cujuscunque ordinis actus bonos gratia per Chriſtum eſt ſimpliciter neceſſaria.

Reſp. Neg. conſ. Ex definitione Concilii Arauſic. ſequitur fortaſſe, neminem ſine gratia in hoc ſtatu noſtro quidquam boni etiam naturalis facere, quod ultro concedimus. Nam paulo poſt ſtatuemus, hominem indigere auxilio gratiæ per Chriſtum etiam ad actus moraliter bonos, non quod intrinſeca

feca operis difficultas naturalem liberi arbitrii poteſtatem excedat, ſed quod DEus libera ordinatione actus illos nolit eſſe ad ſalutem prorſus inutiles, atque adeo voluntatem elevet ad operandum modo ſaluti proportionato in iis circumſtantiis, ubi ageret cæteroquin modo naturali honeſtati conſentaneo. Non vero ſequitur, quod volunt Adverſarii, liberum arbitrium non poſſe in hoc ſtatu noſtro, niſi peccare; quod nempe amiſſa ſit libertas ad omne bonum, vel quod fictitia ſit diſtinctio boni naturalis & ſupernaturalis.

Cæterum tam Concilii, quam SS. Auguſtini, & Proſperi verba in eo ſenſu accipi debent, qui oppoſitus eſt ſenſui doctrinæ Pelagianorum, & Semipelagianorum, contra quos & Concilium, & laudati duo Patres iis locis locuti ſunt: videlicet hominem ſibi relictum nihil poſſe in ordine ad ſalutem, niſi ab ea per peccatum recedere: bonum proinde morale ſolis factum naturæ viribus nullam habere cum ſalute ſeu obtinenda, ſeu amittenda affinitatem; per illud hominem nec accedere ad ſalutem, nec ab ea recedere. Igitur ſi ſtatuamus, quod verum eſt, hominem non poſſe ſolis naturæ viribus operari quidquam ſalutare, manifeſtum erit, eum nihil poſſe relate ad ſalutem, niſi ab ea recedere per peccatum. Atque hoc unum eſt, quod & Concilium Arauſic. & Patres docent contra hæreticos arbitrantes, liberum arbitrium abſque gratia valere ad promovendam, & perficiendam, aut ſaltem inchoandam ſalutem, non ſecus, atque ad eam amittendam.

IX. *Inſt.* Si homo poteſt ſolis naturæ viribus aliquod opus moraliter bonum facere, ſequitur, remanſiſſe in homine poſt Adæ peccatum quædam virtutum ſemina. Sequela hæc Semipelagiana eſt. Ergo & id, unde deducitur.

Reſp. Diſt. maj. ſequitur, remanſiſſe quædam virtutum ſemina, intelligendo per ſemina virtutum rectæ rationis lumen, licet extenuatum; & naturalem ad proſequendum honeſtum, & inhoneſtum averſandum, voluntatis propenſionem,

 licet

licet infirmatam; qui sensus minime Semipelagianus est. *Conc. maj.* secus, *Neg. maj.* Semipelagiani per semina illa virtutum, quae contendebant in homine remansisse post peccatum Adae, intelligebant salutares cogitationes, & desideria, ex solo vigore naturae orta, quibus, secundum illos, homo ad recipiendam DEI gratiam disponitur. Quod nos fieri posse constanter negamus; solumque asserimus, non omnino extinctum penitus per peccatum Adae in ejus Posteris rationis lumen, & liberum arbitrium, neque plane obliteratum quemlibet boni rectique amorem, illius scilicet, qui cum natura ipsa proportionem quandam & affinitatem habet. Quemadmodum, inquit Estius in 2. dist. 41. paragr. 3. *non ita tenebris ignorantiae extinctum est lumen mentis humanae, quin de multis rebus sane recteque judicet; ita non sic vitiorum labe foedata est mens hominis, ut omnis scintilla boni, & naturalis affectus exstinctus sit, ac non interdum inter innumera licet vitae vitia emicet, appareatque, & per actiones quasdam sese exerat.*

Saltem, *inquies*, poterit homo in se ipso, & viribus suis gloriari, si possit aliquid boni solis suis viribus efficere.

Resp. poterit in se ipso gloriari, id est, poterit viribus suis tribuere opus, quod est ex natura, *Conc.* poterit gloriari de illo opere bono, nec illud referre ad DEUM auctorem naturae, primamque ac praecipuam omnis boni originem, & ultimum finem, *Neg.* Tribuere naturae id, quod ei a supremo rerum omnium authore datum est, nec superbam arguit praesumptionem, nec supremo DEI dominio quidquam derogat. Reliqua, quae hic objici possent, sequenti capite, ubi eadem pene recurret difficultas, commodius resolvemus.

AS-

ASSERTIO SECUNDA.

In hoc Statu naturæ lapsæ ac reparatæ nulli fiunt actus moraliter boni sine præveniente gratia interiore.

X. PRob. 1mo. Ex Scripturis, Patribus, & Conciliis, quæ generatim, & sine discrimine omnia opera bona divinæ gratiæ adscribunt. Quo præsertim pertinet illud Apostoli 2. ad Cor. 3. v. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex DEO est.* Et illud Joann. 15. v. 5. *sine me nihil potestis facere.* Similiter Concil. Arausicanum II. *Divini muneris est*, inquit, *& cum recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate & injustitia continemus: quoties enim bona agimus, DEUS in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Et Can. 12. *si quid homo habet veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo* In eundem sensum loquitur S. Augustinus, & S. Prosper pluribus in locis, a nobis sparsim & hinc inde adductis, quæ proinde videre & colligere juverit, ne hic ea repetere cogamur. Et quamvis hæc omnia communiter accipiantur de operibus ad salutem pertinentibus; quia tamen generatim & sine discrimine dicta sunt, id saltem nobis probare videntur, omnia omnino opera moraliter bona in hoc statu nostro esse quadam ratione ad salutem utilia, & ex libera DEI institutione ad hunc finem ordinari, atque adeo non fieri absque gratia DEI actuali interiore per Christum data.

XI. *Prob. 2do* ratione Theologica. Supponimus hic, quod suo loco etiam firmabimus, DEUM velle sincere salutem omnium adultorum, & ipsis dare media salutis necessaria & sufficientia. Hoc posito, infideles, saltem negativi, ii videlicet, qui nunquam audiverunt de Christo, ad ipsam pervenirent fidei gratiam, & ad salutem, nisi gratiæ sibi destinatæ obicem ponerent. Ergo ipsa obicis remotio habet affinita-

tem aliquam cum obtinenda fide ac ſalute. Atqui obex gratiæ unicus eſt peccatum, aut transgreſſio legis naturalis. Ergo omiſſio peccati, aut legis naturalis obſervantia habet aliquam affinitatem cum obtinenda fide ac ſalute. Sed nulla poteſt eſſe affinitas inter actum pure naturalem, & fidem ac ſalutem, quæ eſt ordinis ſupernaturalis. Ergo obſervatio legis naturalis non eſt a ſola natura, ſed a gratia.

Quod vero hic dicimus de obſervatione legis naturalis reſpectu infidelium, intelligi poteſt ac debet de quocunque actu moraliter bono, & reſpectu cujuscunque in hoc ſtatu naturæ lapſæ & reparatæ: quia non tantum reſpectu infidelium, ſed reſpectu omnium inſtitutus eſt ordo ille, quem diximus, providentiæ divinæ, reponens affinitatem quamdam inter gratiam dandam, & obicis remotionem: atque adeo actus omnis moraliter bonus habet ejusmodi affinitatem cum gratia, & ſalute, proinde non fit ſolis naturæ viribus, ſed per gratiam elevari debet, ut ad finem illum aſſequendum conducat, ad quem a DEO ordinatus eſt. Neque dubitare poſſumus, DEum, quantum in ſe eſt, & niſi ipſi obſtemus, ſemper paratum eſſe ad gratiam nobis largiendam. Certe Concilium Senonenſe exprſſe docet, gratiam *ſemper eſſe in promptu, & nullum eſſe momentum, in quo DEus non ſtet ad oſtium, & pulſet.* Idem habet Concilium Colon. I Et ſane id neceſſe eſt admitti ab iis, qui credunt, DEum velle ſincere ſalutem omnium hominum, & neminem niſi culpa ſua perire; id autem credunt ii, quos hic Adverſarios habemus. Cæteri vero, qui negant DEum velle ſalutem eorum, qui non ſalvantur, negant pariter ullum opus moraliter bonum in hoc ſtatu fieri, aut poſſibile eſſe; igitur cum his nihil nobis in præſenti quæſtione eſt negotii.

Re-

Respondetur ad Objecta.

XII. Objic. 1mo. Damnatæ sunt ab Ecclesia sequentes duæ propositiones: nimirum ex Bajanis Propositio 37: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, a solis naturæ viribus ortum, agnoscit.* Et Propositio 2. Quesnelli: *JEsu Christi gratia, principium efficax boni cujuscunque generis necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.* Ergo contradictoriæ veræ sunt: videlicet, esse aliquid boni naturalis, hoc est, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit. Et: absque gratia Christi aliquid boni non solum fieri posse, sed re ipsa fieri.

Resp. ad 1mum. Bajanæ propositionis contradictoria non est ea, quæ assignatur, sed ista, *non sentit cum Pelagio, qui boni aliquid naturalis, hoc est, a solis naturæ viribus ortum agnoscit;* quæ propositio vera est etiam in sententia, quam propugnamus. Quod si quis velit propositionem Bajanam damnatam esse, non solum propter acerbitatem censuræ, qua Bajus sibi contrariam opinionem velut errorem Pelagianum perstringit; sed damnatam etiam esse propter errorem, & falsitatem, quam continet, non multum repugnabimus: sed fateatur necesse est, propositionem illam damnatam esse in sensu ab Assertoribus intento. At in hoc sensu plurimum discrepat ab opinione nostra. Etenim, ajunt Bajani, naturam de se nihil quidquam boni efficere posse; gratiam esse absolute & simpliciter necessariam ad quodcunque opus bonum; vanam proinde esse & commentitiam distinctionem duplicis amoris DEI, naturalis videlicet, & supernaturalis; infidelium, & peccatorum actiones omnes esse mera peccata, quia carent gratia, sine qua homo non potest non peccare. Et ad sensum harum propositionum afferunt, nihil boni a naturæ viribus ortum ducere. Nos e contra dicimus, naturam solam posse aliquid boni moralis efficere; gratiam proinde non esse ad ejusmodi bonum absolu-

te

te necessariam, sed duntaxat ex speciali Divinæ providentiæ ordinatione, omne opus bonum etiam ordinis naturalis ad salutem nostram referente; non esse vanam distinctionem amoris DEI in naturalem, & supernaturalem, quia uterque possibilis est; non omnia infidelium, & peccatorum opera esse peccata, quia non carent omni gratia; & si carerent, tamen natura sola sufficeret bonis quibusdam operibus ordinis naturalis.

Resp. ad 2dum. Quesnelianæ propositionis sensus est, nullam esse gratiam vere sufficientem in hoc statu nostro, præter gratiam efficacem; quod nullam habet cum doctrina, quam nos hic asserimus, affinitatem.

XIII. *Objicies 2do.* Apostolus ad Rom. cap. 2. v. 14. sic loquitur: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Ergo naturaliter, id est, solis naturæ viribus opera quædam moraliter bona exercent.

Resp. Neg. cons. Apostolus ipse verbis sequentibus ostendit, quid significare voluerit: *Ejusmodi legem non habentes*, inquit (nimirum legem scriptam, seu Mosaicam) *ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Quorum verborum sensus est: gentes, cum solam habeant legem naturalem, multa naturaliter facere, id est, ex præscripto solius legis naturalis, quæ sunt legis Mosaicæ. Non vero significat verbis illis Apostolus, gentes observare legem naturalem sine ulla gratia. Et certe id unum est, quod pertinebat ad scopum Apostoli: huic enim objectioni occurrit, quomodo gentiles, qui non sunt auditores legis, possint esse factores legis aut transgressores? Respondet: quia habent legem naturalem scriptam in cordibus suis, & ea duce faciunt multa, quæ sunt legis Mosaicæ. Id vero, ut patet, nihil nocet assertioni nostræ: neque enim negamus, gentes per legem naturalem erudiri, quid faciendum sit, aut omittendum; sed negamus, eas legem illam observare solis naturæ viribus; non, quod non possint-

ſint abſolute, cum lex illa non ſit ſupra vires naturæ poſita; ſed quia quoties bene agendum eſt, natura elevatur per gratiam ad agendum eo modo, qui proportionem aliquam habeat ad ſalutem, quæ eſt ordinis ſupernaturalis.

XIV. *Objicies 3tio.* Gratis ſupponitur illa DEI ordinatio, omnes actus moraliter bonos ad ſalutem noſtram referens. Ergo.

Reſp. Nego ant. Niſi enim DEUS actus bonos quoscunque ad ſalutem operantis ordinaret, fruſtra vellet actus illos fieri: nullum enim finem haberent; non naturalem, quia in hoc ſtatu naturæ locum non habet; neque ſupernaturalem, ad quem nihil conferre poſſunt actus omni ex parte naturales.

Sed, *inquies*, actus bonus ſolis naturæ viribus elicitus, poteſt ordinari ad fidem & ſalutem obtinendam, ſaltem per modum conditionis obicem removentis, juxta vulgare axioma, *facienti, quod eſt in ſe, DEUS non denegat gratiam.* Ergo nihil eſt, cur omnes actus moraliter boni dicantur fieri per gratiam.

Reſp. Neg. ant. Axiomatis laudati triplex ſenſus eſſe poteſt. Primus eſt Semipelagianorum, qui ajebant homini facienti, quod in ſe eſt, ſive per ſolas naturæ vires conanti, aut ſaltem deſideranti & oranti retribui a DEO gratiam, ita ut non gratia naturam, ſed natura merito quodam præveniat gratiam. Alter ſenſus eſt quorumdam Catholicorum; DEUM nimirum ſemper præſto adeſſe, ut voluntati viribus ſuis conanti per gratiam ſupernaturalem opituletur, licet conatus ille voluntatis nullius ſit meriti aut momenti, ut addatur gratia. Ita fere Molina Quæſt. 14. Art. 13. Diſp. 9. & 10. Tertius denique idemque communior ſenſus eſt D. Thomæ, Vasquezii, Bellarmini, aliorumque dicentium, conanti & facienti per vires gratiæ prævenientis id quod poteſt, nunquam DEUM denegare gratias uberiores ad promovendum & perficiendum bonum neceſſarias. Hunc nos ſenſum amplectimur, utpote ab iniqua

Semipelagianismi suspicione alienissimum, quemadmodum ad calcem Capitis praecedentis indicavimus.

Consectarium.

XV. Quae de necessitate gratiae ad actus moraliter bonos dicta sunt hactenus, extendi debent ad actum dilectionis DEI ut naturae authoris, saltem imperfectae & inchoatae. Ubi observari debet, quod, sicut DEUS cognosci a nobis potest, vel ut Auctor gratiae & gloriae, vel ut Auctor naturae; ita possit etiam a nobis amari vel amore supernaturali, vel naturali. Uterque DEI amor vel perfectus est, vel imperfectus; idque vel appretiative, vel intensive. Perfectus dicitur appretiative, seu secundum aestimationem, cum DEUS rebus omnibus anteponitur, & super omnia diligitur; imperfectus vero, cum vere quidem diligitur propter se, sed nondum super omnia, hoc est, nondum rebus omnibus creatis antefertur. Perfectus intensive dicitur, quo DEUS non tantum rebus omnibus anteponitur, sed etiam majori ardore ac vehementia diligitur, quam res ulla creata; & talis amor tam appretiative, quam intensive perfectus est. Imperfectus vero intensive, quo quis revera pluris DEUM aestimat, quam rem quamcunque creatam; attamen non tanto ardore, ac intensione in DEUM afficitur, ac in res quasdam creatas.

Bajus Propositione inter damnatas 34. velut commentitiam sugillat distinctionem duplicis amoris DEI, naturalis videlicet & supernaturalis. Bajo consentit Jansenius Lib. 1. *de statu naturae purae* Cap. 3. Consequitur id necessario ex alia ipsorum doctrina; nullum videlicet opus moraliter bonum fieri posse sine gratia seu charitate erga DEUM propter se dilectum. Quapropter merito proscripta fuit dicta Baii propositio tum in sensu authoris; tum propter acerbitatem censurae, qua vanam, commentitiam, & ad illudendum

dum Sacris Literis inventam esse asserit distinctionem amoris DEI in naturalem & supernaturalem. His prævie notatis

XVI. Dico, nullum actum amoris DEI, etiam ut Authoris naturæ, in hac providentia elici ab homine lapso sine gratiæ interioris auxilio; quamvis auxilium illud necessarium simpliciter non sit ad amorem DEI ut auctoris naturæ saltem imperfectum & inchoatum. Ad quod probandum ea plane serviunt rationum momenta, quibus paulo superius ostendimus, hominem suis propriis viribus posse quidem bonum aliquod naturalis ordinis in se & absolute spectatum perficere; attamen DEO ita libere ordinante nullum in hoc statu bonum ejusmodi fieri sine præveniente gratia interiore. Cum enim DEUS cognosci naturaliter possit ut summum bonum, amari quoque poterit naturaliter amore saltem imperfecto & inchoato. Inde Apostolus ad Rom. 1. v. 21. inexcusabiles ait esse gentiles Philosophos, *quia cum DEum cognovissent, non sicut DEum glorificaverunt.* DEum autem glorificare nihil est aliud, quam DEum diligere. Etenim glorificare DEum, est DEum colere, colitur vero per amorem, juxta illud Augustini Epist. 167. alias 29. *Quid est pietas, nisi DEI cultus; et unde ille colitur, nisi charitate?* Qui igitur nosse DEum naturaliter potest ut in se bonum, ac naturæ authorem, & amore erga ipsum affici, vel boni aliquid moralis operari, quia rectum est, & DEO authori naturæ acceptum; ille etiam naturaliter DEum diligere poterit, amore saltem imperfecto & inchoato: quamvis ejusmodi amor, in hoc statu & moderna providentia, reipsa nunquam habeatur absque gratiæ interioris auxilio; quemadmodum de quocunque alio actu moraliter bono dictum est. Neque enim minus, imo multo magis amor DEI, ut authoris naturæ, etiam imperfectus & inchoatus, quam quiscunque alter actus moraliter bonus a Divina providentia ad salutem nostram æternam refertur ac ordinatur.

XVII. Dixi, amorem DEI imperfectum & inchoatum naturaliter, id est, solis naturæ viribus simpliciter haberi posse: nam amor appretiative perfectus DEI, non solum ut Largitoris gratiæ & gloriæ, sed etiam ut authoris naturæ, superat vires liberi arbitrii, ac proinde haberi nequit sine Divino gratiæ interioris auxilio. Si namque homo posset ex solis arbitrii viribus habere dilectionem DEI, ut authoris naturæ appretiative perfectam, posset iis solis servare totam legem, & esse absque omni peccato gravi: cum dilectio, qua DEUS etiam ut author naturæ super omnia diligitur, excludat omnem affectum ad peccatum mortale, & includat odium omnium cum lege & amicitia Divina pugnantium. Atqui falsum & absurdum est consequens; ergo & antecedens. Quoties namque impossibilis est executio alicujus operis, est etiam impossibilis voluntas & propositum efficax illud exequendi. Sed viribus naturæ lapsæ impossibilis est observantia totius legis naturalis, cujus propositum efficax includit perfecta dilectio DEI authoris naturæ, seu dilectio super omnia. Ergo. Accedit, quod dilectio DEI super omnia sit actus omnium præstantissimus, quem natura sana & integra possit elicere. Ergo natura infirma, licet suis viribus valeat aliquid boni præstare, non tamen valet efficere opus præstantissimum, quod sola potest natura sana. *Cons.* patet: quamvis enim DEus, ut author naturæ super omnia diligendus, sit objectum proportionatum viribus naturæ integræ, non est tamen proportionatum viribus naturæ infirmæ ac corruptæ, nisi proportione, ut vocant, remota, quatenus scilicet homo capax est recipiendæ gratiæ, cujus auxilio assurgere potest ad amandum DEum super omnia. *Antec.* vero *prob*: Dilectio DEI ut authoris naturæ perfecta & super omnia, testimonio Christi Math. 22. v. 38. *Est maximum & primum mandatum*, includens virtute & saltem in affectu omnium mandatorum legis observantiam, juxta illud Joan. 14. v. 15. *Si diligitis* me

me, mandata mea servate. Et v. 21. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Et v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Unde Basilius lib. de Justit. Monachorum c. 2. *Mandatum istud*, inquit, *unum quidem videtur; sed omnium mandatorum in se virtutem complectitur.*

CAPUT III.

An ad bonum aliquod opus exercendum necessaria sit gratia habitualis, seu sanctificans? An saltem fides theologica & supernaturalis?

I. DUplex in præsenti Capite quæstio est resolvenda. *Primo:* An sicut actualis gratia ad quodlibet opus bonum saltem salutare & supernaturale est simpliciter necessaria, ita etiam necessaria sit gratia habitualis & sanctificans? ac proinde an homo illa privatus, & in statu peccati mortalis existens, cum solo gratiæ actualis auxilio aliquod opus moraliter bonum tam naturalis, quam supernaturalis ordinis, exercere valeat, sive opus illud sit quocunque modo æternæ vitæ meritorium, sive non sit, de quo agetur suo loco. *Secundo:* An saltem fides theologica & supernaturalis, sive habitualis, sive actualis, sit ita necessaria, ut absque illa nullum opus moraliter bonum fieri possit, ac proinde infidelium actiones omnes sint peccaminosæ?

Duæ hic sunt hæreticorum inter se contrariæ, pugnantesque sententiæ. Una, quam jam refutavimus, Pelagianorum, qui liberum arbitrium ita extollebant, ut gratiæ divinæ detraherent, eamque ad universam legem implendam minime necessariam esse dicerent; adeoque & in infidelibus veras esse virtutes, quibus & justos illos esse, & ad æternam vitam per-

venire posse aliquando, faterentur; licet id subinde, Augustini argumentis convicti, negaverint, non sine manifesta doctrinæ suæ contradictione. Altera Lutheranorum & Calvinistarum, qui eam gratiæ necessitatem adstruunt, ut libero arbitrio locum non relinquant. Neque enim contenti dicere, nihil omnino boni moralis ex solis naturæ viribus fieri posse, omnia insuper opera, quæ fiunt non solum sine auxilio actuali, sed etiam fide justificante, volunt esse peccata; quod de ipsismet Justorum operibus pariter asserere non erubescunt, tametsi justis propter fidem non imputentur ad culpam: Infidelium vero omnia opera, etiam ea, quæ, fiunt ex speciali Dei auxilio vitiosa esse & culpæ imputari. Errorem hunc instaurarunt Bajus & Jansenius cum illis similiter docentes, Infidelium virtutes vera esse vitia, & omnia eorum opera vera & proprie dicta peccata. Ita fert Propositio 25. Baji a summis Pontificibus damnata: *Infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Cujus vestigia pressius sequitur Jansenius lib. 3. de *statu naturæ lapsæ* cap. 15. & 16. illiusque doctrinam congestis, ut assolet, innumeris ex Augustino testimoniis confirmare nititur. Docet insuper Bajus, extra statum gratiæ sanctificantis nullum opus bonum fieri posse, & omnia peccatorum opera esse peccata. En rursus ejus Propositionem inter damnatas numero 27. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Bajo in hoc errore præiverunt non solum Lutherus & Calvinus, verum etiam Joannes Wiclef & Huss, quorum inter alios multos hic articulus refertur ac damnatur a Concilio Constant. an. 1415. Sess. 15. *Ex principiis fidei est per se notum, quod quidquid homo in peccato mortali fecerit, peccat mortaliter.* Nos geminum hunc errorem refutabimus, & oppositam veritatem stabiliemus geminis itidem Assertionibus. Sit igitur.

ASSER-

ASSERTIO PRIMA.

Potest homo sine habituali, seu sanctificante gratia bonum aliquod opus morale non tantum ordinis naturalis, sed etiam supernaturalis per gratiam actualem perficere; nec proinde omnia peccatoris opera sunt peccata.

II. Prob. *Imo* ex Scripturis. Christus Lucæ 11. v. 41. hortatur Pharisæos, quos ibidem dicit rapina, & iniquitate plenos esse, ut faciant eleemosynam: *verumtamen date eleemosynam.* Sed si eleemosyna facta a peccatore esset peccatum, vel Christus ad eam non hortaretur, vel hortando hortaretur ad peccatum. Ergo non omnia peccatoris opera sunt peccata. Rursus Danielis cap. 4. v. 24. hortatur Nabuchodonosorem peccatorem imo & infidelem his verbis: *peccata eleemosynis redime, & iniquitates tuas miseri-cordiis pauperum, forsitan ignoscet delictis tuis.* Atqui peccata non redimuntur novis peccatis, nec DEus ab actu malo movetur ad ignoscendum. Ergo eleemosynæ illæ, ad quas hortabatur Daniel, licet factæ a peccatore, erant opera moraliter bona, dum fierent animo relevandi miserias pauperum.

III. *Prob. 2do.* Ex Concilio Constantiensi, a quo proscriptus est Articulus Joannis Wiclef & Hufs antea memoratus. Ex Tridentino, quod Sess. 6. Can. 7. adversus Novatores Lutheranos & Calvinistas sic statuit: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vera esse peccata &c. anathema sit.* Accedit Romanorum Pontificum authoritas, Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. qui relatam Baji propositionem damnarunt.

IV. *Prob. 3tio.* Ratione: Ideo peccator non posset facere opus moraliter bonum, quia, ut ajebat Bajus, in quovis suo opere servit dominanti cupiditati, seu operatur semper ex affectu ad peccatum. Atqui hoc est manifeste falsum. Quis

enim

enim dicat, hominem, ut ut peccato, e. g. luxuriæ inquinatum, dum ex motivo pietatis exhibet debitam reverentiam parentibus, ex motivo misericordiæ subvenit egeno, vel motivo alterius virtutis operatur, ejusmodi exercere opera ex affectu ad peccatum, vel ut serviat dominanti cupiditati luxuriæ? Profecto sicut homo habitualiter conversus ad Deum per gratiam, non semper operatur ex affectu & ordine ad Deum; sed interdum in quædam prolabitur, quæ licet levia & venialia, peccata tamen sunt: ita ex adverso homo ut ut habitualiter aversus a Deo, & conversus ad creaturam per peccatum, non semper operari censendus est ex affectu ad creaturam, sed aliquod opus moraliter bonum ex alio motivo honesto efficere. Unde Chrysostomus Hom. 67. ad populum. *Non potest*, inquit, *malus omnino malus esse, sed evenit, ut aliquid habeat boni: neque bonus esse omnino bonus, sed nonnulla solet habere peccata.*

Accedit, quod opera virtutum, justitiæ, religionis, misericordiæ, temperantiæ &c. jure naturali & Divino præcipiantur non solis justis, sed etiam peccatoribus. Sed non præciperentur, si isti ea non possent implere nisi peccando; alioquin eis præciperetur, ut peccarent; atque in hac inevitabili necessitate constituerentur, ut peccare debeant, sive implendo, sive non implendo actum præceptum. Immo sequeretur, non esse hortandos peccatores ad facienda opera bona, ad jejunandum, orandum &c. quia idem foret ac eos hortari ad peccatum. Nec ulla illis superesset via, per veram animi conversionem redeundi in gratiam cum Deo: neque enim per actionem malam potest homo Deum sibi conciliare; immo quanto magis niteretur per actus aliquos ad justificationem pervenire, eo remotior ab ea fieret, quia semper per illos actus peccaret: quo quid absurdius?

Re-

Respondetur ad Objecta.

V. *Objic·* 1*mo*. Ut actus sit moraliter bonus, debet ab operante referri ad DEUM. Sed peccator non potest ad DEUM actum suum referre, cum sit aversus a DEO. Ergo non potest facere actum moraliter bonum.

Resp. Neg. maj. præsertim si intelligatur de DEO ut fine supernaturali; alioquin in quolibet actu deliberato urgeret præceptum charitatis. Ut ergo actus sit bonus bonitate morali, satis est, ut ab operante dirigatur ad finem proximum honestum, & fiat ob honestatem virtutis, nullaque circumstantia vitietur. Hoc enim posito, actus ille, cum ex natura sua ordinetur ad DEUM auctorem omnis honestatis, interpretative saltem ad DEUM tendit, & ex tali ordine bonus evadit. Constat id in actu attritionis a peccatore ex metu gehennæ concepto, quem bonum & laudabilem esse Tridentinum definivit; qui tamen ad DEUM per charitatem non refertur, cum procedat a subjecto per peccatum a DEO averso: patet etiam in actu, quo peccator ex pietate naturali movetur ad sublevandum egenum; actus enim ejusmodi eo ipso quod conformis sit dictamini rectæ rationis, conformis est etiam legi æternæ DEI, ideoque interpretative, & mediate saltem tendit in DEum.

VI. *Objic.* 2*do*. Peccator semper agit ex cupiditate. Ergo semper peccat; *radix enim omnium malorum est cupiditas* ex Apostolo 1. ad Timoth. 6. v. 10. *Ant. prob.* Vel agit ex cupiditate, vel ex charitate; nullum quippe medium est. Sed non agit ex charitate, alias justus foret. Ergo semper agit ex cupiditate.

Resp. Neg. antec. Ad *prob. Dist. maj.* Vel agit ex cupiditate, vel ex charitate, improprie & latiore quodam sensu dicta, hoc est, ex aliqua bona voluntate, & aliquo recti honestique amore, *Conc. maj.* agit ex charitate proprie dicta, seu Theologica

Neg. maj. Verum eſt, inter vitioſam cupiditatem & laudabilem charitatem improprie dictam nullum dari medium, præſertim quantum ad habitum, & ratione ſubjecti, in quo charitas, vel cupiditas dominatur. At datur medium aliquod, quantum ad actum inter vitioſam cupiditatem, & charitatem proprie dictam ſeu Theologicam: medium ejusmodi eſt ipſa charitas improprie talis, ſeu bona voluntas, recti & honeſti amor; qualis ſæpe invenitur non ſolum in peccatore, ſed etiam in homine pagano, qui naturali pietate parentes honorat, indigentibus ſuccurrit &c. Et ſane, quemadmodum juſtus non ſemper agit ex charitate, & ut juſtus; ita nec impius ſemper agit ex cupiditate, & ut impius: & quemadmodum non omnis actio hominis juſti profluit ex affectu ad juſtitiam & ex influxu illius; ſic nec omnis actio hominis injuſti fit ex influxu injuſtitiæ, & affectu ad illam.

VII. *Objic. 3tio.* Scriptura pluribus in locis dicit, Sacrificia, & quæcunque alia opera Religionis a peccatoribus exercita, eſſe DEO exoſa, & abominanda. Sic Pſal. 49. v 16. *Quare*, inquit DEUS ad peccatorem, *tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Iſaiæ 1. v. 13. *Ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi . . . . Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivi.* Prov. 15. v. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino.*

Reſp. DEUM citatis locis non ſignificare opera illa & Sacrificia fuiſſe peccata, ſibique exoſa, ideo præciſe, quia a peccatoribus fiebant; ſed reprehendere Judæos, quod ea non ex affectu religionis & honeſtatis, ſed ex hypocriſi, vana gloria, & alio pravo fine ac perverſa intentione exercerent. De vitioſis ejusmodi Sacrificiis loqui Prophetam, manifeſtum fit ex adjunctis: *Iniqui ſunt cœtus veſtri*, ait, *& manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine, & in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra.*

AS-

ASSERTIO SECUNDA.

Etiam absque fide Theologica potest homo aliqua opera moraliter bona exercere; ideoque non omnia opera Infidelium sunt peccata.

VIII. *PRob. 1mo.* Ex Scriptura, in qua laudantur quædam infidelium opera, & a DEO temporali mercede donata fuisse dicuntur: cujusmodi fuit beneficium præstitum Israelitis ab obstetricibus Ægyptiis; quod DEUS remuneratus est, ædificando eis domus. *Exod.* 1. Gratia, quam Rahab fecit exploratoribus Israelitis, DEI voluntate a Josue compensata fuit. Jos. 2. & 6. Nabuchodonosor dicitur a DEO mercedem sui operis recepisse. Ezech. 29. Unde Hieronymus in Ezech. *Ex eo*, inquit, *quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede DEI judicio præteriri.* Et S. Augustinus Lib. *de Civit. DEI.* cap. 15. asserit, DEum Romanis infidelibus dedisse amplum Imperium, ut eorum virtutes in hac vita mercedem aliquam haberent. Atqui DEUS non remuneratur opera mala, seu peccata; hæc enim pœna, non præmio digna sunt. Ergo in infidelibus dantur opera bona, & honesta moraliter.

IX. *Prob. 2do* Ex S. Augustino, quem Jansenius contrariæ suæ opinioni plurimum patrocinari gloriatur. Is Lib. *de* Spir. & lit. C. 27. in locum illum Apostoli ad Rom. Cap. 2. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*, ita loquitur: *si autem hi, qui naturaliter, quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia; sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec DEUM verum veraciter, justeque colentium; quædam tamen facta, vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus.*

 Quam-

Quamvis autem subjungat, quod, *si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem, defensionemve mereantur;* addit tamen, quod *non usque adeo in anima humana imago DEI terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint; unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.* Et inferius isthæc Apostoli verba: *habentes opus legis scriptum in cordibus*, sic exponit: *Id est, non omnimodo deletum est, quod ibi per imaginem DEI, cum crearentur, impressum est . . . Nam & ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis sentit & facit.* Et paulo post expresse docet, quod, esto talia opera non sint eis profutura *in die, qua judicabit Dominus occulta hominum;* proderunt saltem, *ut mitius puniantur. Sicut enim non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.*

His præcluditur Jansenio responsum, dicenti, infidelium quædam opera esse bona ex parte objecti, seu operis; non vero ex parte finis, seu operantis. Nam, ut vidimus, multa bona opera infidelium DEUS temporali mercede remuneratus est; quod certo non fecisset, si ea ex parte finis mala fuissent. Quis enim dicat, bonum opus ex fine malo factum a DEO mercede donari? Deinde, quamvis Augustinus asserat, si opera illa discutiantur, quo fine fiant, vix inveniri, quæ justitiæ debitam laudem mereantur; non negat tamen, posse ab infideli aliquod opus etiam bono fine fieri: subdit enim, imaginem DEI non esse penitus in infideli detritam; esset autem detrita penitus, & naturalis ad honestum propensio prorsus sublata, si nullum posset opus ex fine honesto & rectæ rationi conformi efficere. Denique dicit, bona illa opera profutura infideli, saltem ad

mi-

mitiorem pœnam : non autem prodeſſent ad mitiorem, ſed obeſſent potius ad acerbiorem pœnam, ſi forent ex fine mala & proinde nova peccata. In eundem ſenſum pluribus in locis loquitur S. Auguſt. præſertim in Ep. 103. modo 144. ubi laudat temperantiam Palemonis, quam gratiæ Dei adſcribit. Et Lib. de patientia c. 26. & 28. ubi quærit, an Schismaticus, vel Hæreticus, qui mortem pro Chriſto conſtanter obiret, laudandus eſſet? & unde hæc illius conſtantia ? cui quæſtioni reſpondet pluribus , quæ totidem ſunt luculenta veritatis a nobis aſſertæ teſtimonia.

X. *Prob. 3tio.* Præcipuum Janſenii fundamentum evertendo. Exiſtimat ipſe, omnia infidelium opera ideo eſſe peccata, quia licet ex officio aut objecto bona ſint , ea tamen illi, vel in pravum infidelitatis ſuæ finem detorquent, vel ſaltem ad verum , et ultimum finem, nempe DEum , quem ignorant referre omittunt: unde fiunt mala , vel ex appoſitione finis pravi , vel ex omiſſione finis debiti. Atqui ex neutro capite id infertur , quod contendit Janſenius. Ergo. *Prob. min.* quoad utramque partem. Et inprimis , quid cogit , ut infidelis ſemper agat ex affectu , puta ad idolum ? quid pr hibet, quo minus indigentis neceſſitati occurrat, nil cogitando de ſuo idolo, vel de pravo infidelitatis fine? *ſicut enim*, inquit S. Thomas 2. 2. Quæſt. 10. Art. 4. *habens fidem poteſt aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter vel etiam mortaliter peccando ; ita etiam infidelis poteſt aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis.* Cujus ratio eſt, quia homo non ſemper agit ex habitu prædominante; avarus enim aliquando liberalis, impudicus interdum temperans eſt: imo nec homo juſtus ſemper agit ex juſtitia, ſed aliquando peccat. Ergo nec infidelis ſemper agit ex infidelitate , quemadmodum nec peccator ex malitia. Etenim, ut appoſite ad hanc rem Bellarminus Lib. 5. *de Grat. & lib. arbitr.* c. 9. non poteſt

opus inquinari a malitia causæ, seu agentis, nisi quando ab ipsa malitia procedit: nam si ex bono naturæ, non ex adjuncta malitia quis operetur, opus erit simpliciter bonum. Atque hoc modo eleemosyna hominis infidelis bona esse poterit, si fiat misericordiæ causa, non infidelitatis; per accidens enim opus illud est hominis infidelis, per se autem misericordis.

Neque etiam infidelium opera ideo mala sunt, quia non referuntur ad Deum tanquam in finem ultimum. Ut enim jam supra diximus, ad hoc ut actus sit moraliter bonus, non requiritur, ut in Deum ut ultimum finem expresse referatur; sed satis est, si natura sua in Deum tendat, & a Deo non deordinetur per pravum operantis affectum. Præceptum namque, de referendis suis actionibus ad DEum, affirmativum est; ergo non semper obligat, sed certo duntaxat tempore. Quamvis igitur gentilis peccet contra præceptum naturale referendi suas actiones ad DEum, pro tempore, quo præceptum illud urget; non peccat tamen in aliis actionibus ex objecto, & ex fine proximo rectis, cum præceptum non urget. Ergo neque peccato ommissionis peccant Gentiles semper, & in omnibus suis actionibus.

XI. *Prob.* Denique 4*to.* auctoritate summorum Pontificum, Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. qui in suis Constitutionibus non solum memoratam superius 25. Baji propositionem proscripserunt; sed & alias, quæ illius sunt quasi principia & fundamentum. Jansenius L. 4. de *statu naturæ Lapsæ*, postquam c. 25. 26. & 27. complures ex damnatis Baji Propositionibus a censura defendere conatus est, & in sensum Catholicum adducere; c. 27. referens citatam 25. Propositionem, fatetur ingenue, *sibi aquam hærere;* adeo nempe clara est per se propositio, ac presse adeo stringit Romana censura. Cæterum videtur ille non alio consilio opus suum suscepisse, quam ut doctrinæ Baji apologiam adornaret. Quin me-

memorant nonnulli, referente Tournelio, Jansenium Opus suum *Baji apologiam* primum inscripsisse, ac postea immutasse titulum, quod prævidisset concitandam in se Romanam indignationem.

Respondetur ad Objecta.

XII. OBjic. *Imo.* ex sacris litteris illud Apostoli ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.*

Item ex eodem Apostolo ad Hebr. 11. v. 6. *sine fide impossibile est, placere Deo.*

Rursus 1. ad Cor. c. 10. *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quod infideles facere non possunt, utpote qui Deum non cognoscunt.

Denique Matthæi 7. v. 18. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.*

Respondeo ad Imum. Per fidem hoc loco non intelligi fidem Theologicam, sed dictamen conscientiæ, ut ex contextu verborum Apostoli evidens est. Ibi enim agit de novellis Christianis, qui conscientia reclamante cibos manducabant, quos vetitos credebant, quia in lege Mosaica vetiti erant. Propterea illos monet, conscientiam illam erroneam deponere, ne dum illis vescuntur, credentes, sibi vesci non licere, reipsa peccent; cum omne, quod fit contra conscientiæ dictamen, peccatum sit.

Ad 2dum Dist. dictum Apostoli: *sine fide impossibile est placere Deo*, in ordine ad vitam æternam, *Conc.* in ordine ad honestatem moralem, rursus *Distin.* impossibile est placere Deo, id est, persona seu homo infidelis Deo placere non potest, *Conc.* opus rectum, quod facit, Deo placere non potest, *Neg.*

Ad 3tium, Verba illa Apostoli intellecta de expressa actuum nostrorum ad Deum relatione, non præceptum, sed consilium exprimere.

Ad

Ad 4tum, Christum sic loquendo, non aliud velle, quam homines malos ordinarie, & ut plurimum non nisi malum operari, quia ordinarie & ut plurimum non nisi ex cupiditate operantur. Inde tamen non sequitur, quod homines mali, quales sunt infideles, semper male agant: non enim semper operantur ex cupiditate; sed aliquando ex naturali ad honestum propensione, quæ per peccatum penitus sublata non est.

XIII. *Objic. 2do.* Ex S. Augustino, ex quo Janseniani plurima congerunt testimonia, quibus S. Doctorem hæc tria docuisse contendunt: *Imo.* hominem ex se ipso nihil boni posse perficere; voluntatem sine charitate, vitiosam esse cupiditatem, ut videre est Lib. 1. ad Bonifac. c. 3. n. 7. ubi insuper adducit illud Apostoli: *omne quod non est ex fide, peccatum est.* Item Lib. 1. *Retract.* c. 15. n. 4. Rursus Lib. *de grat. & lib. arbitr.* c. 18. n. 37. *In Enchirid. ad Laurentium* c. 117. n. 31.

2do. Ante fidem nihil boni prorsus esse in homine, ut colligitur *ex Tract.* 86. in *Joan.* Et in *Psal.* 31. in *præfat.* Item ex *Epist. ad Sixtum* 194. n. 9. Et ex *Epist. ad Vitalem* 217. n. 10. Denique ex lib. de *gestis Pelagii* c. 14.

3io. Virtutes infidelium esse vitia, & bona, quæ videntur ipsorum opera, esse peccata; quia non ea fiunt intentione recta, qua fieri deberent; nec ad eum finem referuntur, nempe Deum, ad quem referri deberent, ut expresse habetur Lib. 1. *de Nuptiis & concupis.* c. 3. & 4. Et Lib. 4. *contra Julianum* c. 3. Ubi argumentum istud fuse prosequitur nunquam satis laudatus S. Doctor.

Resp. ad 1um. Ea Augustini testimonia, nisi ab ipsis Adversariis benigniore aliqua interpretatione emolliantur, contra ipsos pugnare. Nam Augustinus iis locis exigit ad bonum opus non qualemcunque fidem, sed eam, quæ per dilectionem operatur: hæc autem non solum in infideli non est, sed neque in fideli peccatore. Ergo si verba Augustini sunt in

toto

toto rigore accipienda, ad opus bonum requiretur non solum fides, sed etiam charitas; quod tamen Jansenius asserere non audet, ne in errorem Michaelis Baji a Tridentino, & S. Pio v. damnatum impingat. Intelligendus est itaque S. Doctor iis in locis de bono supernaturali, quod prosit ad vitam æternam, & quod ab homine fieri non potest sine gratia. Id certe docet ex professo cit. C. 3. Lib. 1. *ad Bonifacium*, adversus Pelagianos contendentes, homines per solas arbitrii vires posse universam observare legem, superare tentationes, & omnia peccata vitare. Ubi vero voluntatem sine charitate dicit esse vitiosam cupiditatem; voluntatem usurpat non pro volitione ipsa seu actione, sed pro potentia volendi, quam merito asserit sine charitate vitiosam esse cupiditatem, id est, plenam amore proprio: necesse enim est, ut quoad habitum regnet in voluntate aut charitas, aut vitiosa cupiditas. Unde tamen non sequitur, actum quemcunque, qui fit ab homine infideli, aut peccatore, in quo regnat cupiditas, malum esse; sicut non quælibet actio hominis justi, in quo regnat charitas, justa ac recta est.

Ad 2dum. Eadem fere est responsio: iis nimirum Augustini testimoniis solum demonstrari, sine fide nullum fieri bonum opus morale, quod ad vitam æternam pertineat. *Fides enim*, ait S. Doctor Lib. *de prædest. Sanct.* C. 7. *prima datur, ex qua impetrantur cæteræ, quibus juste vivitur.* De hoc bonitatis genere se loqui aperte explicat S. Doctor Lib. 4. *contra Julian.* C. 3. ubi postquam dixit, nulla Infidelium opera esse bona, nullasque in iis esse veras virtutes, subjungit: *si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christo est vera, promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo possunt esse virtutes.* Hinc patet etiam, quid

Ad 3tium responderi debeat: videlicet S. Augustinum ea scripsisse contra Julianum, cæterosque Pelagianos, qui existi-

mabant, etiam infideles per virtutes morales eximi ab omni vitio & peccato, revera justos fieri posse, ac per opera hujusmodi bona ab æterna damnatione liberari. Quare, ut iis sese opponeret, docuit, ad omne opus bonum fidem requiri, nullumque opus sine fide esse bonum ad sensum Juliani, id est, potens hominem mundare a peccato & justum efficere; quæ doctrina Catholica est. Hinc infert S. Doctor, omnia infidelium opera esse peccata, non quoad actum (nisi forte ab iis fiant ex affectu ad infidelitatem, aut alio pravo fine) sed quoad statum; quia semper fiunt in statu peccati, & ab homine alioquin vitioso. Similiter dicit, virtutes Philosophorum non fuisse veras virtutes, sed vitia; vel quia illos nihil juvabant ad vitam æternam, cum semper essent in statu peccati; vel quia apud infideles raro admodum invenitur aliqua vera virtus, aut opus, quod vere bonum sit, propter defectum intentionis, quæ in illis ut plurimum prava est ac vitiosa, quamvis alioquin ex auxilio Gratiæ Divinæ, qua excitantur, recta esse posset. Unde Lib. *de spir. & lit.* C. 27. loquens de Gentilium operibus dicit, quod, *si discutiantur, quo fine fiant, vix invenientur, qui justitiæ debitam laudem mereantur*, ubi particula *vix* indicat, aliqua infidelium opera, quamvis rarissime, ex recta intentione procedere: vel si absolute aliquando negat, ab infidelibus opera ulla bona exerceri, illud intelligi debet, ut diximus, de operibus bonis æternæ vitæ meritoriis. Unde citato Lib. 4. contra Julianum C. 3. *scito*, inquit, *nos illud tantum dicere bonum hominis, per quod solum potest ad æternum DEI donum, regnúmque perduci.*

XIV. *Objic. 3tio.* Constitutiones summorum Pontificum, quibus damnatur memorata superius 25. Baji propositio, nihil obesse doctrinæ, quam hic impugnamus.

Nam *1mo.* inquiunt Janseniani, Propositio illa Bajana damnata est, quia est indefinita, & innuit etiam indeliberatas infidelium actiones vera esse peccata.

2do.

2*do*. Ajunt, profcriptam illam propofitionem ob acriorem cenfuram, qua Bajus Pelagianifmi incufabat eos, qui negabant, omnia infidelium opera effe vera peccata, uti colligitur ex Propofitione 22.

3*tio*. Afferunt, dictam propofitionem in fe abfolute profcriptam non effe, fed refpective ad Propof. 35. ubi dicitur: *Omne, quod agit peccator, vel fervus peccati, peccatum eft.* Ex qua neceffario infertur, omnia infidelium opera peccata effe, cum illi fint peccatores. Unde rejicitur folum ideo, quia derivata eft ex doctrina hæretica, quam Synodus Trid. Seff.6. Can. 7. cenfura confixit.

4*to*. Damnatam contendunt propofitionem ad fenfum Baji, qui exiftimabat fine gratia fanctificante, inhærente & habituali nullum opus bonum fieri poffe; quod falfum & erroneum eft.

5*to*. Denique diftinguunt inter peccatum agentis, & actionis; putantque, admitti poffe, non omnia Infidelium opera effe peccata, tametfi Infideles ipfi in omni opere fuo peccent peccato faltem omiffionis, opus illud ad DEum, ut oportet, non referendo; quod vitium agentis eft, non actionis.

Refp. Vana hæc effe & inania fubterfugia. Nam *ad 1mum*. dico, Bajum non ignoraffe, quæftionem hic inter Scholafticos moveri de actionibus duntaxat deliberatis. Hinc ejus Propofitio 25. feparatim damnata eft, & ut diftincta a 50. & 51. in quibus fermo eft de actionibus indeliberatis. Ergo aliam ob caufam damnata fuit.

Ad 2dum R. in Propofitione 25. nihil prorfus acerbitatis & acrimoniæ contineri, eamque plane diftinctam effe a Propofitione 22.

R. *ad 3tium*. id gratis & abfque omni fundamento afferi, cu utraque propofitio diftinctum errorem exprimat.

R. *ad 4tum*. Eum non fuiffe fenfum Baji, utpote qui nullam admififfe videtur gratiam fanctificantem habitualem & in-

hærentem, ab actuali distinctam, ut colligitur ex ejus Propositionibus 42. 63. 69.

R. *ad 5tum.* Distinctionem illam inanem esse & absurdam, tum quod non patrocinetur Propositioni Bajanæ; supponit enim omnes infidelium actiones malas non esse, quod negat Bajus; tum quod non satis intelligatur, qua ratione actio infidelis hominis recta esse possit, & tamen operans per eam peccet. Intentio namque agentis influit in actionem, sive is aliquid faciat, quod faciendum non est, sive aliquid omittat, quod fieri debet; malaque est actio, quæ caret perfectione necessaria & debita, nempe relatione in DEUM: igitur vel omnes infidelium actiones eo ipso sunt vera peccata, saltem omissionis, quod ad DEum ut finem ultimum non referantur; vel si vera non sunt peccata, ut revera non sunt, non carent quacunque debita in DEum relatione. Accedit, quod istud etiam effugium præcluserit Alexander VIII. cum die 7. Decemb. Anno. 1690. propositionem N. 8. inter triginta & unam damnavit: *Necesse est infidelem in omni opere peccare.*

Consectarium.

XV. SI ad bonum aliquod opus exercendum nec gratia sanctificans, nec fides Theologica necessaria est, sed & peccator & infidelis quiscunque bonum morale efficere potest, ut authoritate & ratione Theologica adversus Bajum & Jansenium hactenus demonstravimus: & si insuper in hoc statu naturæ lapsæ ac reparatæ ex libera Divinæ Providentiæ ordinatione nulli fiunt actus moraliter boni sine præveniente gratia actuali interiore; manifeste hinc consequitur, fidem non esse primam gratiam, quam DEus concedit infideli; neque peccatorum remissionem esse primam gratiam, quam DEUS largitur peccatori, ut contendit Quesnellus, cujus propterea inter alias etiam sequentes duæ propositiones damnatæ sunt ab

Ec-

Ecclesia: nempe 27. quæ sic habet: *fides est prima gratia & fons omnium aliarum.* Et 28. quæ sic sonat: *prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.* Nam infideles possunt venire ad fidem, & peccatores converti ad Deum; alioquin salus esset eis impossibilis, nec Deus vellet sincere eos salvos fieri. Ergo possunt aliquid boni agere, quod sit vel conditio, vel dispositio ad fidem, & conversionem; nec illud possunt sine gratia, ut certum est adversus Semipelagianos. Ergo est aliqua gratia ante fidem, & peccatorum remissionem. His adde, quod ipse pius credendi affectus, qui fidei actum imperat, sit opus gratiæ ex Conciliis Arausicano II. Tridentino, & Patribus. Ergo fides non est prima gratia. Denique, pii motus, per quos infideles ad fidem, & peccatores ad pœnitentiam DEus vocat, & qui utrosque ad justificationem disponunt, sunt gratiæ ex Tridentino, Sess. VI. Can. 6. Ergo &c.

CAPUT IV.

Quanta sit necessitas Gratiæ ad malum vitandum?

I. GRatiam actualem interiorem necessariam esse ad malum illud seu peccatum vitandum, quod præcepto supernaturali adversatur, & quod sine præcepti illius observantia vitari non potest; quin etiam necessariam esse ad vitanda peccata contra legem naturalem, si sermo sit de tota omnino lege naturali implenda, atque adeo omnibus peccatis eidem legi adversantibus declinandis, perspicuum credo esse ex iis, quæ hactenus disputavimus.

Præsens proinde quæstio in eo tantum versatur; quodnam gratiæ genus homini lapso necessarium sit, ad omnia & quæcunque peccata tam mortalia quam venialia, toto aut longiore saltem vitæ tempore evitanda. Dixi, toto, aut longiore vitæ tempore. Nam quod ad breve aliquod tempus homo, præsertim justus, cum ordinariis gratiæ auxiliis possit se immunem servare ab omni peccato etiam veniali, non est, cur in dubium vocetur. Fieri namque potest, ut per breve aliquod tempus non occurrant peccandi occasiones, tentationes non urgeant, ac præceptum adimplendum facile sit & obvium. Poterunt igitur eo in statu saltem ad breve tempus vitari peccata etiam venialia. Unde illud 1 Joannis 1. v. 8. *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, ait D. Thomas 3. P. Quæst. 79. Art. 4. non esse ita intelligendum, quasi vero nullo omnino tempore possit homo esse absque omni reatu peccati venialis: sed quia vitam istam sancti non ducunt sine peccatis venialibus. Nec obstat illud Prov. 24. v. 16. *Septies in die cadet justus*, hoc enim verbum *in die* nec est in hebræo, nec apud septuaginta Interpretes, nec in latinis vulgatis emendatioribus legitur; sed: *Septies enim cadet justus, & resurget.* Imo S. Augustinus L. 11. de Civ. Dei c. 31. *Septies*, inquit, *cadet justus & resurget*, id est, *quotiescunque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem pertinentibus intelligi voluit.* Quod si etiam de lapsu in peccatum intelligamus, non significatur, quod justus quolibet die septies peccet; sed quod, etiamsi sæpius & multoties peccet, facile semper resurgat.

Cæterum, qualis sit illa mensura temporis, quo possit justus se immunem servare ab omni peccato veniali, incertum est, nec ab homine definiri potest. Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 11. peccata venialia vocat *quotidiana*; sive quod quotidie nonnulla committantur, sive quod frequentiora sint,

in

in qua, ut loquitur, *quantumvis sancti & justi*, *in hac mortali vita quandoque cadunt.*

ASSERTIO PRIMA.

Ad vitanda longiore vitæ tempore omnia peccata mortalia per accuratam cunctorum legis mandatorum observantiam in hoc statu naturæ lapsæ requiritur primum gratia habitualis; tum & specialis gratia auxilians.

II. PRob. *prima pars.* Ut homo lapsus possit diu omnia & singula peccata mortalia vitare, debet habere cor suum ita firmatum in Deo, ut pro nullo bono acquirendo, vel malo declinando, ab illo separari velit. Sed qui est in peccato mortali, non habet cor suum ita firmatum in Deo, sed habitualiter a Deo aversum. Ergo. *Maj. prob.* Cum enim multa occurrant in hac vita mala, quæ formidamus, & bona delectabilia, quæ nos vehementer alliciunt; si quis non habeat cor suum firmatum in Deo, facile propter consequenda illa bona, aut vitanda illa mala recedet ab illo, & contemnet præcepta ejus: sicque impossibile erit, ut aversus habitualiter a Deo, diu operetur conformiter ad legem Divinam, seu longiore tempore ab omni gravi Dei offensa sese abstineat. *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est*, ait Scriptura Thren. 1. v. 8. Unde S. Thomas 1. 2. Quæst. 109. Art. 8. docet, hominem *in statu naturæ corruptæ indigere gratia habituali sanante naturam, ad hoc quod omnino a peccato abstineat.* Rationem reddit S. Gregorius Magnus L. 25. in Job. c. 9. *quia peccatum*, inquit, *quod pœnitentia non diluit, mox ipso suo pondere ad aliud trahit.* Et Homil. 17. in Ezech. *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati; si citius pœnitendo non tergitur, justo judicio Omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in alteram culpam cadere permittit.* Si ergo pecca-

catum manens reatu, aliud peccatum trahit, & si peccator meretur, ut Deus in pœnam præcedentis & nondum per pœnitentiam deleti peccati, sinat eum labi in alia, quomodo poterit longiore tempore se ab omni culpa præservare? Adde, quod hominem in tali statu multa circumstent, quæ tam interius, quam exterius ipsum provocant & alliciunt ad peccandum: nimirum rebellio appetitus, tentatio dæmonis, societas pravorum hominum &c. quæ rationem per peccatum habitualiter a Deo aversam in continuo rursus peccandi tenent periculo, quod propriis viribus longiore saltem tempore vitare neutiquam potest.

III. *Prob. etiam altera pars*: Impotentia moralis, quæ est in homine lapso & in statu peccati mortalis constituto ad vitanda omnia peccata per accuratam totius legis observantiam, non solum oritur ex rebellione & aversione mentis a Deo, sed etiam ex rebellione & pugna appetitus inferioris contra rationem. At licet gratia habitualis mentem subjiciat Deo ultimo suo fini; rebellionem tamen appetitus contra rationem non tollit, sed eam relinquit ad agonem & meritum, ut habet Trident. Sess. VI. de *pecc. origin.* & ipsa nos docet experientia. Ergo præter gratiam habitualem requiritur specialis gratia auxilians, qua rebellioni ejusmodi homo possit resistere, impedimenta occurrentia superare, & sic per legis universæ observantiam omnia peccata mortalia longiore tempore declinare.

Quod vero auxilium illud, quod hic requirimus, sit gratia specialis, probatur inde: quia semper determinari ad bonum, & averti a malo, vires adesse ad superandas graves tentationes &c. specialis gratia est homini infirmo & lapso. Atqui hoc totum requiritur ad vitandum longiore tempore peccatum mortale: ergo. Hoc certe speciale gratiæ auxilium Apostolis suis, jam justis & mundis, a Patre exorabat Christus Joan. 17. v. 11. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo.* Hoc exi-

exigunt Patres Concilii Arausicani II. Can. 10. *Adjutorium Dei renatis & sanctis est semper implorandum; ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Hoc requirit Cœlestinus Pontifex in Epist. ad Gallos, c. 3. *Nemo*, inquiens, *etiam per Baptismatis gratiam renovatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis accipiat.* Hoc idem S. Augustinus passim inculcat, & præsertim Lib. de natura & gratia C. 26. *sicut*, inquit, *oculus corporeus etiam plenissime sanatus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. Sanat ergo DEUS, non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam, ne peccemus.*

Respondetur ad Objecta.

IV. OBjic. 1mo *contra primam Assert. partem.* Si ad vitanda longiore tempore peccata mortalia necessaria foret gratia sanctificans, homo in statu peccati mortalis constitutus necessario peccaret; qui enim non habet facultatem diutius vitandi peccatum, necessario peccat. Sed hoc admitti non potest: ergo.

Resp. Neg. maj. quod videlicet absolute necessario peccaret: DEUS enim omnibus dat auxilia sufficientia, quibus saltem remote possit ad gratiam sanctificantem se disponere, vel certe a DEO postulare auxilium ad non peccandum. Quod si quis ad eam nec se disponit, nec auxilium illud postulat, necessario quidem peccat, sed necessitate a propria voluntate sibi imposita; quia cum posset uti mediis ad gratiam habitualem obtinendam conducentibus, ea libere respuit. Quamvis enim in hominis potestate non sit, gratiam habere vel advocare; in ejus tamen potestate est, per auxilium DEI

ad eam se disponere, aut ipsum petere auxilium, vel ei saltem obicem non ponere.

V. *Objic. 2do*: Cum sola gratia auxiliante potest quis etiam longiore tempore ab omni peccato gravi abstinere. Ergo superflua est in hunc finem gratia sanctificans. *Ant. prob.* Si DEUS, quoties instat præceptum, aut urget gravis tentatio, conferat homini auxilium gratiæ, poterit is præceptum illud servare, & tentationem vincere. Ergo.

Resp. Dist. ant. Cum sola gratia auxiliante potest homo &c. attenta natura rei *Con. ant.* attenta præsente providentia, *Neg. ant. & cons.* Fateor quidem, posse DEum absolute & spectata natura rei hominem longiore, vel etiam toto vitæ tempore conservare in observatione omnium mandatorum legis quoad substantiam cum solo auxilio actuali & sine gratia justificante; secundum modernam tamen providentiam necessaria est gratia justificans. Decrevit namque DEUS, quemadmodum ex scriptura & Patribus constat, ut homines redempti a peccato prius mundarentur, ut eum diligerent, & ex amore erga ipsum per accuratam præceptorum tam naturalium quam supernaturalium observantiam, gravem ipsius offensam declinarent; atque sic legis observantia, utpote ex amore profluens esset jugum suave, & onus leve. Cujus Divinæ dispositioni ipsa experientia suffragatur: nemo enim usque modo fuit, qui in peccato, & gratia sanctificante destitutus totam legem ac mandata omnia longiore tempore custodierit; ut impleatur illud Joan. 14. v. 24. *Qui non diligit me, sermones meos non servat.*

VI. *Inst.* Gratia habitualis datur præcise ad hominem sanctificandum, non ad operandum; ad hoc enim datur gratia auxilians. Ergo.

Resp. Dist. ant. Non datur ad operandum directe, *Conc. ant.* indirecte, tanquam removens obicem, *Neg. ant. & cons.* Esto gratia justificans ad operandum non requiratur, sicut auxi-

auxilians requiritur, directe & per se; requiritur tamen tanquam id, quod removet obicem, nempe peccatum prohibens dilectionem, a qua in præsenti providentia incipere debet observantia legis, & per quam voluntas redditur firma ad operandum secundum legem, & ad vitanda omnia peccata legi adversantia.

VII. *Objic. 3tio. contra alteram Assertionis partem.* Ideo homo lapsus non potest sine gratia habituali omnia peccata mortalia diu vitare, quia hoc est opus hominis sani. Sed homo gratia sanctificante præditus est homo sanus. Ergo hæc sola sufficit absque ulteriore auxilio ad vitanda longiore tempore peccata mortalia.

Resp. Dist. min. Est sanus quoad mentem, *Conc.* quoad carnem & appetitum inferiorem, *Neg.* Responsio est D. Thomæ q. 109. art. 9. Quamvis enim homo per gratiam sanctificantem sanetur quoad mentem, utpote quæ per gratiam illam DEO subjicitur; remanet tamen in eo corruptio quoad carnem, seu appetitum inferiorem & concupiscentiam, ex qua graves frequentesque tentationes oriuntur, quæ voluntatem ad peccandum inclinant: quare ut homo justificatus illas superet, & peccatum evitet, præter gratiam justificantem eget insuper speciali auxilio DEI. Et licet per justitiam habitualem cor hominis firmetur in bono; quia tamen in hac vita non firmatur immobiliter, si ulterior gratia, nempe actualis & auxilians non adsit, & gravis urgeat tentatio, in bono gratiæ justificantis, quod a DEO accepit, haud diu perseverabit.

ASSERTIO SECUNDA.

Homo justus non potest toto, aut etiam longiore vitæ suæ tempore, cum auxiliis ordinariis, gratiæ habituali annexis, vitare omnia peccata venialia. Potest tamen ex privilegio speciali, & cum auxiliis gratiæ extraordinariis.

VIII. PRob. 1ma pars authoritate Scripturæ. Proverb. 20. v. 9. *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Eccles. 7. v. 21. *Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Paralip. 2. cap. 6. v. 36. *Non est homo, qui non peccet.* Psal. 142. v. 2. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Jacob. 3. v. 2. *In multis enim offendimus omnes* Et 1. Joan. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Hinc manifeste ostenditur, neminem cum ordinariis gratiæ auxiliis absque omni peccato vivere posse. Propterea est, quod omnes etiam justi quotidie orare debent: *Dimitte nobis debita nostra.*

Idem affirmant SS. Patres. Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem. Et lib. 2. contra Pelagianos; quorum inter alios hic erat error, posse hominem esse absque omni peccato. S. Augustinus. Tract. 1. in primam Joann. *Non potest homo, quamdiu carnem portat, non habere leviora peccata.* Idem passim inculcat contra Pelagianos. Ut serm. 29. *de verbis Apostol.* c. 2. L. 2. *contra Julianum* c. 8. Lib. de *perfect. justit.* Lib. *de Nat. & Grat.* c. 12. & seq. Lib. de *Grat. Chr.* c. 45. Et Lib. *de dono persev.* c. 2. ubi inter ea, quæ contra Pelagianos defendit Ecclesia, hoc secundo loco recenset: *In quantacunq ne justitia, sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.*

IX.

IX. Pelagiani quidem respondere solebant, verba e Scripturis petita, atque illud cumprimis ex Epist. 1. Joann. c. 1. *Si dixerimus* &c. solum significare, quod justi fateri debeant se habere peccata, vel humilitatis gratia; vel quia sunt pars populi, qui in peccatis est.

Verum contra primam responsionem est, quod S. Joannes simpliciter & absolute dicat, *nos ipsos seducere, & veritatem in nobis non esse, si dixerimus, quoniam peccatum non habemus.* Imo subdit: *Si confiteamur peccata nostra; fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Sentit ergo S. Joannes, debere nos confiteri esse peccatores, non tantum ex humilitate, sed quia revera omnes in peccatis sumus. Ita intellexerunt S. Augustinus serm. 29. de *verb. Apost.* & Patres Concilii Milevitani, qui Can. 6. sic definiverunt: *Quisque sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem dici, nos habere peccatum, non quod vere ita est, anathema sit.*

Posteriori responsioni obstant testimonia scripturæ supra relata, quibus pariter absolute dicitur, *non esse hominem, qui non peccet.* Ut proinde merito eadem Synodus Milevit. C. 7. rejiciat explicationem, qua Pelagiani illa Dominicæ Orationis verba, *dimitte nobis debita nostra*, contendebant a Sanctis dici, non pro se ipsis, sed pro aliis non Sanctis & Justis. Cui inhærens Concilium Trid. Sess. 6. C. 11. *illa*, inquit, *vox est, & humilis & verax: dimitte nobis debita nostra.* Ex qua doctrina confecit Canonem 23. ubi ait: *Si quis hominem semel justificatum dixerit . . . posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali DEI privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

X. Ex laudatis autem Scripturæ, Conciliorum, & Patrum testimoniis sequens argumentum conficitur: Si cum ordinariis gratiæ auxiliis homo justus posset per totam vitam, aut diuturnum tempus omnia peccata venialia vitare, aliqui

iisdem auxiliis adjuti ea vitassent. Atqui revera non vitarunt, *cum non sit homo, qui non peccet; cum nullus vivens in conspectu DEI justificetur, cum in multis offendimus omnes.* &c. Ergo. Cujus ratio ex ipsa naturæ infirmitate ducitur, qua fit, ut non possit homo omnes obrepentes tentationes superare, omnesque, qui insurgunt concupiscentiæ motus statim comprimere. Quamvis enim justus sufficientes habeat vires cuicunque peccato seorsim ac divisim vitando; spectata tamen eorum multitudine & varietate, tentationum insuper vehementia, continuis labendi periculis & occasionibus, necesse est tandem hominem satiscere ac superari: adeo nempe natura per peccatum originale vitiata est, ac debilitata.

XI. *Prob. nunc altera Assert. pars.* Ut quis per totam vitam, aut longius tempus ab omni peccato veniali se immunem præstet, requiritur, ut erecto semper ac vigili sit animo, ut obrepentes concupiscentiæ motus statim compescat, tentationes superet, peccandi occasiones declinet. Sed quamvis id fieri non possit ab homine justo cum auxiliis gratiæ ordinariis, fieri tamen poterit cum auxiliis extraordinariis, & ex singulari DEI privilegio, ut habent laudata paulo ante verba Concilii Tridentini Sess. 6. Can. 23. Unde & Pelagius absolutus est, cum dixisset, hominem posse esse sine peccato, sed cum gratia DEI; ut refert S. Augustinus Lib. *de Gestis Pelagii* c. 6. n. 16. Et ipse S. Doctor Lib. 2. de pecc. mer. & remis. c. 6. *si a me quæratur*, inquit, *utrum homo sine peccato possit esse in hac vita, confitebor posse per DEI gratiam, & liberum ejus arbitrium.*

Diximus, id fieri posse ab homine justo cum extraordinariis gratiæ auxiliis, & ex speciali DEI privilegio. Ubi diligenter observa, per *extraordinarium auxilium* hic intelligi gratiam intellectus & voluntatis, eamque fortiorem, quam quæ præcise par est atque sufficiens observando alicui præcepto, aut vitando simpliciter peccato: *speciale* vero *privilegium*

gra-

gratiæ appellari gratiam, quæ non datur etiam justis & prædestinatis ex ordinaria DEI providentia. Unde extraordinaria aut specialis gratia, & speciale gratiæ privilegium duo sunt inter se diversa atque distincta. Justis omnibus perseverantibus per longum tempus dantur gratiæ extraordinariæ & speciales; sed quia dantur omnibus Justis ita perseverantibus, non sunt speciale privilegium. At abstinere ab omni prorsus peccato veniali per totam vitam, speciale est privilegium; quia nemini forsan datum, nisi Beatissimæ Virgini Mariæ.

XII. Ad vitandum itaque omne peccatum veniale non sufficiunt auxilia gratiæ etiam extraordinaria, sed requiritur insuper speciale gratiæ privilegium, quod quia soli Beatæ Virgini concessum esse credimus, nullum hominem purum, ea sola excepta, abstinuisse unquam ab omni peccato veniali, existimamus. Hanc esse de Beata Virgine Ecclesiæ sententiam, docet citato Can. 23. Sess. VI. Concilium Tridentinum. Eadem est mens S. Augustini Lib. de Nat. & Grat. cap. 36. ubi de Sanctis Viris, ac Mulieribus, quos Pelagius enumerabat, sine peccato vixisse, *Excepta*, inquit, *Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem: unde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum? Hac ergo excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? .... Nonne una voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Quamvis autem ea sit Augustini sententia, definire id tamen non audet S. Doctor tanquam ita certum, ut damnari debeat, qui paucos quosdam alios, præter Beatam Virginem, assereret nullum unquam peccatum admisisse. Ita namque expresse habet Lib. de perfect. Justitiæ cap 21. n.

44. *Poſtremo, ſi excepto illo capite noſtro....* (nempe Chriſto, de quo extra controverſiam eſt, nullam in eo vel leviſſimi peccati labem fuiſſe, aut eſſe potuiſſe, propter unionem perſonalem Verbi cum humanitate) *aſſeruntur vel fuiſſe, vel eſſe in hac vita aliqui homines juſti ſine peccato.... non nimis exiſtimo reluctandum. Scio enim quibusdam eſſe viſum, quorum de hac re ſententiam non audeo reprehendere, quanquam nec defendere valeam.*

Reſpondetur ad Objecta.

XIII. O*bjic. 1mo.* Peccata non ſunt, quæ vitari non poſſunt. Ergo ſi peccata venialia non poſſunt vitari absque ſpeciali privilegio, & illud privilegium DEus non eſt paratus conferre, jam peccata non ſunt proprie dicta.

Reſp. Diſt. cons. Si vitari non poſſunt ſingula ſeorſim, *Conc.* omnia collective, *Neg. cons.* Peccata non collective, ſed diviſive vitanda occurrunt; ſeorſim itaque vitari poſſunt, & ſeorſim imputantur. Ut enim imputentur, ſatis eſt, quod homini adſit auxilium, quo valeat ſingula diviſive vitare. Ita S. Thomas q. 109. art. 8. *Non poteſt homo abſtinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus ſenſualitatis, cujus motus ſingulos quidem ratio reprimere poteſt: & exhibent rationem peccati, & voluntarii, non autem omnes.* Et ratio eſt: quia homo tunc ſolum peccat, quando non reprimit motus inordinatos, quos reprimere poteſt, ac debet. Cum autem non poſſit reprimere totam collectionem motuum inordinatorum, ſtante corruptione fomitis; hinc fit, quod peccata eidem non imputentur collective, ſed ſeorſim & diviſive, prout nempe vitanda occurrunt, & ab eo vitari poſſunt.

XIV. *Inſt.* Præceptum habetur de nunquam peccando venialiter. Ergo habetur præceptum de vitanda tota colle-

lectione ; quia nunquam peccare, idem est, ac vitare totam collectionem peccatorum : sed præceptum non datur de impossibili ; DEUS enim impossibilia non jubet. Ergo.]

Resp. Neg. conf. Præceptum enim de nunquam peccando venialiter est de vitandis peccatis, prout hic & nunc vitanda occurunt ; occurrunt autem, ut diximus, vitanda divisive, non collective. Unde sufficit, ut omnia possit vitare divisive, seu, quod idem est, ut nullum defacto occurrere possit, quod vitari nequeat ; id vero stat cum impotentia vitandi omnia collective. Sicut, licet impossibile sit, ut non veniant scandala, testante Domino, Matth. 18. v. 7. *Necesse est ut veniant scandala* ; & in collectione hominum potestas non detur, ad vitanda omnia scandala ; nullus tamen est homo, qui non possit, atque etiam non teneatur scandalum evitare. Propterea subjungitur : *verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Ita in casu nostro. Sed *inquies* : Si non potest homo omnia collective peccata vitare ; ergo ad aliquod patrandum necessitate compellitur. Resp. *Neg. conf.* Necessitas enim illa peccandi vaga est & indeterminata, quæ in nullum cadit particulare peccatum ; quia nullum seorsim est, quod necessario patretur.

XV. *Objic. 2do* : Potest homo ad breve tempus ab omni peccato veniali abstinere. Ergo etiam toto, vel longiore vitæ tempore abstinere poterit. *Prob. conf.* Si brevi tempore se contineat, & tentationes superet, merebitur a DEO hac sua continentia & victoria novas gratias novasque vires, quibus adjutus & roboratus deinceps etiam se a peccatis immunem præstet.

Resp. Conc. antec. Neg. conf. Ad prob. dico, posse quidem absolute loquendo justum mereri & impetrare nova a DEO auxilia, quibus immunis etiam deinceps reddatur ob omni peccato; attamen in moderna providentia, & stante fomite peccati, ac appetitus inferioris rebellione, cum non semper faciat, quod po-

potest, ac pro sua infirmitate brevi rursus deficiat; inde est, quod de potentia ordinaria longiore tempore se ab omni peccato præservare non possit. Hinc B. Virgini, cui soli concessum dicimus privilegium vitandi omnia venialia, concessum fuit per immunitatem a fomite, & perfectam subjectionem appetitus inferioris: aliis autem, in quibus rebellio illa est, & peccandi fomes viget, non est datum speciale istud gratiæ privilegium. *Dices*: Si non possumus ab omni peccato abstinere, nec posse a DEO speramus, cur ab eo petimus esse sine peccato: *ut ad nullum declinemus peccatum*? *Resp.* id rationabiliter nos a DEO petere, tum quod nullum seorsim sit peccatum, quod cum DEI gratia vitare non possimus, licet gratiam non speremus, qua omnia collective vitare valeamus; tum quod oratio illa prosit ad peccandum rarius, & delenda aut imminuenda peccata, quæ jam commisimus.

XVI. *Objic. 3tio.* Nonnulli justi laudantur in Scripturis tanquam immunes ab omni omnino noxa etiam veniali. Nam Psal. 118. v. 1. dicitur: *Beati immaculati in via.* Et de Job hæc habentur Job. 1. v. 8. *Quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus ac timens DEUM, & recedens a malo.* Similiter de Zacharia & Elisabeth Luc. 1. v. 6. *Erant autem justi ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* Denique ad Philipp. 3. v. 15. *Quicunque ergo*, ait Apostolus, *perfecti sumus, hoc sentiamus.* Sed qui pronunciantur immaculati, incedentes in omnibus mandatis sine querela, recedentes a malo, perfecti &c. dicuntur caruisse omni culpa etiam veniali. Ergo.

Resp. Nego. min. Perfecti dicuntur justi, quia ad perfectionem toto conatu tendunt, non quia eam jam in hac vita consecuti sunt. Unde Paulus ad Philipp. 3. ubi se ipsum inter perfectos recenset v. 12. dixerat: non *quod jam acceperim, aut perfectus sim.* Quæ verba Augustinus L. 3. ad Bonifacium c. 5. ideo ab Apostolo dicta esse contendit, *ut ostenderet,*

ret, *secundum istius vitæ modum esse quamdam perfectionem; eique perfectioni hoc quoque deputari*, *si se quisque noverit nondum esse perfectum.* Immaculati etiam in hac vita appellantur, non qui nullam prorsus habent maculam; sed, vel qui nulla peccati mortalis labe infecti sunt, vel quamvis venialia quædam committant, cito tamen ab iis mundari satagunt. Non absurde, inquit Augustinus Lib. *de perfect. justitiæ* c. 9. *ingredi sine macula dicitur carens criminibus damnabilibus*, *atque ipsa peccata venialia non negligens.* Dicuntur etiam quidam *ambulasse in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela*, id est, ut interpretatur S. Augustinus Lib. *de Gratia Christi* c. 48. *secundum quamdam inter homines conversationem laudabilem*, *quam nullus hominum juste posset in criminationis querelam vocare. . . . Non autem dictum est hoc secundum illam perfectionem justitiæ*, *in qua vere & omnimode immaculati perfectique vivemus* nempe in patria. Job denique, quantumcunque justus fuerit & recedens a malo, liber tamen in hac vita non erat a lege, quæ repugnat legi mentis, & proinde nec a levibus noxis, quæ ex ejus subreptione contrahuntur. Unde ipse coram DEO peccata sua confitetur, & aperte ait, quod *non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens.*

Consectarium.

XVII. OStensum est hactenus, gratiam habitualem nequaquam sufficere ad evitanda diu peccata omnia tam mortalia, quam venialia; sed ad illa declinanda requiri insuper extraordinaria gratiæ actualis auxilia, ad hæc vero etiam privilegium speciale. His illud adjiciendum videtur, tanquam traditæ hactenus doctrinæ consectarium: eandem gratiam habitualem non sufficere ad quodvis etiam seorsim & divisive vitandum peccatum, quod vitari non potest nisi per observantiam præcepti supernaturalis, aut quodcunque bonum supernaturale

rale operandum, ſed ad id requiri præterea gratiam actualem; ut proinde homo juſtus per ſe ipſum & cum ſola gratia ſanctificante, neque peccatum vitare, neque bonum ſalutare operari poſſit abſque auxilio gratiæ interioris actualis.

Probatur id generatim iis omnibus Scripturæ & Patrum teſtimoniis, quæ ſuperioribus Capitibus adverſus Pelagianos, ac Semipelagianos protulimus. Quibus accedit aperta Conciliorum Arauſicani II. & Dioſpolitani definitio. Illud Can. 9. *Quoties*, inquit, *bona agimus*, *DEUS in nobis atque nobiſcum*, *ut operemur*, *operatur*. Et Can. 19. *Natura humana*, *etiamſi in illa integritate*, *in qua condita eſt*, *permaneret*, *nullo modo ipſam*, *Creatore ſuo non adjuvante*, *ſervaret. Unde cum ſine DEI gratia ſalutem non poſſit cuſtodire*, *quam accepit*, *quomodo ſine DEI gratia poterit reparare*, *quod perdidit?* Et in altero, ſcilicet in Dioſpolitano Concilio oppoſitam ſententiam, nempe *Gratiam DEI atque adjutorium non ad ſingulos actus donari*, tanquam hæreticam damnare coactus eſt Pelagius, ne ipſe ut hæreticus damnaretur, teſte S. Auguſtino Lib. *de Geſtis Pelagii* Cap. 4. Nec non Epiſt. 106. modo 186. & 107. modo 217. ad Vitalem c. 2. ſcribens: *Hæc eſt illa Pelagianorum mala*, *male diffamata*, *meritoque reprobata*, *& ab ipſo etiam Pelagio timente damnari*, *in Orientalium Epiſcoporum judicio damnata ſententia*, *qua dicunt*, *gratiam DEI non ad ſingulos actus dari*. Et poſtea inter duodecim ſententias, quas ſe tanquam ad fidem veram pertinentes profiteri teſtatur, hanc recenſet: *Scimus majoribus* (hoc eſt adultis, ſeu ratione utentibus) *ad ſingulos actus dari*. Hinc laudata Synodus Palæſtina diſtinguit gratiam majorum a gratia parvulorum, & dicit, hanc *majoribus ad ſingulos actus dari*. Ergo non loquitur de gratia habituali, quæ in utriſque conſervatur; ſed de nova gratia actuali, quæ majoribus datur; neque enim idem eſt *dari*, ac *conſervari*. Quapropter, ſeu ſermo ſit de adultis, qui dono gratiæ habitualis jam inſtructi

ĉti ſunt, ſive de Catechumenis, aut ad juſtificationem ſe diſponentibus, ſeu univerſim de quibuscunque boni aliquid ſalutaris cogitantibus, volentibus, agentibus; fatendum eſt, nihil eorum facere poſſe, niſi ipſis detur ad ſingula adjutorium gratiæ interioris aĉtualis.

CAPUT V.

An ad perſeverandum usque ad finem in accepta juſtitia opus ſit auxilio gratiæ ſpecialis?

I. Duplex perſeverantiæ genus hoc loco diſtingui ſolet. Unum, quo quis non toto, ſed aliquo tantum etſi longiore vitæ tempore in gratia ſanĉtificante perſiſtit. Alterum, per quod usque ad extremum omnino vitæ ſpiritum in eadem gratia perſeverat, ſeu ipſam mortem cum gratia ſanĉtificante conjungit; quæ vulgo perſeverantia finalis nuncupatur. De perſeverantia priore modo accepta egimus ſupra, cum oſtendimus, hominem etſi juſtum, non poſſe diu abſtinere a peccatis, & longo tempore perdurare in gratia, absque auxiliis gratiæ extraordinariis. Supereſt nunc dicere de perſeverantia alterius generis, *qua* nempe *usque in finem perſeveratur in Chriſto*, ut ait S. Auguſtinus Lib. de dono perſever. cap. 1. *Finem autem dico, quo vita iſta finitur, in qua tantummodo periculum eſt, ne cadatur.* De hac igitur quæritur in præſenti: an ſit ſpeciale donum, juſto cuicunque prorſus indebitum, & diſtinĉtum a dono gratiæ ſanĉtificantis, ab habitibus ſupernaturalibus gratiam comitantibus, & ab ipſis etiam extraordinariis auxiliis, quæ conceduntur ad perſeverandum longiore quidem, ſed non toto vitæ tempore?

II. Qua quidem in quæſtione duo fuere errores, & duæ etiamnum inter Catholicos verſantur opiniones. Primus error fuit Pelagianorum, qui, ſicut ad nullum pietatis aĉtum, ita ne-

neque ad perseverantiam finalem gratiam per Christum absolute necessariam esse contendebant. Alter quorundam Massiliensium Semipelagianorum, qui, ut scribit Hilarius ad Augustinum, asserebant, requiri quidem gratiam ad perseverandum usque in finem; sed quæ non sit specialis, & distincta a gratia, per quam quilibet justus perseverare potest.

Catholicarum opinionum prior affirmat, perseverantiam finalem esse quidem speciale donum indebitum justo, quando a prima sua justificatione usque ad finem vitæ longius tempus intercedit; quia hoc tempore occurrunt, aut præcepta observatu difficilia, aut tentationes graves vincendæ, vel alia pericula, ad quæ vitanda specialibus opus est gratiæ auxiliis: secus vero ad perseverandum finaliter per breve tempus, quo vel nullum ejusmodi præceptum observandum, vel tentatio vincenda occurrit. Ita Vega in Trid. Lib. 12. cap. 22. id ipsum a fortiori dicturus de perseverantia parvulorum, qui suscepto Baptismo moriuntur; cui consentit Duvallius. Quapropter sententiæ hujus Defensores perseverantiam dicunt speciale donum, non præcise quia finalem, sed quia diuturnam. Altera vero opinio asserit, perseverantiam finalem, sive ad breve, sive ad longum tempus, eo ipso quod finalis sit, semper esse specialissimum DEI donum, a gratia habituali, & aliis auxiliis distinctum. Nos errores primum refutabimus, deinde communiorem, ac probabiliorem Catholicorum opinionem stabiliemus.

ASSERTIO PRIMA.

Ad perseverandum finaliter necessaria est Gratia per Christum, eaque prorsus specialis, a gratia sanctificante, & communibus auxiliis distincta.

III. PRima Assertionis pars est contra Pelagium. Si namque necessaria est gratia ad singulos pietatis actus, ut Syno-

nodus Palæstina Pelagium fateri coegit, & a nobis sufficienter ostensum est; necessaria utique etiam erit ad perseverantiam finalem, utpote quæ inter pietatis actus potissimum locum tenet, cum sine ea reliqui omnes ad vitam æternam hominem non perducant. Ejusdem insuper vitæ æternæ meritoria est perseverantia finalis, vel huic saltem vita æterna adnexa, juxta illud Matthæi 24. v. 13. *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Atqui sine gratia per Christum vita æterna haberi non potest. Ergo absque gratia etiam perseverantia finalis haberi non poterit. Denique perseverantia a DEO poscitur. Ergo DEI donum est; neque enim a DEO poscitur, quod ipse non donat. Hinc S. Augustinus Lib. de dono persever. cap. 2. *Cur perseverantia ista poscitur a DEO, si non datur a DEO? an & ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate? .... Jam hoc qui dicit, non meis disputationibus refellendus, sed Sanctorum orationibus revocandus est.*

IV. *Pars altera Assert.* est contra Semipelagianos: Et *probatur* 1mo. ex Conciliis Arausicano II: & Tridentino. Illud enim Can. 1mo. sic habet: *adjutorium DEI etiam renatis, & sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Ut quid implorare illud deberent, si non foret donum distinctum a gratia habituali, qua justi cæteroquin præditi sunt? cum nemo petat ab alio, quod in sua potestate habet. Petunt autem, quia, ut ait Cælestinus Epist. ad Episcopos Galliæ c. 6. *sciunt, neminem, etiam Baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias; nisi per quotidianum adjutorium DEI perseverantiam bonæ conversationis acceperint.* Tridentinum vero Sess. 6. Can. 16. perseverantiam, de qua hic loquimur, vocat, magnum *perseverantiæ donum.* Et Can. 22. ita definit: *si quis dixerit, justificatum,*

tum, vel sine speciali auxilio DEI in accepta justitia perseverare posse, vel cum ea non posse, anathema sit.

V. *Prob. 2do.* Ex S. Augustino, qui librum integrum de dono perseverantiæ conscripsit, in quo plurimis Scripturæ testimoniis, imprimis vero ex Oratione Dominica Catholicam hanc doctrinam demonstrat: *Si alia documenta non essent*, ait, c. 7. *hæc dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret.* Et infra: *Prorsus in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia; sed attendat quotidianas orationes suas. Orat, ut increduli credant: DEus ergo convertit ad fidem. Orat, ut credentes perseverent: DEus ergo donat perseverantiam usque in finem.* Item L. de Corrept. & Gratia c. 6. *Negare non possumus, etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem magnum esse DEI munus: nec esse nisi ab illo, de quo scriptum est* Jacobi 1. v. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum.* Idem sat fuse prosequitur capite 7. & 8.

VI. *Prob. 3tio. ratione theologica.* Gratia habitualis cum omnibus auxiliis ipsi annexis est communis omnibus justis; donum autem perseverantiæ finalis non est omnibus commune, sed uni datur, alteri non datur, quod inscrutabilibus DEI judiciis tribuit Augustinus L. de de dono persev. c. 9. *Ex duobus piis*, inquit, *cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, inscrutabilia sunt judicia DEI.* Accedit, quod donum perseverantiæ finalis sit specialis DEI providentia, qua DEus hominis mortem ita definit, ut ea cum gratia habituali conjungatur, ex intentione absoluta salvandi hominem illum, ut rursus Augustinus laudato Libro c. 17. Est insuper donum, quod discernit perseverantem a non perseverante. Atqui ante assecutionem gloriæ, perseverans non discernitur a non perseverante, nisi penes istam specialis divinæ providentiæ dispositionem. Ergo hæc providentiæ divinæ dispositio est speciale DEI beneficium, & in ratione beneficii

ficii longe maximum, propter connexionem cum æterna gloria; atque ex majori dilectione a DEO conceditur, quam quodlibet aliud beneficium, quod infallibili hac cum æterna gloria connexione caret. Denique perseverantia finalis tale donum est, ut qui illud habuerit, revera in finem usque perseveret: *de illa enim perseverantia loquimur*, inquit Augustinus, c. 6. *qua perseveratur usque in finem; quæ, si data est, perseveratum est usque in finem, si autem non est perseveratum usque in finem, non est data.* Atqui donum tale, quo, cui datum est, is perseveret usque in finem, est donum a gratia habituali, & communibus auxiliis distinctum; cum non omnes justi usque in finem perseverent, imo multi, qui tota fere vita in justitia perstiterunt, ad extremum defecerint; & contra multi, qui toto vitæ tempore justitia caruerunt, eandem in fine adepti sint. Ergo.

ASSERTIO SECUNDA.

Perseverantia finalis est speciale donum, non iis tantum, qui post acceptam justificationis gratiam diu in ea perseverant; sed & in iis, sive adulti sint, sive parvuli, qui post acceptam, seu per Baptisma, seu per pœnitentiam, gratiam sanctificantem, statim aut paulo post moriuntur.

VII. PRob. Effectus providentiæ specialis prædestinativæ, habens infallibilem connexionem cum salute æterna, in quocunque reperiatur, est donum DEI speciale, distinctum a gratia habituali, & auxiliis communibus, quin & extraordinariis, quæ nempe solum dantur ad perseverandum longiore, non vero toto vitæ tempore; quia hæc, utpote electis, & reprobis communia, non sunt effectus providentiæ specialis prædestinativæ. Sed perseverantia finalis etiam in parvulis, vel adultis, qui post acceptam justitiam per Baptisma, vel per pœnitentiam, statim, aut pauo

lo post moriuntur, est effectus specialissimus providentiæ specialis prædestinativæ, & habet infallibilem connexionem cum salute æterna. Ergo est speciale DEI donum, in quocunque demum reperiatur. Quod namque adultus, post acceptam per pœnitentiam gratiam, statim, vel post breve tempus ex hac vita decedat; quod infans fonte Baptismatis regeneratus, antequam ad usum rationis perveniat, morte rapiatur, specialis utique DEI gratia est, & effectus providentiæ prædestinativæ; quæ cum utrumque ad salutem ordinaverit, definit utriusque mortem pro eo tempore, quo uterque est in gratia; & non finit eos diutius vivere, ne expositi gravibus tentationibus, & labendi periculis, subjectique mobilitati proprii arbitrii, eam peccando, antequam moriantur, amittant, juxta illud Sapientiæ 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius . . . propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Hinc Augustinus Lib. 1. de dono persever. cap. 1. *Hanc*, inquit, *certe de qua nunc agimus, perseverantiam usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem: potiusque hanc habuit unius anni fidelis, & quantum infra cogitari potest, si donec moriatur, fidelis vixit; quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem a fidei stabilitate defecit.* Audis, Augustinum statuere perseverantiæ finalis donum, non in tempore, quo quis perseverat in gratia, sed in eo, quo fideliter vivit, & perseverat usque ad mortem, quamvis uno tantum anno, vel infra, puta, una die, una hora tantum in gratia vixerit. Et cap. 17. N. 41. *Sed mirabilior, & fidelibus evidentior largitas bonitatis DEI est, quod etiam parvulis, quibus obedientia non est illius ætatis ut detur, datur hæc gratia.* Ubi vides, perseverantiam illam parvulorum gratiam vocari, non quidem internam inspirationis, & illustrationis, cujus ipsi capaces non sunt, sed externæ protectionis, per quam parvuli ex hac vi-

ta

ta rapiuntur prius, quam a gratia, quam per Baptiſma acceperunt, excidere poſſint. Accedit etiam teſtimonium S. Cypriani ab ipſo Auguſtino in rei hujus confirmationem allatum ex Lib. *de mortalitate*, ubi docet, mortem, per quam homines peccandi periculis ſubtrahuntur, eſſe ſingulare gratiæ beneficium, a quo nec infantes excipit. *Pueri enim*, inquit, *periculum lubricæ ætatis evadunt.*

Reſpondetur ad Objecta.

VIII. OBjic. 1mo *contra primam Aſſertionem:* Ad perſeverandum finaliter ſufficit habere gratiam habitualem cum auxiliis ordinariis actualibus, per quæ poſſit juſtus tentationes ſuperando abſtinere ſe ab omni peccato gravi; & eo tempore poni cauſas inferentes mortem: his enim habitis, atque poſitis, habetur conjunctio gratiæ cum morte, atque adeo perſeverantia finalis. Ergo non requiritur donum ſpeciale ab his omnibus diſtinctum.

Reſp. Neg. ant. Quamvis enim hæc omnia poſſint eſſe cauſæ fortuitæ & per accidens ipſius conjunctionis gratiæ cum morte, non ſunt tamen cauſæ per ſe, & natura ſua efficientes perſeverantiam finalem. Nec enim gratia habitualis, aut communia auxilia exigunt conjungi cum morte, nec morbus, aut quæcunque alia cauſa mortem inferens petit ex ſe conjungi cum gratia. Igitur ne conjunctio gratiæ cum morte cenſeatur eſſe effectus prorſus fortuitus, neceſſe eſt, conferri inſuper aliud donum diſtinctum, quo ita diſponantur, & præparentur omnes cauſæ, ut tunc mors inferatur, quando homo eſt in ſtatu gratiæ conſtitutus.

IX. *Inſt.* Ut juſtus perſeveret in gratia, non quidem finaliter, longiore tamen tempore e. g. per 20. annos, opus non habet ſpeciali illo dono, quod hic requirimus. Ergo neque eo opus habebit, ut paulo poſt acceptam juſtitiam moriatur, & ſic finaliter perſeveret. *Cons. prob.* Plus certe re-

quiritur ad perseverandum in gratia longiore tempore, utpote pluribus periculis, & impedimentis obnoxio, quam tempore modico. Ergo si ad primum non requiritur speciale donum, neque requiretur ad secundum.

Resp. Neg. conſ. Ad prob. Diſt. ant. Plus requiritur &c. id tamen est in potestate nostra, *Conc. ant.* & id non est in potestate nostra, *Neg. ant.* & *conſ.* Quamvis plus requiratur, majoraque impedimenta, & difficultates superandæ occurrant ad perseverandum longiore tempore, e. g. per 20. annos absque unione cum morte; in potestate tamen nostra est per vires gratiæ habitualis, & auxiliorum actualium, quæ conferuntur, omnia illa impedimenta, & difficultates superare, atque sic a peccato abstinere. At ad perseverandum brevissimo etiam tempore ita, ut perseverantia cum morte conjungatur, mortem ipsam ita disponi oportet, ut justum eo temporis momento e vita eripiat, quo justus adhuc est. Hoc autem est solius DEI miserentis, non in nostra potestate positum, ideoque donum ejus particulare, & effectus præcipuus specialis dilectionis suæ, qua nos vult salvos voluntate efficaci.

X. *Objic. 2do.* DEus, quantum est ex parte sua, dat justis omnibus perseverantiam. Sed quod datur omnibus, non est donum speciale. Ergo. *Maj. prob.* Sola ratio, cur nonnulli non perseverent, est, quia nolunt; possent quippe perseverare, si vellent; id est, si auxiliis gratiæ, quæ ad vincendas tentationes, aliasque difficultates, & impedimenta superanda conferuntur, cooperari vellent, re ipsa perseverarent, juxta celebrem Augustini sententiam Lib. de Corrept. & Grat. cap. 7. *Homo in eo, quod audieras, & tenueras, in eo perseverares, si velles.*

Resp. Neg. ma Ad prob. Diſt. ant. Sola ratio, cur nonnulli non perseverent, est, quia nolunt; & quia DEus per auxilium speciale non præparat, seu efficaciter non adjuvat ipsorum voluntatem, ut velint, *Conc.* secus *Nego ant.* Possent quippe per-

perseverare, si vellent, voluntate tamen per auxilium speciale efficaciter adjuta, *Conc.* voluntate non ita adjuta, *Neg.* Ratio itaque, cur alii perseverent, alii vero non perseverent, non pendet simpliciter a libero eorum arbitrio, sed ab arbitrio seu voluntate a DEO adjuta, aut non adjuta efficaciter, ut velint. Non omnibus proinde justis, quantum est ex parte DEI, datur donum perseverantiæ; quia si omnibus daretur, eo ipso omnes vellent, & revera actu omnes perseverarent, cum donum illud gratiam cum morte sic conjungat, ut qui illud a DEO acceperit, infallibiliter perseveret. Sed illis dumtaxat perseverantiæ donum conceditur, quibus a DEO datum est, non solum ut possint, sed etiam ut velint, & ut perseverent; seu quorum voluntas præparatur, seu adjuvatur a DEO per auxilium speciale, efficaciter faciens illam velle & perseverare. Constat id, tum ex allatis Augustini verbis, tum ex iis præcipue, quæ habentur Lib. de Grat. & lib. arb. Cap. 16. ubi ait: *Certum est nos mandata servare, si volumus: sed quia* præparatur voluntas a Domino, *ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est, nos velle cum volumus; sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulo ante posui*: præparatur voluntas a Domino . . . *Certum est, nos facere, cum facimus; sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.*

XI. *Inst.* Si Justus non potest velle perseverare, nisi voluntas ejus præparetur a Domino per auxilium speciale; & cum in potestate ejus non sit, hoc auxilium habere; quomodo verum erit, eum posse perseverare, si velit?

Resp. Quemadmodum per gratiam habitualem, & auxilia eidem annexa justus habet, ut possit non peccare; ita per eadem habet, ut possit perseverare, si velit, etiam tunc quando ei deest auxilium speciale: quia auxilia illa tribuunt homini posse perseverare usque in finem, si velit; quamvis neque

 tri-

tribuant, ut actualiter velit, nec ut actu perseveret, nisi voluntas ejus per aliud distinctum speciale auxilium præparetur, eique adsit specialis DEI protectio & gubernatio. Istud porro speciale auxilium, quamvis non sit in potestate hominis justi eo sensu, quod potestati ipsius naturali subsit, in potestate tamen hominis aliqua ratione dicitur esse, quod ipse per DEI gratiam a DEO illud petere, ac obtinere potest: & hoc modo in hominis justi potestate est, ut habeat auxilium ad perseverandum finaliter necessarium, videlicet illud impetrando orationibus, eleemosynis, aliisque bonis operibus, ut docet Trid. Sess. 6. C. 13. & Augustinus Lib. *de dono perserv.* C. 6. & 7. Et quamvis etiam ad orandum, ut oportet, necessarium sit adjutorium gratiæ DEI; quoniam tamen justo cuilibet datur gratia sufficiens, qua potest tum orare, tum alia bona facere; gratia nempe justificans & auxilia eidem annexa, quibus si, ut cum gratia DEI potest, bene utatur, DEUS in eo perficiet quod cœpit, dabitque ulteriora ad perseverandum auxilia; hinc si ea respuat, & auxilio ulteriori destituatur, suo vitio respuit, suaque culpa ulteriore illo auxilio destituitur.

Atque hinc etiam colligitur, quomodo intelligendum sit illud Tridentini Sess. 6. C. 11. *DEUS sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Si namque sermo sit de desertione proprie tali, qua DEUS hominem deserit, ipsum amicitia sua privando; clarum est, DEUM hoc modo justum non deserere, nisi prius ab eo deseratur per peccatum mortale. Si vero sermo sit de desertione improprie tali, qua DEUS justum deserere dicitur, non dando ipsi gratiam efficacem ad vitandum peccatum, sed permittendo, ut peccet mortaliter; DEUS etiam hoc sensu non deserit, priusquam deseratur. Quamvis enim justus in justitia perseverans, proprie & simpliciter non deserat DEUM, eum tamen aliqua ratione deserit, cum auxilium sibi datum negligit, eo non bene utens, sicut cum DEI munere posset. Et quia aliquam ejusmodi culpam

pam ac negligentiam semper admittit justus, priusquam ipsum DEUS sinat in grave peccatum labi; propterea hoc sensu verum est, quod DEUS sua gratia semel justificatum non deserat, nisi prius ab ipso deseratur. Hic sane explicandi modus conformis videtur illis Tridentini verbis Sess. 6. Cap. 13. *DEUS enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.*

XII. *Sed inquies*: Cum bene uti auxiliis sufficientibus; quales sunt salutares cogitationes, bonæ inspirationes, ac pii animi motus, non sit, nisi ex gratia efficaci, cur hanc DEUS non omnibus dat, sed aliquibus solum dat, & hi perseverant; aliis vero non dat, & hi non perseverant?

Resp. Cum eo recidit quæstio, cur DEUS det uni gratiam efficacem, alteri non det; cur unum permittat deesse divinæ gratiæ, ac divinis donis non bene uti, labique in primam sive negligentiam, sive torporem, aut aliam ejusmodi culpam, vel culpæ occasionem, ex qua præscivit, illum mortaliter peccaturum; alium vero non ita deesse ac labi permittat; reprimenda est humana curiositas, & ad incomprehensibilia DEI judicia confugiendum cum S. Augustino Lib. de Corrept. & Grat. C. 8. *Si confiteris, donum DEI esse, perseverare in bono usque in finem; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto, quod mecum pariter nescis: & ambo hic inscrutabilia judicia DEI penetrare non possumus.* Eundem in sensum S. Prosper Respons. 14. ad object. Vincent. *Cur autem*, inquit, *illum retineat, illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum vestigare; cum scire sufficiat, & ab illo esse, quod statur, & non ab illo esse, quod ruitur.*

XIII. *Objic. 3tio. contra secundam Assertionem.* Fieri naturaliter potest, ut homo post acceptam gratiam sanctificantem subito moriatur. Atqui hoc casu perseveraret sine speciali auxilio gratiæ. Ergo non omnis justus tali auxilio indiget ad

ad perseverandum. Et hoc confirmatur exemplo parvulorum, qui post acceptum baptisma decedunt.

Resp. Con. maj. Neg. min. Justus namque, qui statim post acceptam justitiam moritur, singulari DEI providentia sic per mortem ordinatur ad salutem, ut ab omni peccandi periculo prorsus liberetur. Et quamvis gratiae infusio secundum se considerata sit beneficium generale ordinis supernaturalis; infusio tamen gratiae ex intentione, ut cum morte conjungatur, speciale beneficium est: quia huic conjunctioni infallibiliter annexa est salus æterna. Similiter, quamvis mori naturale sit homini, sicut & nasci; nihilominus, quemadmodum nasci ex parentibus fidelibus, ingenio docili, indole ad pietatem propensa &c. Divinæ gratiæ adscribitur; ita etiam ex hac vita eripi in statu gratiæ sanctificantis, singulare DEI beneficium est, non quidem intrinsecum, sed extrinsecum ex speciali DEI providentia & protectione, quod DEUS ex mero suo beneplacito, quibus voluerit, largitur. Unde S. Augustinus Lib. 13. de Civ. DEI. C. 6. *tantam*, inquit, *DEUS gratiam fidei præstitit, ut mors, quam constat vitæ esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur ad vitam.* Idem dicendum de parvulis decedentibus post Baptisma. *Ex duobus parvulis*, inquit, idem S. Doctor L. de dono perseverantiæ C. 9. *originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia DEI.*

Consectarium.

XIV. PErseverantia finalis *formaliter*, ut ajunt, sumpta, est ejusdem rationis in omnibus; cum in omnibus importet conjunctionem gratiæ cum morte, ex intentione efficaci conferendæ gloriæ ordinatam; *materialiter* vero accepta, diver-

sa

ſa in diverſis importat. Nam in infantibus, qui ſtatim poſt Baptiſma, & in adultis qui poſt acceptam juſtitiam decedunt, dicit ſolam DEI providentiam ita omnia diſponentem, ut mors accidat, antequam habitualis gratia amitti poſſit. In aliis vero dicit præterea collationem variorum auxiliorum vel ad reſipiſcendum a peccato, vel ad illud vitandum & longius in bono perſiſtendum, vel, & quidem maxime, ut quis eo tempore juſtitiam obtineat, quo ex ſpeciali DEI diſpoſitione a morte opprimitur. Reſpectu horum itaque perſeverantiæ donum duo ſimul includit ac complectitur, gratiam ſcilicet exteriorem, & interiorem: exteriorem quidem, per quam ab homine ejusmodi juſto, DEO protegente, occaſiones peccandi, tentationes, aliaque ſalutis obſtacula removentur, ac demum innumeris hujus vitæ periculis ſubductus ex hac vita rapitur, quo momento diffuſam habet in corde charitatem; interiorem vero, per quam vel a peccando retrahitur, vel a ſuis prolapſionibus, propter quas a DEO deſeri merebatur, certo reſipiſcit, ac tandem in accepta juſtitia finaliter perſeverat.

CAPUT VI.

Quodnam gratiæ, ſeu auxilii genus datum & neceſſarium fuerit in ſtatu naturæ ſanæ & integræ?

I. OStendimus hactenus, quanta ſit, & quam late pateat gratiæ actualis interioris neceſſitas in hoc ſtatu noſtro, naturæ nimirum lapſæ & reparatæ. Supereſt, ut pro Diſſertationis hujus coronide etiam de ſtatu naturæ ſanæ ac integræ dicamus; utrum videlicet & quatenus actualis gratia pro eo ſtatu neceſſaria fuerit? Quodnam auxilii genus Adamo innocenti datum? ut ſic ſtatus utriusque diſcrimen, ac deploran-

da, quam per peccatum originale fecimus, jactura clarius elucescat. Sed

II. Observandum est prævie, certum esse, gratiam sanctificantem in statu innocentiæ fuisse primo homini collatam; sive illam post creationem acceperit, sive, quod probabilius videtur, in ea creatus fuerit, ut docet S. Thomas 1. p. q. 95. ar. 1.

Illud etiam inter Authores utcunque convenit; hominem in eo statu quodlibet bonum naturalis ordinis operari, quin & omnia ac singula legis naturalis præcepta quoad substantiam observare potuisse absque speciali auxilio gratiæ. Bonum namque naturalis ordinis & mandatorum legis naturæ observatio ex se proportionata erat viribus naturæ integræ; pars enim hominis superior, seu ratio subdita erat DEO authori naturæ, & pars inferior, seu appetitus perfecte subjectus erat rationi; & aliunde nulla occurrebant impedimenta, tentationes nullæ, quæ hominem sanum & integrum a mandatis exequendis dimoverent, aut retardarent. Ergo vires habebat expeditas, ut solo auxilio generali posset bonum quodcunque naturalis ordinis operari, totamque naturæ legem implere. Neque enim aliam ob causam id hominem lapsum non posse, diximus, nisi quia ex peccato originali orta est rebellio mentis a DEO, & appetitus inferioris contra rationem, ipsumque liberum arbitrium, licet extinctum non sit, viribus tamen adeo attenuatum est ac infirmatum, ut impar omnino esse videatur tot naturæ præceptis observandis, præsertim cum graves undequaque premunt tentationes, quibus superandis natura lapsa sola non sufficit.

III. De bono igitur supernaturali hic potissimum controvertitur: utrum videlicet Adamo innocenti ad salutariter operandum, & perseverandum in justitia originali necessarium simpliciter fuerit actuale aliquod gratiæ divinæ auxilium? Theologorum nonnulli, inter quos Bellarminus Lib. 4. *de Grat. primi hominis* C. 4. negant, ullum auxilium, præter gratiam sancti-

cti-

ctificantem & supernaturales fidei, spei, ac charitatis habitus infusos, fuisse simpliciter necessarium. Contra vero alii, iique multo plures aliquod præter hos habitus gratiæ actualis adjutorium simpliciter necessarium fuisse contendunt. Quæritur insuper: an, supposita auxilii hujus necessitate, diversum illud fuerit ab eo, quod in statu naturæ lapsæ confertur; seu, an aliquod & cujus generis discrimen agnoscendum sit inter gratiam actualem utriusque status. Ubi rursus observandum est, quæstionem non moveri de omni, & quacunque gratia, quæ data fuerit in statu naturæ innocentis, aut quæ dari etiam possit in hoc statu nostro; sed de ea sola, quæ ratione status utriusque necessaria sit.

ASSERTIO PRIMA.

Præter Gratiam habitualem & habitus infusos, necessarium simpliciter fuit Adamo innocenti aliquod actuale auxilium ad bene operandum, & perseverandum in Justitia Originali.

IV. PRob. Concilium Arausicanum II. Can. 19. sic definivit: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam Creatore suo non adjuvante servaret. Unde cum sine gratia DEI salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine DEI gratia poterit reparare, quod perdidit?* Quibus verbis Concilium declarat, aliquam DEI gratiam Adamo innocenti necessariam fuisse ad perseverandum in justitia originali. Atqui hæc gratia actualis est, non habitualis tantum: diversa namque est a justitia originali & gratia sanctificante; alioquin Concilium definiisset, justitiam originalem necessariam fuisse ad perseverandum in justitia originali, quæ definitio inepta foret, nullosque hæreticos feriens. Deinde Concilium comparat gratiam na-

turæ innocentis cum gratia naturæ lapſæ, & hujus neceſſitatem ex alterius neceſſitate concludit. Atqui gratia, quam Synodus definivit eſſe neceſſariam in ſtatu naturæ lapſæ, eſt gratia actualis: ſecus enim ex eo, quod gratia habitualis neceſſaria fuiſſet Adamo *ad cuſtodiendam* ſalutem, non bene concluderetur, gratiam actualem interiorem nobis ad omne opus ſalutare eſſe neceſſariam. Denique Canon ille Concilii eſt contra Pelagianos, negantes neceſſitatem gratiæ interioris actualis ad omne opus ſalutare. Ergo gratia, cujus neceſſitas aſſeritur tum pro ſtatu noſtro, tum pro ſtatu naturæ innocentis, eſt gratia actualis interior.

Hoc ipſum declarat Gelaſius Papa, cujus dicta adverſus Pelagianos habentur tomo 4. Conciliorum: Ubi pluribus expreſſe docet, ideo cecidiſſe primos Parentes, *quia non orarunt.* Auxilium itaque quod orando impetrare potuiſſent, diſtinctum fuit a gratia habituali, in qua conditi fuerant. Ergo indiguerunt ad perſeverandum aliquo auxilio actuali.

Hæc eſt etiam doctrina S. Auguſtini, qui Epiſtola 106. nunc 186. ſic de Adamo loquitur: *ille qui putavit ſine DEI auxilio ſe poſſe cuſtodire, quod dedit, profectus in Regionem longinquam cuncta conſumpſit.* Unde ſic argumentor: ridiculum eſt dicere, Adamum putaſſe ſine habituali gratia ſe poſſe cuſtodire habitualem gratiam. Ergo gratia illa, ſine qua putavit Adam ſe poſſe cuſtodire, quod DEUS dederat, eſt gratia actualis: hanc vero aperte ſignificat Auguſtinus fuiſſe Adamo neceſſariam ad perſeverandum: ergo.

• Denique huc ſerviunt ea rationum momenta quibus, C. I. probavimus neceſſitatem gratiæ actualis ad quemcunque actum ſalutarem pro ſtatu naturæ lapſæ: cum eadem ſit utriusque ſtatus impotentia, ſi ordinis pariter utriusque, naturalis nimirum & ſupernaturalis improportio conſideretur.

V. *Objic.* S. Auguſtinus loquens de adjutorio Adami excludit neceſſitatem cujuscunque gratiæ actualis: ita namque habet

habet L. de Corrept. & Gratia c. 10. *Rectissime credimus, DEum . . . , sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium.* Et c. 11. *Angeli sancti, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt.* Ergo in statu naturæ innocentis solum liberum hominis arbitrium cum gratia habituali sufficiebat ad perseverandum.

Resp. Neg. ant. Ex eo namque, quod dicatur, bonos Angelos stetisse per liberum arbitrium, & perseverantiam fuisse in libero Adami arbitrio, non sequitur, Angelos, aut Adamum gratiæ actualis beneficio non eguisse; quin potius contrarium inde evincitur: per liberum namque arbitrium gratiæ obsecuti sunt Angeli, & potuit ac debuit obsequi Adamus; quemadmodum & nos per liberum arbitrium gratiæ consentire dicimur, & gratiæ consentiendo mereri. Sed nihilominus liberum arbitrium in Angelis, & Adamo elevari debuit per gratiam habitualem, & hæc veluti suscitari per gratiam actualem: sicut & nunc actuali interiore gratia debet liberum hominis arbitrium excitari & adjuvari; quamvis gratia status hujus nostri diversa sit, ut mox dicemus, a gratia status naturæ innocentis. Poterat vero in statu illo sicut & in hoc nostro liberum arbitrium per se peccare; sed bene agere non potuit, nisi divinæ gratiæ beneficio.

VI. *Sed inquies*: S. Augustinus loco citato opponit statum naturæ innocentis statui naturæ lapsæ, ita ut quod in illo erat liberi arbitrii, in hoc esset gratiæ beneficium. Atqui nulla est hæc oppositio, si responsum nostrum locum habeat: perinde namque necessaria foret in utroque statu gratia ad bene agendum; tamque dici possemus nunc mereri per liberum arbitrium, quam dici possunt sancti Angeli per liberum arbitrium stetisse. Ergo.

Resp. Dist. maj. opposuit Augustinus statum naturae innocentis statui naturae lapsae quoad perseverantiam finalem *Conc. maj.* quoad omnes actus salutares & meritorios *Neg. maj. Dist.* etiam *min.* Nulla esset oppositio, si nostra responsio locum habeat, tam quoad perseverantiam finalem in utroque statu, quam quoad actus salutares *Conc.* secus *Neg. min. & cons.* Opponit S. Augustinus statum naturae innocentis statui nostro, & in illo tribuit perseverantiam Angelorum libero eorum arbitrio, in nostro autem statu tribuit perseverantiam finalem, de qua agit laudatis capitibus, singulari DEI beneficio; & rectissime quidem: quia perseverarunt Angeli libere utendo gratia, quae ipsis data erat ad perseverandum. Contra vero perseverantia finalis in nostro statu non solum includit gratias actuales interiores, quibus consentiamus, ut superiore capite indicavimus; sed & alia beneficia, & praecipue conjunctionem mortis cum statu gratiae, quae est ipsa *formaliter* perseverantia finalis, a sola DEI miserentis voluntate pendens. Quamobrem loquendo de perseverantia finali recte Augustinus dicit, DEum ostendisse in sanctis Angelis, quid valeat liberum arbitrium; nunc autem ostendere, quid valeat gratiae beneficium. Non autem opposuit S. Doctor utrumque statum quoad omnes actus bonos, quasi solum liberum arbitrium in statu naturae innocentis absque gratia actuali suffecisset ad salutariter operandum, eaque dumtaxat necessaria foret in statu naturae lapsae.

AS-

ASSERTIO SECUNDA.

Gratia actualis interior, quam necessariam fuisse diximus in statu naturæ innocentis, in eo potissimum differebat a gratia actuali, quæ necessaria est in hoc statu nostro, quod illa solum intellectum afficeret; hæc vero sit non tantum illustratio mentis, sed etiam præveniens voluntatis motio.

VII. PRob. Discrimen aliquod agnoscendum est inter gratiam interiorem actualem status naturæ integræ, & gratiam status naturæ lapsæ. Non illud Jansenii, utpote quod fictitium, &doctrinæ Catholicæ contrarium esse diximus Sect. 1. cap. ult. Ergo hoc solum, quod hic asserimus, re ipsa interest, & agnosci debet gratiæ utriusque discrimen: neque enim ullum aliud assignari posse videtur.

Maj. patet. Gratia namque status innocentiæ passim appellatur gratia *sanitatis*, & gratia status nostri *medicinalis* vocatur. Gratia item hæc dicitur amplior & abundantior, quam gratia sanitatis, juxta illud Christi Domini Joan. 10. *Ego veni, ut vitam habeant & abundantius habeant.* Unde Apost. ad Rom. 5. dicit: *ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Ubi enim gravior est miseria, ibi amplior misericordia; ubi major inopia, ibi abundantior copia requiritur. Præterea, gratia sanitatis ad id tantum conferebatur, ut homo sanctitatem & innocentiam acceptam conservaret: gratia vero medicinalis conceditur, ut, tum a variis & gravissimis peccati originalis & actualis ægritudinibus sanetur, tum ut sanatus, a periculis, quæ sive interius sive exterius plurima occurrunt, præservetur, tum etiam ut in recuperata sanitate, & sanctitate proficiat, & usque in finem perseveret. Hocque gratiæ utriusque discrimen fuse explicat S. Augustinus *L. de Corrept. & gratia.* Ubi inter reliqua dicit, nos indigere gratia, qua Adamus innocens non indigebat; *Adamus*, inquit, *non opus habe-*

habebat eo adjutorio, quod implorant isti, cum dicunt, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; cum tamen Adamus etiam innocens aliquo simpliciter indigeret actualis gratiæ interioris adjutorio, ut paulo ante ostendimus. Ergo ex mente S. Doctoris non eadem est utriusque status gratia; proinde discrimen aliquod inter gratiam status naturæ integræ, & status naturæ lapsæ agnosci debet.

VIII. *Prob.* itaque *cons.* In hoc statu nostro gratiam prævenientem voluntatis, aut saltem gratiam intellectus ejusmodi, cujus efficientia etiam in voluntatis affectum derivetur, necessariam esse ad salutariter operandum, nemo negare potest sine Pelagianismi suspicione. Id certe Augustinus passim inculcat; præsertim vero L. de spiritu & littera c. 4. ubi docet, *mentis illustrationem nihil prodesse ad bene agendum, ubi S. non adjuvat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam.* Et L. 4. ad Bonifacium c. 5. ubi Pelagianos reprehendit, quod vellent *nos a Domino DEO adjutorium cognitionis habere, quo ea, quæ facienda sunt, noverimus; non inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus.* Vix aliqua S. Doctoris adversus Pelagianos pagina reperitur, in qua ille, præter adjutorium cognitionis, ipsam quoque delectationem cœlestem non contendat esse necessariam ad bene agendum in hoc statu naturæ lapsæ.

Eadem vero illa præveniens, & indeliberata delectatio cœlestis non fuit Adamo necessaria juxta eundem S. Augustinum. Nam fatente Jansenio Lib. 4 de Gratia Christi, *necessitas delectationis cœlestis ad bene volendum, & operandum non ex natura voluntatis, sed ex ejus pœna proficiscitur.* Idem cap. 7. ait, *necessitatem hujus delectationis oriri ex infirmitate voluntatis;* & hanc esse doctrinam S. Augustini asserit, quod nos libenter admittimus. Atqui nulla fuit in statu Adami innocentis vel pœna, vel voluntatis infirmitas. Ergo in illo sta-

statu nulla fuit necessitas delectationis cœlestis ad bene volendum, & operandum.

Neque tamen audiendus est Jansenius, cum ait, hanc, quæ nunc est necessaria, nec olim necessaria fuit, delectationem cœlestem esse victricem, aut relative superiorem delectatione ..rrestri. Nam si quæ fuit in statu naturæ innocentis necessaria delectatio cœlestis, fuit multo magis victrix, quam in hoc statu nostro; cum nullam haberet oppositam delectationem terrestrem, a qua superari posset: sicut nunc victrix necessario est delectatio cœlestis, qua Beati in cœlis adhærent DEO.

Rursus S. Augustinus gratiam status nostri passim appellat spiritum charitatis, inspirationem charitatis, delectationem dilectionemque boni, inspirationem dilectionis, concupiscentiam bonam. Unde concludit Jansenius Lib. 4. de *Grat. Chr.* cap. 11. gratiam medicinalem in sententia S. Augustini comprehendere motiones, seu actus indeliberatos voluntatis. Atqui S. Doctor loquendo de gratia actuali Angelis, & Adamo data ad perseverandum; nullibi prorsus eam his nominibus designat; sed, ut fatetur Jansenius Lib. de *Grat. primi hominis* cap. 12. crebro utitur comparatione lucis ad explicandum primi hominis & Angelorum adjutorium. Ergo sicut ex eo, quod gratia nostri status designetur passim ab Augustino nominibus delectationis, dilectionis, charitatis &c. concludit Jansenius ex mente S. Augustini eam pertinere ad voluntatem; ita pariter ex eo, quod gratia status naturæ innocentis nunquam a S. Doctore iis appelletur nominibus, sed lucis comparatione illius munus explicetur, merito concludi potest, gratiam naturæ innocentis ex mente S. Augustini lucis duntaxat officio functam esse, illustrando nimirum intellectum, non vero etiam voluntatem afficiendo.

Respondetur ad Objecta.

IX. OBjic. 1mo. Concilium Arausicanum II. Can. 19. sic habet : *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam Creatore suo non adjuvante servaret. Unde cum sine gratia DEI salutem non posset custodire, quam accepit, quomodo sine DEI gratia poterit reparare quod perdidit.* Unde sequens duci potest argumentum. Ea gratia necessaria fuit primo homini ad custodiendam salutem, quam accepit, quæ necessaria nunc est homini ad reparandam salutem, quam amisit. Atqui nunc homini ad reparandam salutem, quam amisit, necessaria est actualis gratia tum intellectus, tum voluntatis. Ergo etiam &c.

Resp. Neg. maj. Concilium definit, hominem non posse salutem, quam amisit, recuperare solis naturæ viribus; & definitionem suam confirmat: quia nec ipse Adamus innocens potuit sine gratia perseverare. Sed Concilium neque definit, neque significat, idem *specifice* auxilium necessarium fuisse Adamo ad perseverandum, quod nunc nobis necessarium est ad recuperandum id, quod in Adamo perdidimus.

X *Inst.* Concilium definivit contra Pelagianos id, quod S. Fulgentius adversus eosdem hæreticos ex mente S. Augustini docuit. Atqui S. Fulgentius adversus Pelagianos docuit eandem gratiam necessariam fuisse utrique statui. Ergo. *Prob. min.* S. Fulgentius Lib. 2. ad Trasimund. cap. 3. comparationem instituit inter gratiam, quæ necessaria fuit Adamo, & Angelis ad standum, & gratiam, quæ nunc homini lapso necessaria est ad resurgendum, sicque loquitur: *Non alia stantem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem potuit reparare .... una est in utroque operata, in hoc, ut surgeret, in illo ne caderet; in illo, ne vulneraretur, in isto, ut sanaretur.* Ergo S. Fulgentius sensit,

sit, eam ipsam gratiam fuisse Adamo necessariam ad custodiendam salutem, quæ nunc necessaria est homini lapso ad salutem reparandam.

Resp. Conc. maj. Dist. min. S. Fulgentius docuit, eandem *generice* gratiam necessariam fuisse utrique statui, *Conc. min.* eandem *specifice Neg. min. & conf.* Gratia in utroque statu necessaria eadem est *generice*, nimirum est auxilium DEI gratuitum supernaturale, internum, principiumque boni operis in ordine ad salutem: hæc est generica gratiæ actualis interioris definitio, proinde communis gratiæ utriusque status. Sed non est eadem *specifice* gratia, quæ lapsum hominem erigit, & quæ operata est in Angelo, ne caderet. Gratiam itaque S. Fulgentius eo loco generice accipit: id namque unum contendit, hominis lapsi reparationem, & Angelorum stabilitatem non esse a natura, sed a gratia. Ad quod firmandum satis est dicere, stabilitatem Angelorum, & hominis lapsi reparationem esse ab auxilio gratuito, intrinseco, supernaturali; neque necesse est utramque gratiam esse præviam & indeliberatam delectationem, seu voluntatis motionem.

XI. *Objic. 2do.* S. Augustinus Lib. 14. de Civit. DEI cap. 13. de Adamo, & Eva sic loquitur: *Si voluntas in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc intenebresceret, & frigesceret, ut vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille DEI mandato uxoris præponeret voluntatem.* Hic expresse Augustinus accensionem voluntatis distinctam ab illustratione Adamo tribuit, ut proinde Jansenius afferat Lib. de Grat. primi hominis cap. 12. *pro vera gratia lapsi hominis evidentius, & efficacius testimonium ex Augustino vel Conciliis proferri non posse.*

Resp. Jansenium hac Objectione causæ suæ male patro-

cinari. Si enim illa voluntatis accensio fuit indeliberata delectatio, quomodo non perseveravit Adam? Necesse namque est, nos operari secundum id, quod amplius delectat. Siquidem universale illud est Jansenii principium, ex ipsa, ut putat, natura voluntatis petitum, voluntatem eo abripi invincibiliter, quo prævenientis, & indeliberatæ delectationis major suavitas impellit; ut videre est Lib. 4. de Grat. Chr. cap. 9. & Lib. 8. cap. 3.

Cæterum locus ille Augustini exponi sic potest, ut censeatur S. Doctor locutus esse, non de actuali, sed habituali gratia tum intellectus, tum voluntatis; nimirum de habituali facilitate ad cognoscendum verum, deque habituali inclinatione voluntatis ad prosequendum bonum: quo sensu *ferventes* dici solent ii, qui sunt habitualiter dispositi, & expediti ad exercendos virtutum actus.

Et quamvis S. Doctor locutus fuisset de actuali aliquo auxilio, quo Adamus actu adjuvabatur ad perseverandum; illa tamen voluntatis *accensio* nihil aliud erat, quam adjutorium intellectus, quod mentem illustrando, ipsam quoque voluntatem inflammaret, suscitando gratiam habitualem, qua voluntas Adami sufficienter adjuta erat ad bonum. Et vero cum dixisset Pelagius, DEum operari in nobis bonum velle, *dum futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium DEI stupentem suscitat voluntatem*, statim addit S. Augustinus Lib. de Grat. Chr. cap. 10. *Quid manifestius, nihil aliud illum dicere gratiam, qua DEus in nobis operatur velle quod bonum est, quam legem, atque doctrinam?* Ergo censet S. Doctor, cogitatione præmiorum æternorum posse *succendi* voluntatem. Igitur de gratia intellectus Adamo concessa potuit dicere, eam accendisse voluntatem Adami, ut amaret DEum; neque necesse est, ut per illam voluntatis succensionem intellexerit actua-

actualem charitatis inspirationem, delectationem præviam, & indeliberatam voluntatis motionem.

XII. *Inst.* S. Augustinus locum illum Prov. cap. 8. *Præparatur voluntas a Domino.* Et alium Apostoli ad Rom. cap. 5. v. 5. *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* Rursus illum ad Philippenses cap. 2. *DEUS operatur velle*, Hæc, inquam, Scripturæ loca applicat S. Doctor SS. Angelorum, & Adami innocentis voluntatibus, ut videre est Lib. 12. de *Civ. DEI* cap. 9. Et Lib. 5. *Operis imperfecti* cap. 57. nec non Lib. 8. de *Genesi ad Litteram.* Ergo.

Resp. Conc. ant. Neg. cons. Ea namque omnia vera esse possunt de Angelis, & Adamo, etiamsi non indiguerint prævia, & indeliberata motione voluntatis versus bonum, quam solam homini lapso necessariam esse contendimus. Ipsa enim gratia actualis intellectus voluntatem Angelorum, & Adami præveniebat, & movebat, quamquam non indeliberate: per gratiam illam actualem, & simul per habitualem DEUS dici potest operatus esse in Angelis & Adamo bonum velle, fuisse author bonæ voluntatis, diffusa per Spiritum Sanctum in eorum cordibus charitate.

XIII. *Objic.* 3*tio.* Si gratia actualis status naturæ innocentis propria, fuisset dumtaxat illustratio intellectus, tunc verum esset quoad statum illum dogma Pelagii, prout tandem ab eo, ejusque discipulis emollitum. Nam Pelagiani agnoverunt denique necessitatem gratiæ interioris, qua intellectus verum cognosceret, & homo admoneretur de suo officio. Hæreticum consequens. Ergo & antecedens

Resp. Neg. maj. Imprimis namque docebat Pelagius, solum homini sufficere liberum arbitrium, ut totam legem impleret, essetque sine peccato: nos e contra, nusquam suffecisse nudas liberi-arbitrii vires contendimus; sed necessariam fuisse dicimus gratiam habitualem, quæ per illustrationem intelle-

tellectus suscitata, adjuvabat ad operandum, actumque elevabat. Naturalis namque possibilitas Adami, præter facultatem naturalem agendi necessitatis expertem, complectebatur gratiam habitualem, in qua natura humana condita fuerat, quod negabant Pelagiani, ut ipse probat Jansenius L. *de gratia primi hominis* C. 5. 2*do*. Dicimus simpliciter & absolute necessariam fuisse Adamo gratiam interiorem intellectus: contra Pelagiani docebant necessariam tantum secundum quid, & ad facilius operandum. 3*tio*. Gratiam illam judicamus omnino gratuitam, ac nullis naturæ meritis debitam: contra gratiam suam qualemcunque naturæ meritis concedi Pelagiani propugnabant.

XIV. *Inst.* Ad primum charitatis actum, quo Adamus & Angeli in primo creationis instanti adhæserunt DEO, necessaria fuit gratia voluntatis. Ergo eadem gratia necessaria quoque fuit ad omnes reliquos actus bonos.

Resp. Conc. ant. Neg. conf. Certum quidem est ex S. Augustino, ad primum charitatis actum necessariam fuisse motionem voluntatis & Angelis & Adamo, in eorum præsertim sententia, qui docent Adamum non absque sua libera cooperatione constitutum fuisse in charitate habituali, sed eum in ipso creationis instanti per actualem DEI gratiam elicuisse actum charitatis, qui transiit in charitatem habitualem. Sic autem Adamus & Angeli non intelliguntur prius instructi habitibus supernaturalibus, quam actum supernaturalem elicuerint. Ergo ad actum illum necessaria fuit actualis gratia voluntatis: ad cæteros autem actus bonos non est, cur eam gratiam necessariam esse dicamus; cum voluntas supernaturalibus instructa habitibus sufficienter ad bene agendum adjuvaretur.

Con-

Confectarium.

XV. QUamvis gratiam actualem interiorem ftatui naturæ innocentis neceffariam in eo potiffimum differre dixerimus a gratia actuali ftatus noftri, quod illa folum intellectum afficeret, hæc vero fit infuper præveniens voluntatis motio: haud tamen negamus, gratiam actualem interiorem aliqua ratione pertinere etiam ad voluntatem, quatenus nempe haud fieri poffe videtur, ut objectum aliquod proponatur per actualem cognitionem fub ratione boni, quin voluntas, præfertim fana & integra, moveatur aliquomodo ad illud amandum Hoc igitur fenfu gratia etiam Adami innocentis dici poteft fuiffe & intellectus, & voluntatis. Sed proprie non appellatur gratia voluntatis, nifi ea, quæ per fe & immediate, vel faltem mediante intellectus illuftratione voluntatem ipfam ita afficit, ut in ea indeliberatam boni propofiti delectationem excitet, aut potius ipfa eft indeliberata boni propofiti appetitio. Quamobrem, fi gratia actualis ftatus naturæ integræ propria folum intellectum illuftrabat, voluntasque fana & inftructa habitibus fupernaturalibus, per illuftrationem illam velut admonita ipfa per fe ac deliberate fe movebat verfus bonum fibi propofitum; cenfendum eft, gratiam actualem iftius ftatus ad folum intellectum pertinuiffe.

Alio infuper fenfu gratia interior actualis dici poteft effe gratia voluntatis; fi nimirum voluntati ægrotæ ac imbecilli, & in contrarium per concupifcentiam diftractæ gratia vires fubminiftret ad volendum & agendum id, quod fola fuisque nudis viribus etiam per gratiam habitualem adjuta, velle ac præftare non poteft. Compertum eft fane, non diffitente Janfenio, S. Auguftinum ubique neceffitatem actualis gratiæ interioris in hoc ftatu noftro ex infirmitate voluntatis, & ex concupifcentia mala, cum qua nobis affidue pugnandum eft, repetere. Ergo nifi voluntas effet infirma &

con-

concupiſcentiæ malæ obnoxia, neceſſaria non foret actualis gratia, quam neceſſariam S. Doctor in hoc ſtatu noſtro adverſus Pelagianos prædicabat. Igitur ea actuali gratia integra & ſana Adami innocentis voluntas opus non habebat.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE
Gratiæ actualis Virtute, & agendi modo, ſeu de Gratia ſufficiente, & efficaci.

DE Gratiæ actualis, liberum hominis arbitrium prævenientis, excitantis, & adjuvantis neceſſitate hucusque diſputatum a nobis fuit. Declarandum deinceps erit, qua ratione hæc neceſſitas gratiæ, ejusque vis & agendi modus cum arbitrii libertate componi & in concordiam redigi poſſit. Id ex duplicis illius quæſtionis ſolutione pendet: quomodo nimirum gratiæ actualis auxilia dent voluntati liberæ poteſtatem volendi? & quomodo dent illi ipſum velle? Duo namque ad libertatem neceſſaria ſunt: ſcilicet poſſe velle, & poſſe nolle, ſeu non velle; ideoque ut voluntas creata in actionibus ſuis ſit libera, neceſſaria ſunt ei auxilia, quæ volendi facultatem conferant, & quæ dent ita ipſum velle, ut poteſtatem nolendi non auferant. Ad utramque autem explicandam nota eſt apud Theologos celebris illa auxiliantis gratiæ diviſio, cujus in ipſo Tractatus hujus aditu mentionem fecimus, in gratiam nempe *ſufficientem*, & *efficacem*. Quam quidem diviſionem, licet antiquiores Theologi his vocibus nuſpiam expreſſerint, re ipſa tamen frequenter diverſis in locis, prout ferebat occaſio, ejusdem meminerunt. Hoc vero tempore propter novos Recentiorum hæreticorum errores,

res, & propter graves etiam inter Catholicos ea occaſione ſubortas diſcordias ac contentiones, illa gratiæ diviſio expreſſius tradita & accuratius declarata eſt. In ejus proinde diſputatione nos quoque verſabimur in præſenti. Cumque plurima ſint, eaque graviſſima, quæ in quæſtionem hic veniunt apud ſcholæ Theologos, rem totam ita partiemur, ut primum de iis, quæ ad gratiæ ſufficientis naturam, virtutem, & exiſtentiam pertinent; tum de iis etiam, quæ illius vim, & efficaciam ſpectant, ex ordine diſſeramus.

SECTIO PRIMA.

DE

GRATIA SUFFICIENTE.

GRatiæ ſufficientis nomen duplici ſenſu intelligi poteſt. 1mo. *generice*, prout convenit gratiæ tam efficaci, quam inefficaci. 2do. *ſpecifice*, prout eſt ſpecies quædam ipſius gratiæ ſufficientis generice ſumptæ, ac ipſi gratiæ efficaci opponitur, eique tanquam imperfectiori ſpeciei nomen genericum attribuitur. Gratia ſufficiens *generice* ſumpta eſt ea, quæ vires homini ſufficientes præbet ad bene operandum, quamque, ſi velit, abjicere poteſt, ſive defacto illam abjiciat, ſive illi aſſentiatur, & cooperetur. Eo ſenſu gratiæ ſufficientis nomen tam efficaci, quam inefficaci tribuitur. Unde gratia illa, quæ S. Paulo divinitus conceſſa eſt, & per quam tentationes ſuperabat, ac ſalutem operabatur, quæque proinde efficax erat, ſufficiens nominatur, juxta illud 2. Cor. 12. *ſufficit tibi gratia mea.* Et S. Proſper, Lib. de *Vocat. Gentium.* Cap. 10. gratiam, quæ ſalutem re ipſa operatur, ſufficientem vocat. Gratia vero ſufficiens *ſpecifice* ſumpta, & prout gratiæ efficaci op-

opponitur, est ea, quæ homini præbet quidem vires ad bene operandum, seu cum qua potest homo bene operari, quamvis re ipsa non operetur; quemadmodum e contra gratia efficax est, cum qua ita potest homo bene operari, ut etiam re ipsa infallibiliter operetur. Atque in posteriore hoc sensu gratiam sufficientem hic unice spectamus, & in veram ejus notionem, virtutem, & existentiam inquirimus; de quibus cum non unus Novatorum sit error, & variæ præterea ac discrepantes Catholicorum opiniones; illos primum refutare convenit, tum vero istas ingenue expendere ac examinare.

CAPUT I.

Novatorum errores circa gratiam sufficientem exponuntur.

I. HActenus cum Pelagianis potissimum & Semipelagianis pugnatum fuit, cum recentioribus vero heterodoxis non nisi obiter, & per transennam congressi sumus. Nunc cum istis veluti conserto pede nobis dimicandum est. Hi quippe novam, & adeo perplexam de gratiæ virtute, & agendi modo doctrinam induxere, ut humanæ voluntatis libertatem funditus everterint.

II. Lutherus certe, atque Calvinus asserere non dubitarunt, in statu naturæ lapsæ nullam nobis dari gratiam sufficientem, quæ talis sit, ut voluntas illi dissentire, eamque abjicere possit; ac proinde omnem gratiam actualem, quæ datur in hoc naturæ lapsæ statu, esse semper efficacem, id est, habere semper effectum illum, ob quem datur; & quamvis nullam voluntati inferat violentiam, illi tamen afferre, seu imponere consentiendi necessitatem, ita, ut non coacte quidem, sed tamen necessario consentiat.

Ita Lutherus in Lib. de *servo arbitrio*, ubi sic loquitur: *No-*

Necessario operamur, sive bonum, sive malum; necessario, inquam, non vero coacte. Et rursus: *sequitur, nos necessario operari. . . . . Necessario vero dico, non coacte, necessitate immutabilitatis, non coactionis.* Et ut apertius etiam explicet mentem suam, utitur hac comparatione: *humana voluntas, in medio posita est, ceu jumentum, si insederit Satan, vult, & vadit, quo vult Satan; si insederit DEus, vult, & vadit, quo vult DEUS.*

Calvinus vero Lib. 2. Instit. cap. 3. N. 10. *Voluntatem*, inquit, *movet Gratia, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis motioni illius aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo.* Et paulo post: *Neque secus accipi sententia Christi potest*: Omnis, qui audivit a Patre meo, venit ad me, *quam ut efficacem a se ipsa DEI gratiam doceat. . . . . Nam medium, quem Sophistæ* (ita Catholicos traducit) *imaginantur motum, cui obsequi, vel quem repellere liberum sit, aperte excludi videmus, ubi asseritur efficax ad perseverandum constantia.* Et in antidoto Concilii Trident. ad Sess. VI. invehitur in Patres illius Sacrosanctæ Synodi, quod doceant, homines gratiæ libere assentiri, eamque posse respuere, si velint; contenditque, eos in hoc hallucinari, nec cognoscere discrimen præcipuum inter gratiam, quæ data fuerat in statu naturæ innocentis, & quæ nunc in statu naturæ lapsæ confertur; quod nempe hæc necessitatem imponat voluntati, illa vero liberam, & indifferentem ad assensum, vel dissensum reliquerit voluntatem. Quod quidem multis probare nititur, ac præsertim variis D. Augustini testimoniis, sed partim truncatis, partim in sensu erroneo, & a S. Doctoris mente prorsus alieno intellectis. Ac insuper Doctores almæ Facultatis Sorbonicæ tanquam Pelagianos sugillat, eo quod gratiam sufficientem in statu naturæ lapsæ dari assererent, cui posset homo dissentire, si vellet, illique defacto aliquando dissentiret. Non ergo aliam in præ-

ſenti ſtatu gratiam admiſere Lutherus, & Calvinus, quam efficacem, invincibilem, & inſuperabilem, cui voluntas reluctari non poſſit: ſufficientem vero, cui reſiſtitur, illi omnino rejecerunt, atque repudiarunt.

III. Dictos duos Hæreſiarchas quemadmodum in pluribus aliis capitibus, ita in hoc maxime ſecuti ſunt Bajus, Janſenius, & Queſnellius, ſuumque ex Novatoribus illis circa ruinam humanæ libertatis errorem hauſerunt. Sed de poſtremis his tribus paulo uberius hoc loco differendum eſt, ac de Janſenio cumprimis, cum præſens de Gratia Chriſti argumentum totius Syſtematis, ac doctrinæ Janſenianæ caput ſit, atque fundamentum. Neque enim, dum in eo ſyſtemate evolvendo verſamur, ſupervacaneum futurum arbitror, Bajanæ, & Janſenianæ cauſæ ſynopſim (quemadmodum ſuperius cum Pelagianis, ac Semipelagianis fecimus) quanta fieri poterit brevitate retexere; ne videlicet rerum theologicarum Candidati hujus decantatæ toties ætate hac noſtra Hiſtoriæ notitia penitus defraudentur.

De Michaele Bajo.

IV. MIchael Bajus Melini in territorio Athenſi apud Belgas ortum habuit anno 1513. Laurea Doctorali donatus in ſacra Facultate Theologica Lovanienſi anno 1550., & ſequente Regius ſacrarum Litterarum Profeſſor a Carolo V. inſtitutus eſt. Eo in munere cum novam quamdam & de errore ſuſpectam doctrinam diſſeminare cœpiſſet, Ruardus Tapperus, quem Magiſtrum Bajus habuerat, & Jodocus Raveſteyn, ex Tridentino Concilio Lovanium reduces, eidem ſtrenue obſtiterunt, re etiam ad Belgii Conſilium delata. Non multo poſt, cum inter Fratres Minores exorta fuiſſet contentio circa complures articulos, quos Bajus docere ferebatur, octodecim ex illis exhibiti ſunt ſacræ Pariſienſi Academiæ, & ab eadem inuſtis hære-

hæreſeos notis proſcripti anno 1560. Accuſatus præterea fuit Bajus proximo anno 1561. apud Antiſtitem Mechlinienſem Cardinalem Granvellanum: ſed partibus hinc & inde non ſine animorum æſtu diſſidentibus juſſu Pii IV. impoſito ſilentio, viſa eſt defervescere controverſia, ac tranquillitas reſtitui. Anno 1563. Bajus a Rege Catholico Tridentum mittitur ad Concilium, delegatus cum Heſſelio Lovanienſis Theologus, quanquam non ſine aliquorum repugnantia. Redux a Concilio typis mandavit Opuſcula *de libero arbitrio*, *de Charitate*, *de Juſtificatione*, *de Virtutibus impiorum*, *de Sacramentis in genere*, *de forma Baptiſmi*: inde nova diſſidiorum ſeges. Collectæ ſunt ex prædictis Opuſculis aſſertiones 76. quas anno 1567. ſanctiſſimus Pontifex Pius V. data ſolenni Conſtitutione damnavit. Edidit Bajus Apologiam, rogavitque Pontificem, ut Bullam tanquam ſubreptitiam reſcinderet; ſed eam econtra Pontifex matura deliberatione editam fuiſſe, reſcripto anno 1569 die 13 Maji declaravit. Damnationem confirmavit Gregorius XIII. inchoante anno 1579. qui etiam Lovanium miſit Franciſcum Toletum Societatis noſtræ Theologum, & poſtea Cardinalem, qui Bullam damnationis deferret, promulgaret, & ab omnibus, ea qua par eſt reverentia, recipi curaret. Toleti opera & privatis colloquiis ipſe Bajus adductus eſt, ut ſcripto publico, dato die 24 Martii anno 1580. ac propria manu ſubſcripto, propoſitiones a S. Sede damnatas retractarit, ac declararit, *ſe ab iis omnibus recedere*, & *damnationi a S. Sede facta acquieſcere*, *neque poſthac ullam earum docere*, *aut defendere velle*. Sunt ipſamet Baji verba in eo, quod ſubſcripſit publico inſtrumento; ut videre eſt in Actis Facultatis Theologicæ Lovanien. in nova editione Operum Baji part. 2. pag. 188. & 189. His feliciter confectis, moritur denique Bajus anno 1589. die 16. Sept. annos natus 77. Poſt Baji obitum illius ſimul & Janſenianas propoſitiones damnarunt Urbanus VIII. Bulla *In eminenti* data anno 1641. &

Innocentius X. quo urgente Constitutio Urbani anno 1648. fuit in Belgio solenniter promulgata, & recepta.

De Baji erroribus, & propositionibus non est cur hoc loco singillatim dicamus; cum eæ, quæ præsens spectant institutum, cum Jansenianis fere conveniant, ac in iis veluti contineantur, de quibus nos postea.

De Cornelio Jansenio, & ejus circa gratiam doctrina.

V. JAnsenii doctrina & secta celebris nunc adeo evasit, ut vix Bajus soleat amplius nominari. Natus est is anno 1585. ex Catholicis parentibus in Territorio Leerdamensi apud Batavos. Ultrajecti litteris humanioribus, & Lovanii Philosophicis ac Theologicis operam dedit, Magistro Jacobo Jansonio doctrinæ Baji strenuo defensore. Vixit aliquamdiu Parisiis, & Bajonæ, ubi fertur, consilio & impulsu Abbatis San-Cyrani, quocum Lovanii amicitiam contraxerat, novum circa gratiam Systema per duodecim annos elaborasse. Anno 1617. laurea Doctorali donatus est Lovanii, ibique anno 1630. Regius Sacrarum Litterarum Professor institutus. Electus anno 1635. Iprensis Episcopus, Opus, quod inscripsit *Augustinus*, extrema manu perpolivit, scriptaque sua publicis quoque tabulis Romanæ Ecclesiæ, et Pontificis maximi judicio subjiciens die 6. Maji anno 1638. in Ecclesiæ communione decessit. Quanquam enim fateatur eo in Opere difficulter aliquid mutari posse; *si tamen*, inquit, *Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, & illius Ecclesiæ, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum.* Idem contestatus fuerat cap. 29. Libri proœmial. & in Epilogo totius Operis. Si quotquot Jansenii doctrinam sectantur, ipsius pariter, sicut & Baji obedientiæ erga Sedem Apostolicam exemplum imitari studuissent, nullus amplius tam fune-

stis

ftis difcordiis, quæ univerfam pene divexant Ecclefiam, locus fupereffet; fed cum doctrinæ confenfu, fidei quoque unitate reftituta, optata jam diu pace perfrueremur.

VI. Liber porro Janfenii vix abfolutus lucem afpexit, cum Romam tranfmiffus, præmiffoque exacto examine ab Urbano VIII. Summo Pontifice memorata conftitutione prohibitus, & ad tenebras damnatus eft. Duas damnationis caufas adfert Summus Pontifex: prima, quod contra Decretum Pauli V. datum anno 1611. & fuum anno 1625. de non promulgandis ullis circa materiam de Auxiliis divinæ gratiæ operibus, dictus liber Janfenii editus fuiffet; altera, quod multas contineret Baji affertiones a Pio V. & Gregorio XIII. jam profcriptas. Dum Romæ fua Urbani Bullæ veritas, & auctoritas afferitur, atque in Belgio promulgationem urget Pontifex; Parifiis eadem Bulla die 2. Jan. anno 1644. ad Sacram Facultatem Regio mandato defertur: ac die 15. ejusdem menfis eadem Facultas fuis omnibus fevere injunxit, ne aliquam e damnatis a Pio V. & Gregorio XIII. Propofitionibus propugnarent. Anno 1650. Deputati a Sacra Facultate quinque famofas Propofitiones ex Janfenii Opere excerptas notarunt, easque octoginta quinque Gallicani Præfules Innocentio X. denuntiarunt, nonnullis aliis, numero tamen, & authoritate multo paucioribus, repugnantibus. Inftituta a Romano Pontifice pro Examine propofitionum fpeciali Congregatione, non defuere, qui Janfenii caufæ patrocinarentur ftrenue, inter quos Ludouicus de S. Amour, Delalane, Angran, Desmares, & Maneffier: damnationem contra urgentibus Halliero, Lagaut, Joyfel, aliisque Viris doctiffimis. Difcuffa autem & ventilata per biennium controverfia, ita ut jure merito poftea affirmaverit Alexander VII. majorem non potuiffe defiderari diligentiam, Innocentius X. emifit Conftitutionem, quæ incipit, *Cum occafione impreffionis libri &c.* per quam famofæ illæ Propofitiones tanquam falfæ, & hæreticæ fuere damnatæ.

Pro

Proſtratis hac damnatione Janſeniſtarum rebus, ac ſpebus, effugium quæſivere celebri illa *facti*, *jurisque* diſtinctione. Inclamare cœperunt, ſe quoque rejicere propoſitiones Pontificis decreto proſtratas, at illas non eſſe Janſenii, aut certe damnatas non eſſe in ſenſu Janſenii, quem neceſſe foret ex amplo Auctoris volumine eruere. Vanis ejusmodi effugiis, ut obviaret vigilantiſſimus Pontifex Alexander, non ſolum confirmavit Conſtitutionem Deceſſoris ſui Innocentii, verum etiam formulam præſcripſit Juramenti ab Eccleſiaſticis omnibus præſtandi, excerptas fuiſſe Propoſitiones ex libro Janſenii, & in ſenſu ab eodem auctore intento damnatas. Quod mandavit Pontifex Maximus die 15. Febr. anno 1664. Hoc Alexandri Decreto velut fulmine percuſſi Janſenii Defenſores, hæſere primum attoniti, tum collectis animis, eorum alii palam abnuerunt prædictæ Formulæ ſubſcribere, ſeque in Holandiam profugi, & exules receperunt. Alii haud veriti ſolenniter mentiri, & dejerare, formulæ ad ſpeciem ſubſcripſerunt, deteſtandam ſuam hypocriſim diverſis titulis palliare ſtudentes, ab ipſo etiam Arnaldo Janſenianarum partium ſtudioſiſſimo digna propterea vituperatione exagitati. Subortas poſthac circa Formularii deſcriptionem etiam per Belgium novas contentiones opportune compoſuit Innoc. XII. die 6. Febr. an. 1694. Conſtitutione, qua declaravit, Propoſitiones ex Opere Janſenii excerptas a ſuis Prædeceſſoribus fuiſſe damnatas *in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba præſeferunt.*

Has itaque Propoſitiones Janſeniſtæ principio negabant, ut diximus, fuiſſe a Janſenio prolatas, deinde rei evidentia convicti affirmarunt, non alio ſenſu ab Auctore ſcriptas, quam eo, quem exigit Auguſtini de gratia ſyſtema; poſtea vero damnato ipſius Auctoris ſenſu proſtrati penitus, cum non aliam evadendi viam invenirent, Pontificum Conſtitutiones infringere, eorumque in factis dogmaticis judicium aut pervicaci ob-

obstinatione, aut obsequioso, ut vocant, silentio eludere & parvipendere cœperunt; quemadmodum fecerant antea in Causa Baji, Constitutiones pariter Pontificias, quibus illius quoque Propositiones *hæreticæ*, *erroneæ*, *suspectæ*, *temerariæ*, *scandalosæ*, & *in pias aures offensionem immittentes* declarabantur, aut subreptitias esse, aut perverse explanatas, aut Romanum Pontificem in dijudicandis Scriptorum opinionibus factisque dogmaticis non esse infallibilis auctoritatis, totis viribus contendentes. Quæ omnia præter complures alios solide & erudite refutarunt, & exploserunt Viri Cl. Honoratus Tournelyus, in suis Prælect. Theolog. Tract. *de Grat. Chr.* Par. 1. Quæst. 3. Et Joannes Laurentius Bertus Theol. Historico-Dogmatico Schol. Tom. 3. Lib. 17. Cap. 2. & seq.

VII. Damnatæ autem Propositiones Jansenii sunt sequentes: I. *Aliqua DEI præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

II. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

III. *Ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas coactione.*

IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

V. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, & sanguinem fudisse.*

Propositiones istæ, quin universa Jansenii doctrina ad unum gratiæ ex se efficacis, quod ipse in delectatione victrice ac superiore reponit, caput merito revocatur. Hæc una capitale est Jansenianis dogma, quocum cætera omnia nexu indissolubili cohærent; quo stante stant; quo everso evertuntur.

tur. Hæc origo eſt ac radix, unde velut a fonte fluvii, quinque Propoſitiones dimanant; quas Janſenius ipſe velut totidem concluſiones a ſuo principio indivulſas derivavit. Ejus proinde natura & agendi modus ex mente Janſenii paulo uberius videtur exponenda, ut genuina Auctoris doctrina melius intelligi, eoque ſolidius deinde refelli ac impugnari a nobis poſſit.

Janſenianæ circa delectationem victricem, ac ſuperiorem doctrinæ Syſtema.

VIII. DElectatio duplex diſtingui ſolet: una cœleſtis, quæ ad bonum; altera terreſtris, quæ ad malum inclinat, & trahit. Utramque victricem ſimul & ſuperiorem appellat Janſenius; quod voluntatis conſenſum certo exprimat, & quidem illum exprimat propter majores quas habet vires comparate ac relative ad oppoſitam minorem delectationem. De victrici gratiæ delectatione fuſe differit Janſenius L. 4. de Grat. Chr. Unde hæc veluti ſumma doctrinæ ipſius colligitur. Voluntatem nempe hominis infirmam, & per peccatum originale labefactatam, non niſi victrice quadam ac dominante delectatione indeliberata, ſeu cœleſti ſeu terrena, ad bonum vel ad malum inflecti ac determinari poſſe. Dicitur *indeliberata*, quia rationis advertentiam & voluntatis conſenſum antevertit. *An ipſa voluntas*, inquit ille Lib. mox cit. c. 3. *facit, ut delectet, ſi voluerit? Abſit. Hoc enim ut occurrat, inquit Auguſtinus, non eſt in hominis poteſtate.* Illi vero motus primum indeliberati, ſubinde deliberatos producunt. *Ut ſane merito S. Auguſtinus*, ait Janſenius c. 11. *actus illos indeliberatos amoris ac deſiderii, quibus anima ſuaviter in DEum deliberato actu diligendum ſuſcitatur, invitatur, trahitur, rapitur, nomine dulcedinis, ſuavitatis ac delectationis deſignaverit.* Delectatio

tio ejusmodi unicum est pondus, quo voluntas ad agendum necessario determinatur, juxta illud S. Augustini effatum, quod Jansenius centies obtrudit: *secundum id operemur necesse est, quod amplius nos delectat;* adeo ut, quemadmodum in bilance, si duo pondera fuerint inæqualia, necesse omnino est, eam bilancis partem deprimi, in qua majus est pondus, nec unquam fieri potest, ut majus trahatur a minore; ita impossibile pariter sit, majorem delectationem vinci a minore: sed si major fuerit vis gratiæ, quam concupiscentiæ, necesse sit voluntatem bene operari; e contra male, si viribus prævaluerit concupiscentia. In eo proinde systemate delectatio superior quasi ex mechanica lege voluntatem movet ac rapit sive ad bonum, sive ad malum, prout cœlestis, aut terrena præponderat. Neque æqualis quidem delectatio ab alia opposita æquali superari unquam potest, sed voluntas eo casu in medio suspensa remansura est, ut expresse docet Jansenius Lib. cit. c. 10. *alternante*, inquiens, *delectationum fluctu in medio remanebitur.* Propterea etiam Semipelagianos graviter errasse contendit, quod assererent, in æqualitate virium gratiæ & concupiscentiæ voluntatem superare posse concupiscentiam, & ad bene agendum se ipsam determinare. Tota igitur vis delectationis ex mente Jansenii relativa est, id est, per comparationem ad oppositas sibi vires: modusque illius agendi positus est in majore & relativa virtute, secundum quam necesse est voluntatem operari: in conflictu enim duarum delectationum, quarum una gradibus alteri præponderat, minorem oportet cedere majori. Unde necessario sequitur, quod mox dicebamus, superiorem delectationem a minore nunquam vinci posse. Audiamus Jansenium ipsum L. 4. c. 9. *Conflictus ille*, inquit, *delectationum sopiri non potest, nisi altera alteram delectando superaverit, & eo totum animæ pondus vergat. Quod enim amplius delectat, secundum id operemur necesse est. Vigente enim delectatione car-*

nali impossibile est, ut virtutis ac honestatis consideratio prævaleat.

IX. Hinc vero sponte sua fluit, ac nascitur celebris illa distinctio potentiæ *absolutæ* & *relativæ*, qua Janseniani passim utuntur, ad declinanda Catholicorum argumenta, & Ecclesiæ censuras eludendas. Cum enim iisdem objicitur, in ipsorum systemate, hominem justum sola gratia inferiore, quam Jansenius parvam appellat, instructum, & absente efficaci, veram & expeditam non habere ad superandam tentationem, præceptumque observandum potentiam; quia nempe tunc in eo supponitur actualis concupiscentia dominari ac superior esse ipsa gratia; adeoque impossibile fit, ut parva illa gratia superiorem vincat cupiditatis delectationem: cum, inquam, id ipsis objicitur, ad eludendam argumenti vim, æquivocatione utuntur vocis hujus *potentia*, & verbis in speciem catholicis audacter profitentur, agnoscere se in eo justo *sufficientissimam, perfectissimam, completissimam, expeditissimamque ad superandam tentationem & mandatum observandum, facultatem seu potentiam.* Perfectissimam nempe ac completissimam intelligunt potentiam *absolute*, ac præcisis circumstantiis, non vero *relative* ad illas. Sic Jansenius Lib. 8. de Grat. Chr. c. 20. expressis verbis ait, remanere in voluntate *perfectissimam peccandi potestatem, quæ non solum inest voluntati, quando gratia delectatione caret, sed etiam quando intima ejus suavitate efficaciter trahitur.* Et paulo post: *Quemadmodum*, inquit, *qui sub gratia ad opus bonum determinante operatur, simul etiam peccare potest; ita quoque e contrario, qui ista gratia destituitur & peccandi tentationibus quatitur, potest bene facere.* Potentia certe illa bene agendi, quam Jansenius agnoscit sub vehementiore cupiditate, cum nempe quis peccandi tentationibus quatitur, & potentia male agendi sub motione gratiæ victricis ad bonum opus determinantis, relativa esse non potest: *Vigente* namque *delectatione carnali impossibile est*, ait

L. 4.

Lib. 4. cap. antea cit. *ut virtutis ac honestatis consideratio prævaleat. Tunc enim*, inquit Lib. 8. cap. 2. *delectatio est victrix, quando alteram superat. Quod si contingat, alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus.* Ergo potentia illa est mere absoluta, & abstracta, quæ ad usum & exercitium boni, vel mali operis nihil omnino conferre potest. Repugnat enim Janseniano Systemati, ut gratia parva completissimam, expeditissimamque conferat relative potestatem ad vincendam majorem cupiditatem.

In eundem sensum loquitur Arnaldus, ut reliquos taceam Jansenii discipulos: *Si de aliquo justo* (inquit ille in sua Dissert. de Grat. effic. p. 2. a. 4.) *cui gratia efficax in aliqua tentatione desit, quæratur, an sine gratia efficaci ad vincendam tentationem necessaria, quam supponimus ipsi defuisse, tentationem vincere potuerit; tunc ex communi omnium loquendi ratione respondebitur, non quidem absolute, sed in illa hypothesi, sine hac gratia non potuisse.* Adverte, eum dicere, *in illa hypothesi*, hoc est, relative ad majorem cupiditatem. Ideo autem asserit, talem justum potuisse *absolute* superare tentationem; quia gratiam sufficientem habet, quæ, ut ait ibid. p. 3. a. 12. *in nobis initia bonæ voluntatis producit, atque adeo quamdam bene agendi potentiam, & virtutem largitur; quæ, nisi validior ei concupiscentia resisteret, non modo boni operis desiderium fructu vacuum, sed ipsum bonum opus re ipsa produceret.*

Arnaldus itaque, & quotquot Jansenianæ doctrinæ asseclas se profitentur, summo consensu agnoscunt in parva illa Jansenii gratia, qua justi, absente efficaci, instructi sunt, veram, propriam, perfectissimam, & expeditissimam ad superandas tentationes, & præceptum observandum potestatem. Sed fallunt illi ambigua significatione vocis *potentiæ*, quam solum absolutam intelligunt, & abstractam, considerata videlicet sola gratiæ natura, præcisis objecti præsentibus dispositio-

nibus; unde talem gratiam per voluntatem antecedentem, quæ a circumſtantiis abſtrahit, conferri aſſerunt: non vero intelligunt potentiam relativam ad alias diſpoſitiones ſubjecti; his enim conſideratis, DEus voluntate ſua conſequente, & abſoluta non vult opus bonum perfectum impleri per talem gratiam parvam, ſed aliquod duntaxat imperfectum, & inchoatum boni operis deſiderium. Hinc potentiam illam ſuam abſolutam, quam totius Syſtematis arcanum, ac quaſi nucleum vocat Tournelius, multis aliis nominibus idem plane ſignificantibus involvunt, ac implicant, ut egregie obſervat idem Vir Cl. Tract. de Grat. Q. 3. Appellant nempe potentiam, quæ nunquam erumpit in actum, potentiam antecedentem, quia præſcindit a circumſtantiis ſubjecti; potentiam, quæ aliquo novo adjutorio indiget, ut in actum exeat; potentiam in actu primo; potentiam in ſenſu diviſo, nempe circumſtantiarum ſubjecti; potentiam, quam delectatio ex ſe ipſa confert &c. Contra vero relativam potentiam contrariis plane nominibus appellant. Ad ejusmodi igitur appellationes diligenter advertere oportet, ut Janſenianorum fallaciæ in uſurpandis Catholicorum modis facilius detegantur. Unica certe vocis *potentiæ* æquivocatione damnatas quinque Propoſitiones verbo damnant, re ipſa tuentur: Juſtis nempe impoſſibilia non eſſe mandata, impoſſibilitate abſoluta, non autem relativa: gratiæ interiori reſiſti, videlicet quoad effectum ulteriorem ac perfectum, quem habere poteſt abſolute, at non relative. Eandem diſtinctionem applicant Propoſitionibus cæteris; ſicque unius vocis ambiguitate Eccleſiæ cenſuras eludendo, ſeſe Catholicos ſimulant.

X. Ex doctrina hactenus expoſita facile colligitur, Janſenium in præſenti ſtatu non aliam vere ſufficientem gratiam admiſiſſe, quam efficacem, & victricem, quæ voluntatis conſenſum inſuperabiliter ſemper exprimat, cui proinde nunquam reſiſtitur. Parva namque illa gratia, quamvis ab eo efficax

ficax vocetur, nimirum respectu debilis alicujus & infirmi effectus, quem potest producere, quique nihil est aliud, quam inchoatum quoddam, & sterile boni desiderium; victrix tamen, & respectu pleni ac perfecti effectus nec efficax, nec sufficiens est; *propter defectum* nempe virium, ut ipse ait Jansenius L. 3. de Grat. Chr. cap. 13. De qua rursus L. 2. cap. 57. dicit, *eam nullo modo sufficere, ut homo DEI mandatum operetur, ut DEum super omnia diligat, ut speret &c. licet aliquid faciat, nempe velleitates quasdam excitet.* Ratio est, quia in systemate delectationis relative superioris, ac victricis, non potest gratia parva, seu inferior vincere superiorem concupiscentiam: quapropter in eo systemate nulla datur gratia vere ac proprie sufficiens, præter superiorem cœlestem delectationem. Gratia namque parva, si absolute, & in se præcisis subjecti circumstantiis spectetur, de se quidem est efficax, & ad bonum etiam perfectum antecedente DEI voluntate ordinatur, quod reipsa efficeret, si minus ipsi resisteret opposita cupiditas: sed si spectetur relative, & comparate ad majorem actualem concupiscentiam, plane insufficiens est, & impar huic superandæ. Ergo reipsa gratia parva Jansenii plane insufficiens est relative, *ex qua*, ut ipse ait L. 4. c. 10. *operatio nequidem possit sequi, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur.* Unde sequitur 1*mo*. Gratiam sufficientem, seu parvam ad sensum Jansenii, dicendam esse eam, quæ gradibus inferior est opposita concupiscentia; nec eam, *propter defectum virium*, relative vincere ac superare potest. 2*do*. Respectu ipsius operis boni actu exercendi, perinde esse, nullam prorsus habere, aut ita imparem viribus habere gratiam, *ex qua operatio non potest sequi.* 3*tio*. Justis sola gratia parva instructis, absente efficaci, relative, seu ut loquitur Jansenius, *secundum præsentes quas habent vires*, vel, ut Arnaldus, *in ea hypothesi*, mandata DEI esse impossibilia.

De

De Paſchaſio Queſnello.

XI. PAſchaſius Queſnell Lutetiæ Pariſiorum natus Quinctili menſe, anno 1633. Congregationi Presbyterorum Oratorii, non illi, quæ a S. Philippo Nerio inſtituta Florentinæ præprimis, ac Romanæ Urbi ſingulari eſt ornamento; ſed illi, quæ auctorem habet Berullam S. R. E. Cardinalem, vertente anno 1657. nomen dedit. Elucubravit, edidítque anno 1676. Diſſertationes ad Opera S. Leonis Magni; quæ Romæ ſtatim proſcriptæ ſunt, & ab Eximio Viro Chriſtiano Lupo Ord. Erem. S. Aug. confutatæ in libro *de Appellationibus*. Damnationis Romanæ Decretum *libellum famoſum* impoſturis, & diabolico odio plenum, incredibili audacia auſus eſt appellare. Congregationis ſuæ monitis, ac præceptis pertinaciſſime ſpretis, habitum quoque dimiſit ac nomen, erro factus, & profugus.

Prodiit anno 1699. Pariſiis Queſnelli opus inſcriptum, *Le nouveau Teſtament en François, avec des Reflexions morales ſur chaque verſet &c.* In eo reſuſcitavit Baji, & Janſenii damnata dogmata, ampliavitque errores Propoſitionibus 101. a Clemente XI. in Bulla *Unigenitus* anno 1713. jure meritoque proſcriptas. Etenim a Propoſitione 9. usque ad 24. liquet, Queſnellum nullam gratiam admittere, niſi efficacem, & quidem talem, quam nihil impedire poteſt, & retardare. Abſque tali gratia impoſſibilem eſſe divinorum præceptorum obſervantiam aſſeritur primis quatuor, nec non triceſima octava, & duabus ſequentibus. Gratiam primi hominis debitam, ac naturalem tradit Propos. 34. 35. & 37. Ante fidem, & remiſſionem peccatorum nullam dari gratiam dicit Propos. 26. 27. 28. Mitto plura alia, quæ pertinent ad Charitatem, ad Eccleſiam, ad Sacrarum Scripturarum lectionem, aliaque dogmata, ex quibus evidenter colligitur Queſnellianæ doctrinæ cum Bajana, & Janſeniana conſenſus, atque concordia.

XII.

XII. Bulla *Unigenitus* annuntiata Episcopis Gallicanis, pro illius acceptatione prodierunt mandata CXXX. relata in libro, cui titulus, *Recueil des Mandemens, & instructions Pastorales des Messeigneurs les Archevêques, Evêques de France pour l'acceptation de la Constitution de N. S. Pere le Pape Clement XI. du* 8. *Sept.* 1713. &c. Eandem Constitutionem omnino servandam publicaverunt Clarissimi Antistites Namurcensis, Ruremundensis, Gandavensis, Antverpiensis, Tornacensis, Audomarensis, aliique plurimi. Recepta est an. 1715. die 8. Jan. ab Universitate Coloniensi concordi Doctorum approbatione. Idem præstiterat præcedente anno die 3. Aug. Academia Duacensis. Probarunt unanimiter Pontificis maximi judicium Theologi Lovanienses die 8. Jul. an. 1715. Excepit, dignaque veneratione amplexata est die 19. Aug. an. 1716. Universitas Salmanticensis. In Italia, Germania, Hispania, & Lusitania singuli, ut par erat, illi obtemperarunt. Verbo, recepta est Clementina Constitutio ab omni Catholicorum ordine paucis Refractariis exceptis, qui ut Romanæ sedi invidiam concitarent, cum nullum sibi effugium relictum cernerent, Sanctorum Augustini & Thomæ doctrinam eadem Constitutione damnatam criminati sunt. Sed huic calumniæ modum posuit, unaque Scholarum tranquillitati consuluit vigilantissimus Ecclesiæ Pastor Clemens XII. Brevi *Apostolicæ Providentiæ officio*, emanato die 2. Octobr. an. 1733. In quo redarguitur primo *intolerabilis eorum pertinacia, qui etiam nunc contendunt censuris latis in Constitutione Unigenitus doctrinam Sanctorum Augustini & Thomæ de divinæ gratiæ efficacia esse perstrictam.* Deinde præcipitur *in virtute S. Obedientiæ, & sub Canonicis pœnis, ne disputantes, aut docentes, sive Scriptis editis, sive aliter propositiones defendant, aut enuntient, quæ interdictas Novatorum calumnias firmare, ac promovere possint.* Postremo, ut etiam a Paulo V. sancitum fuit, ad extinguendum fomitem dissensionum, interdicitur, *ne vel scribendo, vel docen-*

do, vel disputando, vel alia qualibet occasione notam aut censuram ullam Theologicam Scholis diversa sentientibus inurere, aut earum sententias conviciis, & contumeliis incessere aliquis audeat, donec de iisdem controversiis S. Sedes definiendum, ac pronunciandum censuerit.

CAPUT II.

Fidei Catholicæ dogma de Gratiæ sufficientis natura & existentia stabilitur.

I. SOlam hic aggredimur Novatorum doctrinam paulo ante expositam circa existentiam & naturam gratiæ sufficientis, quam cum Ecclesia sua censura confixerit, eo ipso contrariam veram & Catholicam esse declaravit. An ergo præter gratiam efficacem aliam mere sufficientem in hoc statu naturæ lapsæ agnoscit Ecclesia? Quid per sufficientem ejusmodi gratiam re ipsa intelligit? En status præsentis controversiæ, Assertionibus geminis dirimendæ. Sit igitur

ASSERTIO PRIMA.

Præter gratiam efficacem admittenda est in præsenti statu gratia mere sufficiens.

II. PRob. 1mo ex Scriptura: Prov. 1. v. 24. *Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo.*

Isa-

Jsaiæ. C. 5. v. 4. *Quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? Expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas.*

Matth. C. 20. v. 16. *Multi vocati, pauci electi.* Et Luc. C. 14. dicitur, multos fuisse ad cœnam invitatos, paucos venisse.

Matth. C. 23. ita Christus Judæos increpat. *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluisti.*

Stephanus Act. 7. v. 51. ita compellat Judæos: *Dura cervice & incircumcisis cordibus; vos semper Spiritui S. resistitis.*

Apostolus 2. ad Cor. C. 6. v. 1. *Exhortamur, ne in vacuum DEI gratiam recipiatis.*

Ex quibus, pluribusque ejusmodi aliis Scripturæ locis manifeste patet, 1*mo.* hic agi de hominibus in statu naturæ lapsæ positis. 2*do.* agitur de gratia interiore jam data; quia sola vocatio externa inutilis esset, tum quia Spiritus S. cui dicuntur homines resistere, non nisi intus movet, & excitat, vocatio autem externa fit ministerio creaturarum. 3*tio.* Hæc gratia est vere sufficiens; quomodo enim aliter sciscitari posset Deus, *quid debui ultra facere*? Quomodo expectare potuisset uvas ex vinea bene culta, si ad producendos bonos fructus insufficiens fuisset cultura? 4*to.* Agitur de gratia, cujus effectum Deus vult sincere: cur enim vocaret, quos nollet venire? Quomodo posset dicere *volui, & noluisti?* 5*to.* agitur de gratia, quæ suo fraudatur effectu per liberam hominis resistentiam: Culpa enim rejicitur in solam hominis voluntatem, *vocavi, & renuistis; volui, & noluisti.* Secus homo extra culpam foret, Deusque interminando, *ego quoque in interitu vestro ridebo*, inique insultaret hominis perditioni, gratiam effectu cassam ipsi exprobrando, cujus ope nihil revera potuisset facere, quam quod fecit. Atqui gratia interior hujusmodi, per quam homo potest bene agere, quando non bene agit; gratia, cujus DEus effectum vult sincere; quæ suo fraudatur effectu per solam hominis liberam resistentiam, est gratia vere, ac mere sufficiens. Ergo.

III. *Prob. 2do.* Authoritate Conciliorum : Arauſicani II. quod Can. 25. declarat ſe credere *ſecundum fidem Catholicam, quod accepta per Baptiſmum gratia, omnes Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Atqui non poſſunt ſine gratia interiore. Ergo baptizati omnes habent gratiam ad id neceſſariam. Atqui non omnes habent efficacem ; cum non omnes adimpleant ea, quæ pertinent ad ſalutem. Ergo aliqui habent mere ſufficientem, quacum ea quæ pertinent ad ſalutem non implent, non quia non poſſunt, ſed quia fideliter laborare nolunt.

Concil. Trid : Seſſ. 6. C. 11. docet, neminem debere *temeraria illa, & a patribus ſub anathemate prohibita voce uti. DEI præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam DEus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* Nullum igitur præceptum divinum eſt homini juſtificato ad obſervandum impoſſibile. Ergo homines juſtificati habent interiorem gratiam ad obſervanda præcepta divina neceſſariam. Atqui hæc gratia non eſt in omnibus efficax ; cum non omnes obſervent omnia præcepta divina. Ergo hæc gratia in aliquibus eſt mere ſufficiens.

Eadem Synodus ejuſdem Seſſ. C. 13. dicit, *omnes debere in DEI auxilio ſpem firmiſſimam collocare ;* quia *niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet.* Ergo Concilium ſupponit hominem poſſe deeſſe gratiæ ; quod falſum eſt, ſi gratia quæcunque hujus ſtatus eſt efficax.

Accedit cenſura Romana, qua proſcripta eſt illa Janſenii propoſitio : *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Ergo ejus contradictoria, *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſtitur*, eſt vera, & de fide. Ergo verum eſt, & de fide, quod gratia interior in ſtatu naturæ lapſæ non ſemper habeat effectum ; adeoque quod præter gra-

gratiam efficacem detur alia pure sufficiens: sufficiens quidem, quia sufficit ad effectum, ad quem datur; & pure sufficiens, quia effectum, ad quem datur, non obtinet, eo quod ei resistitur.

IV. *Prob. 3tio.* Authoritate SS. Patrum, quorum innumera sunt, quae hic adferri possent testimonia: illustriora dumtaxat aliquot Augustini, ejusque discipulorum Prosperi, & Fulgentii, qui ab haereticis opponi solent, proferre sufficiet.

Itaque S. Augustinus in Lib. 83 quaest. 68. in id quod dicitur Lucae 14. multos ad coenam invitatos esse, venisse paucos, dicit, *in eorum, qui non venerunt, libera voluntate fuisse, ut venirent;* additque, *eum qui vocatus non venit, sicut non habuit meritum praemii, ut vocaretur; sic inchoare meritum supplicii, cum vocatus venire neglexit.* Quibus verbis designatur gratia, quae dat potentiam completam & expeditam faciendi id, propter quod datur, & quae caret effectu, propter quem datur, qualis est gratia vere & mere sufficiens. Alioquin dicere non potuisset Augustinus, vocatos habuisse in libera voluntate, ut venirent, & eosdem neglexisse venire, atque idcirco dignos esse supplicio: non potest enim dici aliquis negligere id, quod vere & proprie facere non potest; & mereri poenam, quia illud neglexit. Idem L. 1. de peccatorum meritis C. 39. dicit, *hominem posse vincere concupiscentiam adjuvante DEO, si non in vacuum gratiam ejus susceperit.* Ergo potest resistere gratiae, quae dat potestatem vincendae concupiscentiae. Et L. 2. Act. cum Felice Manichaeo C. 8. *Non est ergo indignum,* inquit, *ut DEUS dicat: Ite in ignem aeternum iis, qui per liberum arbitrium misericordiam ejus respuerunt.* Rursus L. ad Simplicianum q. 2. dicit, quod Esau *vocatione DEI contempta reprobus factus est.* Denique L. de Nat. & Grat. C. 63. *Non tibi,* inquit, *deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere,*

rere, *quod ignoras ; neque quod vulnerata membra non colli-gis*, *sed quod volentem sanare contemnis.*

S. Prosper L. de Vocat. Gent. C. 26. *Gratia DEI*, inquit, *in omnibus justificationibus principaliter præeminet*, *suadendo exhortationibus*, *movendo exemplis*, *terrendo periculis*, *incitando miraculis dando intellectum*, *inspirando consilium* &c. Et quibusdam interjectis subjungit. *Quæ opitulatio per innumeros modos*, *sive occultos*, *sive manifestos*, *omnibus adhibetur ; & quod a multis refutatur*, *ipsorum est nequitiæ ; quod autem a multis recipitur*, *& gratiæ est Divinæ & voluntatis humanæ.* Et in Resp. ad Capitula Gallorum art. 12. ad Object. 15. Sic loquitur : *qui dicit*, *quod quibusdam vocatis & pie justeque viventibus obedientia subtrahatur*, *ut obedire desistant*, *male opinatur de DEI bonitate & justitia.* Ergo DEUS non subtrahit hominibus justis gratiam, qua possint obedire. Ergo quando non obediunt, resistunt gratiæ, per quam obedire possent.

S. Fulgentius L. de Incar. & Grat. C. 17. *Homo*, inquit, *tanti medicaminis* (pœnitentiæ) *beneficio caret*, *cujus gratiam contumax*, *atque ingratus oppugnat.* Et L. de remissione peccat. C. 9. dicit, malos *non debere solam DEI severitatem cogitare ; sed etiam amare misericordiam*, *ne misericordiæ beneficium non quærant*, *cum invenire possunt.* Ergo potest quis non quærere misericordiam, quam invenire potest. Ergo potest respuere gratiam, per quam ita potest quærere, ut inveniat.

V. *Prob. 4to.* Ratione theologica : Impossibilis est observatio præceptorum supernaturalium absque gratia vere sufficiente. Ergo nemo tenetur ad observanda præcepta ejusmodi, nisi habeat gratiam vere sufficientem : alioquin teneretur ad impossibile, & quidem sub poena æternæ damnationis; quod absurdum esse ratio etiam naturalis facile persuadet. Atqui homines multi, & sæpe transgrediuntur mandata, ad quorum observantiam tenentur. Ergo sæpe habent gratiam

vere

vere sufficientem, quæ tamen efficax non est. Datur igitur gratia vere, ac mere sufficiens.

Et sane si hæc non daretur, sequeretur *1mo.* Neminem posse de peccato sincere ac serio pœnitere; quia neminem serio pœnitere potest, quod illud fecerit, a quo abstinere non potuit: nec potest serio statuere, se non idem deinceps facturum. *2do.* Debere unumquemque & incurium, & actionum suarum securum esse; cum neque plus boni facere potest, quam facit, neque abstinere a malo, quod facit: quomodo enim posset, qui nihil potest, quam quod facit? Hinc æstimare licet, quo spectent boni illi Viri severioris morum disciplinæ vindices, ac patroni.

Respondetur ad Objecta.

VI. OBjic. *1mo.* Nihil est, cur allata Scripturæ loca intelligi debeant de gratia interiore, quæ careat effectu, propter quem datur, & cujus producendi det potestatem expeditam & completam. Ergo ea non probant, esse aliquam gratiam vere ac mere sufficientem.

Prob. antec. 1mo. Illis in locis sermo est de gratia dumtaxat vocationis externæ, non vero de gratia interiore. Ita Jansenius L. 2. de Grat. Chr. c. 32. & ante ipsum Calvinus. *2do.* Plura suppetunt alia Scripturæ loca, quibus significatur, nullam gratiam vere sufficientem carere effectu, propter quem datur. Ut Isaiæ 55. v. 11. *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* Joan. C. 6. v. 45. *omnis, qui audivit a Patre,* ait Christus, *& didicit, venit ad me.* Ergo omnis, qui per gratiam vocatur, & docetur, venit ad Christum. Ergo omnis gratia sufficiens est efficax. Rom. 9. v. 19. *Voluntati ejus quis resistit?* Ergo gratiæ Divinæ nemo resistit. Omnis igitur gratia est efficax.

ficax. Philip. 1. v. 6. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem JESU Christi.*

Resp. Neg. ant. Ad ejus 1*mam prob. Neg.* assertum. Etenim citatis in locis invitantur peccatores ad pœnitentiam, & increpantur intentatis etiam suppliciis, quod oblatis gratiæ auxiliis uti noluerint. Si autem gratiæ illæ exteriores dumtaxat fuissent, & insufficientes; nec converti illi potuissent, cum certum sit, neminem sine ope interioris gratiæ posse credere, sperare, diligere, sicut oportet ad salutem; nec merito reprehendi, quod conversi non fuissent, cum vires ad conversionem sufficientes non accepissent. Sed esto, citatis locis gratiæ externæ mentionem fieri, ideo certe interior gratia excludi non debet; hæc namque illam comitatur, eamque vere sufficientem efficit. Propterea etiam Concilia, & SS. Patres, quos jam appellavimus, gratiam interiorem, non exteriorem dumtaxat intelligunt. Et sane Pelagianorum proprium erat, Scripturæ testimonia, quibus gratiæ necessitas adstruitur, detorquere ad gratiam exteriorem legis & doctrinæ.

Resp. ad 2dum. Testimoniis illis adstrui quidem gratiam efficacem, cui nulla reluctatur voluntas; sed minime excludi sufficientem. Locus Isaiæ continet vaticinium de novo fœdere per Messiam sanciendo, & de bonis per eum Mundo obventuris. Verbum nempe, quod prodiit de ore DEI, est promissum de venturo Messia. Dicitur autem complendum esse suo tempore promissum illud; & prospere facienda ea omnia, quæ fieri vult DEus, cum datus fuerit Messias, Evangelium, Sacramenta, cæteraque novæ legis Charismata. Hunc certe esse loci illius sensum omnes Interpretes constituunt. Neque est, cur per verbum DEI egressum de ore illius intelligatur omnis gratia actualis interior.

Christus Joan. 6. loquitur de illis, qui audientes discunt, & obediunt verbo DEI per efficax fidei donum a DEO liberaliter concessum. Sensus proinde est: omnis qui Patrem intus do-

docentem ita audivit, ut didicerit, ille venit ad me, id est, in me credit. Non autem: Omnis, qui patrem intus docentem audivit, ille didicit, & venit ad me. Posteriorem hunc sensum imperite vel maligne tuentur soli hæretici; sed ipsa sermonis Christi consideratione refutatur. Cur enim Christus hæc duo distinguit, *audire* & *discere*; nisi ad significandum, multos audiisse, sed non venisse, quia non didicerunt.

Apostolus ad Philipp. gratiam efficacem designat quidem, sed non per exclusionem gratiæ, cui resistitur. Ea namque intelligenda sunt ad sensum Concilii Trid. dicentis Sess. VI. cap. 13. *Nisi ipsi gratiæ defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere.* Ad Rom. autem cum dicit, voluntati DEI neminem resistere, intelligi debet, voluntati DEI absolutæ ac consequenti, ut loquuntur Theologi, neminem resistere; attamen resistere ejus voluntati antecedenti & conditionatæ, qua vult DEus omnes homines salvos fieri, quamvis omnes salvi non fiant: quia non omnes ex parte sua eas implent conditiones, quibus DEus vult omnes salvos.

VII. *Objic. 2do* ex S. Augustino. Negat S. hic Doctor, eum habere gratiam, qui non agit. Ergo nullam agnoscit gratiam sufficientem, quæ non sit efficax. *Prob. ant.* Serm. 165. alias 13. de verbis Apostoli post recitata verba illa ad Rom. cap. 8. v. 14. *quicunque Spiritu DEI aguntur, ii sunt filii DEI*, ita sibi objicit: *Dicit mihi aliquis, ergo agimur, non agimus. Respondeo: immo & agis, & ageris, & tum bene agis, si a bono ageris: Spiritus enim DEI, qui te agit, adjutor est tibi. . . . Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur.* Hinc vero sic argumentari licet: ex S. Augustino, bene agis, si a bono agaris, & nemo adjuvatur, si ab eo nihil agatur. Ergo qui non bene agit, non agitur a Spiritu DEI, nec adjuvatur ad bene agendum. Ergo qui non agit, non habet gratiam.

Resp. Conc. ant. & primam *conf. Neg.* secundam. Verum qui-

quidem est, eum non bene agere, qui non agitur a Spiritu DEI; nam quicunque sit spiritus, a quo agitur, si non est Spiritus DEI, non agit bene, id est, utiliter ad salutem; quapropter, qui non agitur Spiritu DEI, non est Filius DEI. Sed inde non sequitur, eum non habere gratiam ad agendum, qui non agit. Aliud namque est, non agere bene nisi ex gratia, aut eum bene agere, qui agit ex gratia; & aliud, agere semper bene, quando adest gratia: prius dicit Apostolus, & cum Apostolo Augustinus; posterius a nemine nisi ab hæreticis assertum unquam est. Non dicit Apostolus, nec dicit Augustinus: quicunque a Spiritu S. excitantur ad agendum, & potestatem agendi accipiunt, ii bene agunt, suntque Filii DEI: sed *quicunque aguntur*, id est, quicunque agi se & moveri sinunt, seu motioni Spiritus S. consentiunt.

Verum pariter est, eum non adjuvari, qui nihil agit, sed agitur tantum: quemadmodum corpus iners, ut pila, lapis, globus, dicitur pelli, projici, agi, non dicitur adjuvari. Idcirco S. Doctor respondens Objectioni sibi propositæ, probat, sub motione gratiæ nos non agi tantum, sed agere, atque adeo etiam per gratiam adjuvari. *Spiritus DEI*, inquit ille, *qui te agit, adjutor est tibi .... agnosce quid poscas, agnosce quid confitearis, quando dicis*: adjutor meus esto ..... *adjutorem utique invocas DEUM: Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur.* Unde concludit, falsum esse, quod ex Apostoli loco inferebatur: *Ergo agimur tantum, non agimus.* Ex eo tamen, quod per gratiam non agamur tantum, sed agamus; & quod non dicatur proprie adjuvari, qui agitur tantum, non agit, non licet inferre, eum, qui non agit, gratiam non habere, nec ab ea pares & sufficientes agendi vires accipere.

VIII. *Inst. 1mo.* Idem S. Doctor Lib. de Grat. Chr. c. 13. dicit, DEum per gratiam *non ostendere tantummodo veritatem, verum etiam impertire charitatem; sicque docere homines, ut simul donet scire, quid agant, & agere, quod sciunt.* Ergo

per

per omnem gratiam impertitur charitas, & ipſum bonum opus. Omnis igitur gratia eſt efficax.

Reſp. Imperite objicitur iſte locus. Auguſtinus namque probat contra Pelagium, DEum non dare tantum gratiam doctrinæ, ſed etiam diffundere charitatem cordibus. Deinde non dicit, DEum, quoties & quibuſcunque dat gratiam, dare ut agant id, quod ſciunt; ſed DEum ita docere Prædeſtinatos, ſeu, ut *eos, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt*, ut agant, quod ſciunt. Nullamne idcirco Auguſtinus gratiam interiorem agnovit, niſi efficacem? Id ſane non ſequitur ex loco objecto.

Sed *inquies:* Eam duntaxat gratiam agnovit Auguſtinus, quam ex Eccleſiæ fide adverſus Pelagianos propugnabat. Atqui non aliam propugnavit, quam efficacem, quam Pelagiani negabant: Ergo. *Min. prob.* ex ipſius S. Doctoris verbis jam alias adductis ex Lib. de Grat. Chr. c. 10. *Nos eam gratiam volumus iſte* (Pelagius) *aliquando fateatur, qua .... non ſolum revelatur ſapientia, verum & amatur; nec ſolum ſuadetur omne, quod bonum eſt, verum etiam perſuadetur* &c.

Reſp. Diſt. min. Si nomine gratiæ efficacis intelligatur gratia voluntatis, & actionis, *Conc.* Si intelligatur gratia, quæ ex ſeſe certo & infallibiliter ſemper victrix & efficax eſt, *Neg. min.* Ex ipſis certe citatis Auguſtini verbis facile conjicies, inter ipſum ac Pelagium controverſiam fuiſſe, ut ſuo loco oſtendimus, de ſola gratia voluntatis, & actionis, quam Pelagius negabat eſſe neceſſariam, ratus gratiam legis ac doctrinæ ſufficere ad opus bonum. Contra vero S. Auguſtinus gratiam ſanctæ inſpirationis & excitationis, per quam voluntas ad bene agendum excitetur & adjuvetur, neceſſariam eſſe contendebat.

Si *dicas:* Gratia ſufficiens eſt adjutorium poſſibilitatis, non voluntatis & actionis. Atqui Pelagius hoc ipſum poſſibilitatis adjutorium admiſit. Ergo admiſit gratiam ſufficientem. Ergo Auguſtinus adjutorium illud impugnans, con-

tendit gratiam sufficientem rejiciendam esse, solamque efficacem admittendam.

Contra est 1*mo*. Gratiam sufficientem, quam cum Catholicis defendimus, in aliquo sensu dici posse adjutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis; in quantum nempe dat voluntati posse tantum, quia voluntas ei resistendo impedit, quo minus det etiam velle & agere: cum econtra gratia efficax sit adjutorium etiam voluntatis & actionis; quia dat voluntati non solum posse, sed ipsum etiam velle & agere, movendo illam ad volendum & agendum, & volentem ac agentem intime adjuvando.

Contra est 2*do*. Inter gratiam sufficientem Catholicorum, & adjutorium possibilitatis Pelagianorum magnum esse discrimen. Nam Pelagius per adjutorium possibilitatis, non adjutorium dans, sed adjuvans tantum posse intelligebat: volebat enim liberum arbitrium suis viribus valere ad opus salutare, adeoque non indigere gratia nisi ad facilius solum posse. Deinde adjutorium illud constituebat in lege atque doctrina forinsecus, vel etiam intrinsecus, sed per solam mentis illustrationem propositis, & sic quid prosequendum, quidve fugiendum sit duntaxat ostendentibus. Cum ejusmodi autem adjutorio a S. Augustino jure merito reprobato nihil habet commune Catholicorum gratia sufficiens, quæ non externa, sed interior est, nec tantum illustratio intellectus, sed & voluntatis inspiratio; non solum adjuvans posse, ostendendo voluntati bonum, quod facere, & malum, quod fugere debet; sed dans ipsum posse, voluntatem ægrotam corroborando, torpentem excitando, infirmam adjuvando ad bonum faciendum, & malum fugiendum, si velit.

IX. *Inst.* 2*do*. Rursus S. Doctor Lib. de Prædest. Sanct. cap. 8. *Gratia*, inquit, *quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo*

Pa-

Pater intus auditur & docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum. Ergo gratia interior semper habet effectum suum, alioquin respueretur a duro corde, & Patre intus docente, homo retineret cor lapideum; quod refutat hoc loco S. Augustinus.

Resp. Neg. cons. Neque enim ita pronuntiat S. Doctor de omni gratia interiore; sed de ea tantum, de qua locutus fuerat, quæ nempe datur *filiis promissionis*, ut credant, & quæ efficax est. Neque generatim asserit, auferri cor lapideum, quoties Pater docet; sed quando docet, & auditur ab iis, qui sunt prædestinati, de quibus hic loquitur. Statim enim addit: *Sic quippe facit filios promissionis, & vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* His porro datur gratia efficax. Cæterum haud satis sibi consulunt Janseniani ita objiciendo. Si enim omnis gratia interior datur, ut *auferatur cordis duritia*, & quoties DEus hominem *intus docet, aufert cor lapideum*, quid erit de parva illa eorum gratia, quæ non producit, nisi sterile, & imperfectum boni desiderium: an aufert etiam illa cor lapideum?

X. *Inst. 3tio.* Si gratia, quæ datur, non semper haberet effectum suum, DEus alicujus frustra misereretur; illius enim miseretur, quem per gratiam vocat ita, ut venire possit. Atqui ex S. Augustino falsum est, DEum frustra misereri: nam Lib. 1. ad Simplic. q. 2. *illud autem*, inquit, *nescio quomodo dicatur, DEum frustra misereri, nisi nos velimus; si enim DEus misereatur, etiam volumus, ad eandem quippe misericordiam pertinet, ut velimus.* Ergo.

Resp. Dist. maj. DEus frustra misereretur misericordia communi, qua omnes vocat, & omnibus de mediis salutis sufficientibus providet, *Conc.* Misericordia speciali, qua vocat Electos, ipsisque media salutis eligit, ac subministrat, *Neg. maj.* & sic *Distincta min. Neg. cons.* S. Augustinus cum ait, DEum non frustra misereri, non loquitur de quacunque DEI

misericordia, vel gratia, qua hominem vocat ad justificationem, & salutem; dicit enim vocationem ad multos pervenire, *qui non sequuntur*, & hæc vocatio est gratia interior. Nam ibidem ait, *Esau, si voluisset, & cucurrisset, perventurum fuisse DEI adjutorio, qui ei velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret;* quod intelligi non potest, nisi de vocatione, & gratia interiore. Vocatio igitur, de qua hic loquitur Augustinus, est gratia interior. Atqui hanc ipsam vocationem declarat aliquando frustrari suo effectu; quia multi vocati non sequuntur. Ergo censet S. Doctor, Deum aliquando frustra misereri, scilicet illa misericordia, qua vocat omnes, & de mediis sufficientibus ad salutem omnibus providet. Quam ob rem dicendo, DEum non frustra misereri, loquitur non de communi illa erga omnes, sed de speciali DEI misericordia erga Electos. Quod apertius adhuc eodem loco significat verbis illis: *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit congruere, ut vocantem non respuat.* Atqui vocatio ita attemperata voluntati, ut eam voluntas non respuat, est sane specialis DEI misericordia, qua vult absolute eum venire ad se, quem ita vocat. Ergo S. Augustinus hic loquitur de misericordia aut gratia non communi, & sufficiente, sed speciali & efficaci, quæ effectu suo nunquam frustratur.

XI. *Objic. 3tio.* Assertionem nostram ipsi rationi theologicæ adversari. Nam, inquiunt, gratia sufficiens nunquam habuit effectum, & nunquam habitura est. Atqui hujusmodi gratia inutilis est & perniciosa, *solummodo peccatis faciendis, majorique damnationi accersendæ serviens*, ut ait Jansenius Lib. 3. de Grat. cap. 3. qui enim gratiam ejusmodi habet, cum ea non utatur, peccat culpabilius, punieturque severius, quam si non haberet. Hinc Jansenianæ doctrinæ Defensores in Apologia 1. pro Jansenio pag. 488. sic habent. *Si le Diable avoit le pouvoir de donner quelques graces aux hommes, il y a de l'apparence, qu'il ne leur en donneroit point*

point d' autres, que la suffisante; puisque elle favorise tant le dessein, qu' il a de le damner..... Elle peut etre appellée une grace de damnation. Propterea inter Propositiones 31. quæ ex eadem Officina prodiere, & damnatæ sunt ab Alexandro VIII. hæc est *6ta*: *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: a gratia sufficiente libera nos Domine.*

Resp. 1mo. totam hanc Objectionem in Adversarios Jansenianos retorqueri posse. Nam & parva eorum gratia tendit ex se ad bonum perfectum, quod nusquam in iisdem circumstantiis obtinuit, & nusquam obtinebit. Ergo gratia hæc parva Janseniana inutilis est, & perniciosa.

Resp. 2do Neg. ant. universaliter sumptum pro omnibus circumstantiis possibilibus in hoc statu naturæ lapsæ. Quanquam enim gratia sufficiens nunquam habuit, aut habitura est effectum in iis circumstantiis, pro quibus supponitur fuisse, aut fore mere sufficiens; habuit tamen, aut habuisset, item habitura est, aut habitura esset in aliis. Eadem namque specie, & intensione gratia sic est pure sufficiens pro aliquibus circumstantiis, ut possit esse, & sit efficax pro aliis. Perperam ergo dicitur ejusmodi gratia inutilis, & perniciosa. Neque enim illud inutile est, quod ita valet ad effectum, ad quem datur, ut si velis eo medio uti, effectum illum obtineas; & quem proinde dum non obtines, tuo duntaxat vitio non obtines: quia nempe medium illud tibi oblatum respuis, eoque uti non vis. Neque etiam illa gratia est perniciosa, quia non vergit in hominis damnum, nisi quia, & quando ipse volens ac lubens illam repudiat in perniciem suam; cum posset acceptare, eique consentiendo, bene & sicut ad salutem oportet, velle & operari.

Qui vero gratiam sufficientem ita distinguunt ab efficaci, ut nusquam se sola efficax evadere possit; atque licet cum ea possit homo bene operari, nusquam tamen operetur, nisi novum, & ab in-

intrinseco efficax auxilium accesserit; ipsi viderint, quomodo se a Janseniani hujus argumenti difficultate expediant.

XII. *Inst.* Gratia sufficiens adversatur precibus Ecclesiæ. Ergo. *Ant. prob.* 1mo. quia supervacaneum est a DEO petere, quod semper omnibus saltem justis præsto adest. 2do. quia Ecclesia non postulat a DEO nudum posse, ad quod solum terminatur gratia sufficiens; sed ipsam voluntatem bonam, & actionem efflagitat.

Resp. Neg. ant. Ad prob. utramque dico, Ecclesiam eam omnem a DEO gratiam efflagitare, quæ nobis ad salutem prodesse potest. Petit imprimis ipsum posse, seu gratiam sufficientem, non quod eam non habeat, sed ut bono illius usu abundantiorem a DEO gratiam impetret, per quam efficaciter velit & operetur. Petit deinde, & præprimis voluntatem bonam, & actionem, non quod non dentur gratiæ, quibuscum vere possumus bonum velle, & agere, quamvis illud nec velimus, nec agamus, gratias illas libere repudiando; sed quia nonnisi bonum volendo, & agendo salvabimur, & ita non salvabimur sine gratiis efficacibus, quantumvis cum sufficientibus possemus salvari, & salvaremur, si vellemus his gratiis cooperari.

ASSERTIO SECUNDA.

Erronea est, ac rejicienda gratia parva, seu sufficiens in sensu Jansenii, quæ scilicet plenum, ac perfectum suum effectum non assequitur, defectu virium, & potentiæ relativæ ad præsentes subjecti circumstantias.

XIII. PRob. Ex doctrina Jansenii circa gratiam sufficientem, seu parvam necessario fluxu dimanat prima ipsius Propositio ab Ecclesia damnata. Ergo doctrina ejusmodi erronea est ac rejicienda. *Conf.* patet: Ecclesia quippe damnando propositionem illam, damnat pariter, ac rejicit, quidquid cum

cum ea necessario connexum est, aut inde irrefragabili sequela deducitur. *Antec.* vero hujus argumenti tam certum est, ut ab ipsis Jansenianis negari minime possit. Et vero vel ipse solus primæ Propositionis contextus sufficientem seu parvam Jansenii gratiam manifeste præsefert. Quid enim sibi volunt verba ista Propositionis illius: *Justis volentibus atque conantibus secundum præsentes quas habent vires, aliqua DEI præcepta sunt impossibilia?* Nisi, sunt impossibilia relative ad præsentes justorum vires: nam *secundum præsentes vires*, & relative ad præsentes vires nunquid idem omnino significat? Ecclesia igitur damnando Jansenii sensum Propositione illa expressum, contrarium declarat esse verum & orthodoxum, videlicet hunc: Justis secundum præsentes, id est, relative ad præsentes quas habent vires, DEI præcepta possibilia esse; ac consequenter in gratia sufficiente agnosci debere potentiam ad bonum, non tantum absolutam, quam Jansenius admittit, sed etiam relativam, quam negat. Hac vero agnita totum ruit ac funditus subvertitur doctrinæ Jansenianæ systema, in quo impossibile est, superiorem delectationem vinci ac superari ab inferiore: gratia quippe juxta Jansenium agit ex virtute relativa, non vero absoluta. Mirum proinde videri non debet, quod Jansenianis adeo displiceat illa, quam gratiæ sufficienti ex mente Ecclesiæ asserimus, relativa ad opus bonum potestas.

XIV. *Confirm.* Assertio iis omnibus argumentis & rationibus, quibus probatum est antea, admittendam esse in hoc statu naturæ lapsæ gratiam sufficientem.

Et inprimis allati Scripturæ textus non aliam nobis certe innuunt gratiam, quam gratiam vere ac proprie sufficientem, Atqui gratia, quæ absolutam dumtaxat & abstractam, quam Janseniani fingunt, non vero relativam ad præsentes circumstantias potestatem homini tribuit, non est gratia vere sufficiens. Ergo. *Minor* hujus argumenti propositio nullam videtur pati difficultatem, cum ipsis Jansenianis non diffitentibus, parva

ipſorum gratia ſit dumtaxat ſufficiens reſpectu immediati, debilis & infirmi alicujus effectus, quem obtinet; at reſpectu effectus ulterioris & perfecti, ipſius nempe operis boni eſt relative inſufficiens propter concupiſcentiam gradibus ſuperiorem, quem proinde effectum nunquam obtinet, niſi ulterius accedat auxilium, ſuperioris videlicet cœleſtis delectationis, præter quam nulla datur in ipſorum ſyſtemate gratia vere ac proprie ſufficiens. *Maj.* vero facile probatur ex iis, quæ dicta jam ſunt. Fruſtra namque iis Scripturæ locis invitantur peccatores ad pœnitentiam; inique objurgantur, quod oblatis gratiæ auxiliis uti noluerint, ſi per ea vires vere ac proprie ſufficientes non acceperunt.

Reponunt quidem Janſeniani, eam objurgationem iniquam non eſſe, eo quod hominis culpa contigerit, ut gratia ſit inſufficiens. Nam ideo, inquiunt, eſt inſufficiens, quia concupiſcentia eſt ſuperior. Atqui hominis culpa contigit, ut concupiſcentia eſſet ſuperior, quæ nimirum inducta eſt per peccatum originis, cujus reus eſt homo. Hinc juxta S. Auguſtinum Lib. de Corrept. & Grat. merito poteſt homo objurgari & corripi propter peccatum originale & ejus effectus: *Corripiatur*, inquit ille, *origo damnabilis.* Et paulo ſupra: *An ideo pravitas iſta in homine corripienda non eſt, quia non ejus propria eſt, qui corripitur, ſed communis eſt omnibus? imo vero corripiatur in ſingulis, quod eſt omnium.* Ergo merito objurgari homo poteſt propter inductam concupiſcentiam, & propter inſufficientiam gratiæ, quæ non niſi propter concupiſcentiam inſufficiens eſt.

At contra eſt, S. Doctorem in loco objecto loqui ſolum de non regeneratis: *non attendunt*, inquit, *ſi nondum regenerati ſunt* &c. deque iſtis dumtaxat dicit, *corripiatur origo damnabilis.* Quanquam etiam in iſtis non aſſerit præciſe, *corripiendam eſſe originem damnabilem*, quia revera iniquum eſſet, objurgare hominem propterea, quod vitioſam habeat originem;

ginem; sed ait S. Doctor, objurgandos esse homines, quod inobedientes DEO haud sibi displiceant, id est, quod nati peccatores non semetipsos oderint, nec festinent ad regenerationem per Baptismum. *Corripiatur ergo*, inquit, *origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur*. Unde patet ex mente S. Augustini, non tam culpandam esse ipsam originem, quam perseverantiam voluntariam in originis vitio: neque inde sequi id, quod volunt Adversarii, objurgari merito posse hominem seu baptizatum, seu non baptizatum, quod jam insufficiens sit gratia, quæ sufficiens esset, nisi vim ejus elideret fortior concupiscentia per peccatum originale inducta.

XV. Concilia pariter, quorum authoritate superiorem Assertionem stabilivimus, cum in adductis locis dicunt, *omnes Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, posse, si fideliter laborare voluerint, adimplere*: * *DEum, sicut cœpit opus bonum, ita perfecturum, nisi* homines *illius gratiæ defuerint*: ** *DEum impossibilia non jubere, sed jubendo monere, & facere, quod possis, & petere, quod non possis &c.* *** Hæc, inquam, dum dicunt Concilia, non aliam certe gratiam intelligunt, quam vere ac proprie sufficientem, ut patet ex conclusionibus, quas nos superius ex iis Conciliorum verbis deduximus.

Neque hic juvat oggerere, allatis postremo loco Tridentini verbis non significari, hominem justum, quando peccat, habere completam expeditamque, & relative sufficientem potentiam non peccandi; ex eo videlicet, quod Concilium geminam designet potentiam, alteram inchoatam his verbis, *DEus jubendo monet facere, quod possis*; alteram completam verbis illis, *adjuvat, ut possis*.

Contra namque est, naturalem libertatem, & habitus supernaturales, quibus instructus est homo justus, posse quidem

 dici

* Arausic. II. Can. 25. ** Trid. sess. 6. C. 13. *** C. 11.

dici potentiam quamdam inchoatam ; per hæc tamen ſola juxta doctrinam Concilii præcepta DEI non redduntur ſimpliciter & abſolute poſſibilia homini juſto , ſed inſuper ad id requiritur gratia actualis interior. Ergo Concilium dum Can. 28. declarat , homini juſtificato non eſſe impoſſibilia DEI mandata , non ſignificat , eidem tantum ineſſe potentiam inchoatam , ſed completam & relative ſufficientem; per hanc enim ſolam præceptum fit ſimpliciter poſſibile , & ſine hujusmodi potentia remanet antecedenter & ſimpliciter impoſſibile.

XVI. Patres quoque , cum de gratia ſufficiente loquuntur , non aliam agnoſcere , quam quæ vires tribuat pares ſeu relative proportionatas ad bonum hic & nunc faciendum , aut malum fugiendum , facile eſt , ex ipſiſmet eorum textibus a nobis ſupra productis demonſtrare.

Quibus unum hic adjicere liceat S. Auguſtini ex Tract. 2. in Joan. n. 8. *Noli cadere* , inquit S. Doctor, *& non tibi occidet* (lux Chriſti) *Si tu feceris caſum , ille tibi faciet occaſum: ſi autem tu ſtas , præſens eſt tibi , ſed non ſtetiſti : recordare unde cecideris , unde te dejecit , qui prior te cecidit. Dejecit enim te , non vi , non impulſu , ſed voluntate tua : ſi enim malo non conſentires , ſtares , illuminatus maneres.* Et Lib. 3. de libero arbitr. c. 16. n. 45. *Ex eo quod non accepit , nullus reus eſt : ex eo vero quod non facit, quod debet , juſte reus eſt. Debet autem , ſi accepit & voluntatem liberam & ſufficientiſſimam facultatem.*

Rurſus L. de duabus animabus cap. 12. n. 17. *Peccati reum tenere quemquam , ait, quia non fecit, quod facere non potuit , ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ.* Quibus in locis quis non videt S. Doctorem exprimere virtutem gratiæ parem ad præcepta implenda, & ſufficientem relative, imo ſufficientiſſimam ſuperandæ oppoſitæ concupiſcentiæ : niſi enim ita eſſet, voluntate ſua homo non caderet, nec malo libere conſentiret, neque juſte reus eſſet , neque voluntatem liberam, & ſuffi-

cien-

cientissimam haberet facultatem; defectu scilicet auxilii, quo hic & nunc, seu, ut sæpe jam dictum est, relative ad præsentes circumstantias tentationis & concupiscentiæ, possit legi obtemperare.

XVII. Denique huc serviunt ea rationis theologicæ momenta, quibus Assertionem primam firmavimus: illis namque ipsis pariter demonstratur, gratiæ sufficientis virtutem accommodatam esse debere, ac relative proportionatam ad opus pietatis hic & nunc exercendum. Impossibilis certe manet homini præceptorum supernaturalium observantia, nisi gratiam habeat sufficientem, non qualemcunque, sed ejusmodi, per quam illa observari & impleri possint relative ad præsentes circumstantias, in quibus homo constituitur. Præceptorum namque observatio, non absolute, non abstracte, sed hic & nunc relative urget, & obligat. Ergo pariter vires gratiæ, non tantum absolutæ, sed relativæ sint, oportet ad præceptum hic & nunc observandum. Secus enim lex non prodest, nisi ut accendatur magis cupiditas, & certa sit ejusdem prævaricatio: *lex iram operatur*, ait Apostolus ad Rom. 4. v. 15. *& ubi non est lex, nec prævaricatio.* Et cap. 7. v. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam; nisi lex diceret*: Non concupisces. *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Ergo ne lex homini noceat, necessaria est gratia, per quam non absolute tantum & abstracte, sed hic & nunc ac relative impleri & observari possit. Necessaria est insuper hæc eadem gratia ad vincendas graves tentationes, quibus incessanter & undequaque pulsamur; neque resistere valemus, nisi DEus per gratiam suam pares vincendis relative ejusmodi tentationibus vires conferat. Talem autem concedi gratiam docet Apostolus, dicens 1. Cor. 10. v. 13. *Fidelis DEus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

Ergo gratia, quam nobis DEus ad vincendas tentationes largitur, debet habere vires iis ſuperandis relativę ſufficientes, alias foret prorſus inutilis. Quid enim prodeſt homini gratia illa, quæ abſolute quidem & in aliis circumſtantiis ſat virium haberet, at in præſentibus ſatis non habet? De ejusmodi certe gratia longe meliori jure dici poteſt, quod ſit *hominibus pernicioſa . . . . ſolummodo peccatis faciendis, majorique damnationi accerſendæ ſerviens*, id quod affirmare auſus eſt Janſenius de illa gratia ſufficiente, quam ipſe refellit Lib. 3. de Grat. Chr. c. 2.

Sed inquies: Gratia non poteſt dare vires relative ſufficientes vincendæ tentationi & delectationi oppoſitæ, niſi ſit relative ſuperior; nam ſi vel inferior eſt, vel præciſe æqualis, per eam non datur ſatis virium ad vincendam oppoſitam delectationem. Atqui relative ſuperior eſſe non poteſt, quin eadem ſit efficax. Ergo.

Reſp. Neg. maj. ejusque *probat.* Nam potentia relative ſufficiens ad vincendam tentationem & delectationem terreſtrem oppoſitam, non conſiſtit in ſuperioritate, vel æqualitate unius delectationis comparate ad alteram ſecundum intenſionis gradus; ſed in virium, quas dat gratia, proportione cum illecebra delectationis terreſtris oppoſitæ. Atqui gratia, etſi gradibus intenſionis inferior, nihilominus dat vires proportionatas vincendis concupiſcentiæ illecebris. Ergo eadem dat vires relative ſufficientes &c. Id ſane de ſua parva gratia admittunt Janſeniani, utpote quæ ſecundum ipſos ſemper producit effectum aliquem, tametſi levem & imperfectum, non obſtante oppoſita, & quidem longe ſuperiore concupiſcentia. Cur igitur moleſte ferunt, a nobis in gratia ſufficiente agnoſci vires pares ſuperandæ ardentiori cupiditati?

Cæterum falſa eſt etiam *minor* propoſitio ejusdem argumentationis. Quamvis enim relative foret ſuperior gratiæ delectatio, poteſt tamen ei voluntas reſiſtere, ut Adamo contigit, quando peccavit. Tunc enim nulla aderat delectatio,

niſi

nisi cœlestis, cui tamen obsecutus non est. Voluntas nempe, cum sit facultas activa, ad agendum non indiget, nisi motivo; & posita inter duas delectationes prævias & indeliberatas, seu æquales seu inæquales, potest alterutram sequi pro arbitrio. Alioquin ex Mechanicæ legibus agi potius, quam agere dicenda esset voluntas, quod est Systema Jansenii a Catholico dogmate alienum.

Respondetur ad Objecta.

XVIII. OBjic. 1mo. Si gratia sufficiens voluntati conferre debeat vires pares, & relative proportionatas ad superandam oppositam actualem concupiscentiam, sequitur, gratiam, quæ hominibus facinorosis, excœcatis, & obduratis in malo interdum conceditur, eo perfectiorem esse debere gratia justorum, quo ardentiorem longe cupiditatem, ac multo graviores difficultates superandas habet. Atqui sequela hæc non admittitur. Ergo neque id admitti potest, unde ea deducta est.

Resp. Neg. maj. Neque enim majorem dicimus esse debere in gradibus intensionis vim gratiæ, quo majorem & ardentiorem cupiditatem debellandam habet; quin potius contendimus, minimam etiam gratiam posse resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare quodcunque peccatum. Cum igitur a nobis exigitur gratia, quæ pares relative vires homini justo conferat ad oppositam concupiscentiam superandam, & observandum præceptum, vires cum viribus, ut jam dictum est, non comparamus; sed hoc unum contendimus adversus Jansenium, vires gratiæ sufficientis, tametsi gradibus inferiores viribus oppositæ concupiscentiæ, pares tamen esse ac sufficientes huic superandæ, & implendo præcepto, si homo justus tali gratiæ auxilio, ut par est, uti voluerit. Non ergo inde sequitur gratiam facinorosorum hominum eo majorem esse de-

debere, quo major est & ardentior illorum cupiditas, & magis inveterata malitia; aut perfectiorem gratia, qua donantur justi, ut mandata DEI possint observare. Quin potius sequela hæc locum habet in Janseniano systemate: in eo namque cum duplex concurrit delectatio, cœlestis ac terrena, voluntas nusquam operatur seu bene, seu male, nisi alterutra vincat ac superet. Ergo quo major est facinorosorum cupiditas & malitia, eo majore ac intensiore opus habent gratia. Vides, qua ratione eadem in Adversarios tela recidant, quæ in nos ipsi contorquent. Cæterum esto, quod gratia sufficiens peccatoribus induratis concessa, vires non semper conferat pares ad operandam immediate conversionem, & præceptum implendum; confert tamen vires pares & sufficientes ad salutare conversionis desiderium concipiendum, & ad conversionem ipsam saltem mediate, per orationem scilicet impetrando uberius auxilium, cujus beneficio & virtute præcepti adimpletio & conversio sequatur.

XIX. *Objic. 2do.* Gratia dici potest, & est relative sufficiens, etiamsi non sit proportionata gradibus concupiscentiæ hic & nunc superandæ; modo ex se sufficiat ad debellandam generatim præsentem hujus status concupiscentiam. Atqui gratia parva Jansenii ad hoc semper ex sese sufficit; est namque remedium natura sua destinatum, atque oppositum concupiscentiæ, quamvis per accidens eam vincere non possit, cum nempe relative inferior est, quam concupiscentia, in quam impingit.

Resp. Neg. maj. Neque enim dici potest gratia sufficiens & par debellandæ cupiditati oppositæ, nisi eo modo sufficiat, quo necesse est cupiditatem a nobis debellari. Ergo cum debellanda sit cupiditas non solum generatim, prout nempe est hujus status propria, sed etiam prout hic & nunc nos ad malum sollicitat; etiam gratia debet esse sufficiens relative, non tantum ad cupiditatem oppositam generatim, sed etiam ad

cupi-

cupiditatem actualem impugnandam, quæ continuo nos pulsat ac premit. Gratia proinde parva Jansenii, quantumcunque eidem adstruatur sufficientia illa relativa ad præsentem generatim hujusce status naturæ lapsæ concupiscentiam; nec dici potest, neque est vere ac proprie, & in sensu Catholico sufficiens, nisi sufficiens etiam sit relative ad concupiscentiam subjecti præsentem, & actualem.

XX. *Objic. 3tio.* Si gratia sufficiens pares, & proportionatas vires conferret superandæ etiam superiori actuali concupiscentiæ, tunc homo cum sola hac gratia sufficeret, neque indigeret novo ex parte DEI auxilio ad vincendam illam superiorem actualem concupiscentiam. Sed hoc admitti non potest; eo ipso namque excluditur necessitas gratiæ efficacis. Ergo.

Resp. Dist. maj. Cum sola hac gratia sufficeret homo, nec novo indigeret ex parte DEI auxilio præveniente, ut vere ac relative possit vincere oppositam superiorem concupiscentiam, *Conc.* non indigeret novo auxilio cooperante, ut eam actu vincat, ac superet, *Neg. maj.* Ad concupiscentiam actu vincendam indiget in omnium sententia novo ex parte DEI auxilio gratiæ adjuvantis, operantis, & cooperantis, quæ concursus supernaturalis vices gerit; quæve propterea præter sufficientem, quæ præveniens, & excitans dicitur, semper necessaria est, ut actu vincatur concupiscentia, & opus salutare perficiatur. Utrum vero præterea opus sit nec ne gratia per se & ab intrinseco efficaci, physice, vel moraliter voluntatem ad bonum determinante, ad fidei dogma non pertinet. Neque enim hic aliud definivit Ecclesia, quam dari in statu naturæ lapsæ ejusmodi gratiam sufficientem, quæ voluntati conferat vires relative pares, & sufficientes ad superandam oppositam cupiditatem: deinde præter gratiam hanc prævenientem, necessariam quoque esse adjuvantem, quam diximus & cooperantem, ut voluntas bonum actu operetur. An vero necesse sit, gratiam illam physice, vel moraliter prædetermina-

re voluntatem ad agendum, Scholasticorum disputationi permisit, ut altera Dissertationis hujus Sectione dicemus.

Consectarium.

XXI. SI ea sola gratia vere sufficiens est, quæ non tantum absolutam, & a præsentibus circumstantiis abstractam, sed ad illas relativam confert ad opus bonum potestatem; necessario sequitur, non aliter huic gratiæ resisti, quam quod eo privetur effectu, quem relative ad actualem oppositam concupiscentiam ex voluntate, & intentione DEI hic & nunc habere potest. Unde patet secundum doctrinam Jansenii, gratiæ interiori nunquam proprie loquendo resisti. Non enim resistere potest voluntas gratiæ efficaci & victrici; quia hæc ideo tribuitur, ut ejus effectus certe, ac infallibiliter consequatur. Non etiam resistit gratiæ sufficienti, seu parvæ; quia istius duplex effectus distinguitur a Jansenianis: unus proximus, debilis, & imperfectus, quem semper assequitur, & respectu cujus ab iis dicitur efficax; alter plenus, & perfectus, quem propter oppositam superiorem concupiscentiam obtinere nunquam potest, respectu cujus proinde gratiæ sufficienti proprie non resistitur: resistere enim gratiæ nihil est aliud, quam illam eo effectu frustrari, quem habere potest, non tantum absolute, ut fingunt Janseniani, sed etiam relative. Quamvis igitur vulgata illa sententia: *si homo gratiæ sufficienti non resisteret, certissime haberet efficacem*, verissima sit apud Catholicos, qui docent, voluntatem ita gratiæ libere resistere, ut possit eidem, si voluerit, relative non resistere: ob contrariam tamen rationem hæc ipsa loquendi formula a Jansenianis usurpari solita, merito suspecta esse debet; quia in eorum sententia voluntas superiori terrena delectatione ligata, sic gratiæ parvæ & invalidæ resistit, ut ei non possit non resistere.

Et sane, ut voluntas dicatur vere, ac proprie gratiæ resiste-

ſiſtere, liberum ipſi eſſe debet, ulteriorem ejus effectum aſſequi, vel impedire. Atqui in ſyſtemate Janſeniano liberum non eſt voluntati effectum illum relative aſſequi, vel impedire. Si namque ſuperior fuerit gratia, voluntas relative perfectum illum effectum impedire non poteſt. Si econtra cupiditas ardentior & ſuperior fuerit, gratia parva ſeu inferior opus bonum perficere nequit, *propter defectum virium.* Ergo voluntas in eo ſyſtemate nunquam vere, ac proprie gratiæ reſiſtit

XXII. Ad hæc reſpondent Adverſarii 1*mo.* Hoc non obſtante dici merito poſſe, hominem reſiſtere gratiæ, quod illius concupiſcentia ſemper eidem repugnet, licet ſine victoria.

2*do* Gratiæ actuali hoc etiam ſenſu voluntatem reſiſtere; quod nempe cœleſtem illuſtrationem diſtractis alio cogitationibus rejiciat.

3*tio.* Quod voluntatis excitatio tametſi parva, majoris tamen *gratiæ provocativa foret*, ut loquitur Janſenius Lib. de Grat. Chr. c. 27. niſi voluntas DEO excitanti ac moventi reſiſteret.

Verum evaſiones ejusmodi facile refelluntur. Etenim ad 1*mum* repono: Reſiſtere gratiæ, ex recepto loquendi uſu non eſt illi ſimpliciter repugnare; ſed ipſam effectu, quem habere relative poteſt, fraudare. Alioquin gratiæ etiam efficaciſſimæ reſiſteretur, quia nunquam non impugnatur in hoc ſtatu a concupiſcentia.

Ad 2*dum.* Cum gratia hujus ſtatus non ſolum includat mentis illuſtrationem, ſed etiam motionem, & excitationem voluntatis, gratiæ actuali non reſiſtitur, ſolam illuſtrationem repellendo: neque unquam negavit Janſenius, gratiæ in hoc ſenſu reſiſti; ſed negavit reſiſti gratiæ voluntatem moventi, & excitanti.

Ad 3*tium:* Haud ſatis intelligitur, qua ratione infirma illa, & languida boni deſideria poſſint in Syſtemate Janſenii eſſe majoris gratiæ provocativa; ad hoc enim neceſſe eſt, ut oppoſitæ majoris cupiditatis reſiſtentiam relative ſupe-

rare valeant, ſaltem mediate, quantum nempe requiritur ad orandum. Atqui hoc, ſecundum Janſenium, fieri nequit, utpote qui in eodem Capite mox cit. aperte aſſerit, parvam illam gratiam, quæ producit deſideria majoris gratiæ provocativa, non ſufficere, ut homo oret; & alibi docet, vigente delectatione carnali, virtutis & honeſtatis conſiderationem prævalere nequaquam poſſe. Ergo parva illa voluntatis excitatio, ſeu infirma boni deſideria diſponere non poſſunt ad majorem gratiam in iis circumſtantiis impetrandam. Neque, ut ſæpe jam diximus, quæſtio hic eſſe poteſt, an diſponant abſolute, & abſtrahendo a præſentibus circumſtantits, quod ſolum intendiſſe videtur Janſenius; ſed relative ad præſentes circumſtantias. Neque etiam relative quomodocunque, & generatim tantum ad circumſtantias hujus ſtatus, ut fingunt nonnulli; ſed relative ad præſentes, & actuales circumſtantias, in quibus poſitus eſt homo, quem urget obligatio hic & nunc implendi alicujus præcepti. Ita proponenda, & urgenda eſt circa gratiam, cui reſiſtitur, Eccleſiæ doctrina contra Janſeniani ſyſtematis Defenſores, tum maxime cum illi verbis ad ſpeciem Catholicis errorem tegunt, & rudibus atque indoctis ſolita fraude, & æquivocatione turpiter illudunt.

CAPUT III.

Scholaſticorum Opiniones diverſæ, circa naturam, & vires gratiæ ſufficientis, expenduntur.

I. QUæ de natura, & exiſtentia gratiæ ſufficientis dicta ſunt hactenus, fidem Eccleſiæ ſpectant. De fide nempe eſt ex cenſura ſecundæ Propoſitionis Janſenii, hominem in præſenti ſtatu interiori gratiæ aliquando vere ac proprie reſiſtere. Atqui gratiæ efficaci nunquam reſiſtitur. Er-

Ergo gratia illa, cui aliquando resistitur, est gratia sufficiens. De fide quoque est ex censura primæ Propositionis, justis volentibus atque conantibus secundum præsentes quas habent vires, possibilia esse DEI mandata, & quidem possibilitate relativa, ad præsentes nimirum, in quibus constituuntur, circumstantias, seu ad præsentes eorum vires: possibilia namque definivit Ecclesia in sensu contrario Jansenii, qui impossibilia esse dixerat, non impossibilitate absoluta, & in quibuscunque circumstantiis, quæ absurda est, sed impossibilitate respectiva seu relativa ad præsentes justorum vires. Possibilia autem esse justis DEI mandata secundum præsentes eorum vires, nihil aliud est, quam gratiam, ad ea observanda necessariam, pares ac sufficientes illis vires conferre, ut relative possint observare DEI mandata, difficultates superando, ac præsentem, ut ut superiorem, vincendo concupiscentiam. De fide itaque est, in statu naturæ lapsæ dari gratias mere ac vere sufficientes, seu gratias ejusmodi, quæ suo privantur effectu, quamvis expeditam, proportionatam, & relativam ad præsentes subjecti circumstantias conferant voluntati ad opus bonum potentiam, viresque pares, & sufficientes superandæ oppositæ cupiditati. His duobus in tuto collocatis, quæ sine fidei præjudicio in quæstionem vocari non possunt, eas hic proponimus opiniones, quas Ecclesia intactas hactenus Scholæ libertati reliquit. Hæ vero omnes ad duas potissimum Classes revocantur.

II. Prima Classis eorum est, qui vim, & efficaciam gratiæ repetunt ab intrinseco, seu ex ipsa gratiæ natura. Atque inter hos priore loco veniunt Thomistæ, qui gratiam sufficientem, prout ab efficaci distinguitur, eam esse volunt, per quam confertur vera, expedita, & completa potestas agendi, quam actum primum vocant; sed ad usum hujus potestatis, seu ad ipsum actum secundum requiri contendunt ulterius auxilium ex parte DEI, quod sit se ipso efficax, & physica voluntatis præ-

determinatio ad agendum. Gratia igitur sufficiens, ex doctrina Thomistarum natura & entitate ita distinguitur ab efficaci, ut nusquam se sola efficax evadere possit; atque licet cum ea possit homo bene operari, nunquam tamen bene operatur, nisi novum illud, quod diximus, & ab intrinseco efficax auxilium accesserit.

Porro hujuscemodi sufficientis gratiæ, quæ quidem apud Thomistas idem significat, quod gratia excitans, duplex effectus distinguitur: unus proximus, debilis, & imperfectus; alter ultimus, plenus ac perfectus. Prior ille effectus vel indeliberatus est, vel deliberatus. Indeliberatum effectum, quem DEus mentes nostras illuminando & voluntates excitando producit in nobis sine nobis libere cooperantibus, a gratia sufficiente seu excitante semper obtineri, certum est apud omnes: quandoquidem illustratio illa, & excitatio sunt actus vitales, qui physice & efficienter oriuntur ab internis vitalibus principiis. Quoad actus vero & effectus ejusdem gratiæ deliberatos non idem omnium Thomistarum est sensus. Nonnulli fieri posse putant, ut mens hominis ita excœcata sit, & voluntas indurata, ut pia mentis illustratio & voluntatis excitatio in ipso ortu suo veluti præfocetur; gratia proinde sufficiens ne tenuem quidem, & inchoatum ad pietatem motum excitet in voluntate. Alii econtra existimant, gratiam sufficientem imperfectum aliquem deliberatum effectum producere, respectu cujus efficax est; respectu ulterioris vero, seu perfecti effectus, tantum sufficiens. *Auxilium, quod est sufficiens comparatione unius effectus*, ait Alvares L. 8. de auxiliis Disp. 71. N. 13. *simul est efficax comparatione alterius.* Quamvis etiam istud cum limitatione aliqua intellectum velint: gratiam videlicet sufficientem, cum effectum illum tenuem ac imperfectum producit, eum non producere, quatenus mere sufficiens est, & se sola, sed prout cum gratia adjuvante conjungitur. Gratia quippe sufficiens, & excitans præcise qua talis, dat tantum posse agere; neque ipsa physice agit

agit aut determinat, sed tantum moraliter, videlicet movendo, suadendo, & alliciendo: physice vero & efficienter agere ac determinare, solius gratiæ adjuvantis est proprium. *Sola gratia excitans*, inquit jam citatus Alvares Disp. 91. N. 14. *non prædeterminat physice liberum arbitrium ad consensum, sed id efficit gratia adjuvans, quæ gratiam physice operantem & cooperantem includit.* Unde concludit, *gratiam operantem non esse confundendam cum gratia excitante, a qua realiter distinguitur.*

Cæteri, Recentiores præsertim, gratiæ se ipsa efficacis assertores, qui physicam Thomistarum præmotionem repudiant, vimque & efficaciam gratiæ repetunt ex ipsius interna suavitate, seu delectatione victrici moraliter determinante, ii consequenter tenentur asserere, gratiam sufficientem, prout ab efficaci distinguitur, esse delectationem quamdam ac motionem cœlitus immissam, quæ tametsi vere ac proprie possit voluntatem flectere ad bonum, nusquam tamen eam flectit, nisi accedat victrix & efficax novæ gratiæ delectatio; Hæc proinde sufficiens gratia dat posse, non velle; aut si dat velle, istud adeo est invalidum ac imperfectum, ut desideria carnis contraria concupiscentis non vincat, nisi superveniente potentissima, ut ajunt, & flagrantissima charitate, a DEO inspirata, & voluntatem, non physice, sed moraliter determinante. Hujusmodi sunt inspirationes, & pia animi desideria, quæ perversam animam movent, atque excitant aliquantulum, sed illam ad conversionem non trahunt. Hinc vero ulterius arguunt Authores isti, gratiam, quæ in uno est sufficiens, in altero, in quo non est tanta carnis cum spiritu conflictatio, esse efficacem; eandemque gratiam talem esse respectu unius operis, e. g. orationis, quæ efficax non est comparate ad opera alia e. g. ad observantiam omnium præceptorum divinorum. Quamvis igitur Thomistis concorditer conjuncti sint in confessione gratiæ sufficientis,

&

& efficacis ab intrinſeco ; & conſentiant, nihil boni liberum arbitrium perficere, niſi nova gratia flectatur & determinetur ad actum : diſſentiunt tamen ab illis non ſolum in explicanda determinationis illius natura ; verum etiam in eo, quod in eadem gratia nullam gradualitatem admittant Thomiſtæ ; & gratiam, quæ in uno ſufficiens & inefficax eſt, non poſſe efficacem eſſe in altero conſtantiſſime teneant, propterea quod auxilium ſufficiens, & efficax inter ſe ſpecie differat, & natura. At iſti eandem numero delectationem, quæ in aliquibus minus excœcatis atque obduratis, e. g. in Tyriis, Sidoniisque foret efficax, & ad pœnitentiam traheret, in aliis magis cæcis & obduratis inefficacem eſſe contendunt : quin propterea derogetur gratiæ efficaci, quoniam ſi DEus talem delectationem inſpirat, qua perverſa cupiditas ſuperatur, id præſtat beneplacito voluntatis ſuæ ; iiſque, quos vult efficaciter bene agere, talem impertitur charitatem, quæ nunquam ab eorum, quantumvis duro corde reſpuitur. Ita fere ad verbum Clariſſimus e Sacro Auguſtinianorum Ordine Doctor Joannes Laurentius Berti in ſuo præſtantiſſimo Opere de *Theologicis Diſciplinis* Tom. 3. Lib. 14. C. 8. quem nunc fere ſequuntur plerique non prædeterminantes, attamen gratiæ natura ſua efficacis defenſores.

III. Altera claſſis eſt eorum, qui negant gratiam a ſe ipſa, ſeu natura ſua efficacem, ſed ab extrinſeco dumtaxat eam talem eſſe contendunt. Horum propterea alii cum Molina gratiam ſufficientem eam eſſe arbitrantur, quæ natura & virtute interna non diſtinguitur ab efficaci, ſed ejus uſus vel abuſus, ut nempe ſit efficax vel inefficax, omnino pendet a libero voluntatis arbitrio : ajunt tamen auxilium ejusmodi nunquam obtinere ſuum effectum, nunquam contingere, ut ei voluntas conſentiat; quia niſi gratia detur a DEO ex ſpeciali affectu, in iis datur circumſtantiis, in quibus prævidetur diſſenſura voluntas. Unde gratia ſufficiens, prout ab efficaci di-

distinguitur, ea est, quæ cum simpliciter & absolute posset habere, nunquam tamen habet effectum, non quod ipsi desit aliquid ex virtute intrinseca, sed quia non præparatur, neque datur a DEO ex speciali affectu, id est, in circumstantiis, in quibus eidem voluntas consensura prævidetur.

Alii cum Suario, cum gratiæ efficacitatem reponant in modo quodam congruo & illecebroso, certis quibusdam temporis, loci, & personæ præsentibus dispositionibus ita accommodato & attemperato, ut suum infallibiliter effectum obtineat; ii sufficientem gratiam, prout efficaci opponitur, eam dicere tenentur, quæ est incongrua, & simpliciter suo effectu privatur, defectu modi illius, quo sic attemperatur voluntati, ut ejus consensum efficiat. Hi propterea vulgo Congruistæ appellantur.

IV Alii denique, ut graves, quæ undique premunt, difficultates declinarent, mediam quamdam rei difficillimæ explicandæ viam excogitarunt. Gratiam nempe, de qua hic agimus, duplici sensu sufficientem dici posse existimant, proxime nimirum, vel remote: atque inter præcepta, & actiones pietatis alias distinguunt obvias & faciles, alias vero arduas, & difficiles. Ad istas quidem posteriores gratiam efficacem necessariam profitentur; ad alias vero gratiam tantum sufficientem, quæ suum aliquando effectum obtinet, & per quam opus ipsum difficile, remote & mediate perfici potest; quatenus nempe per bonum illius usum uberius a DEO impetratur auxilium, ad opus illud arduum immediate & proxime faciendum. Quo sensu intelligi debere putant vulgatum illud: *facientibus, quod in se est* (per gratiam sufficientem) *DEus non denegat gratiam* (nempe uberiorem, & efficacem. Ita fere Cl. Tournelius in Prælect. Theol. de Grat. Chr. Par. 2. quæst. 7. art. 1. Ubi insuper hanc suam opinionem ab omni novitatis invidia, & suspicione, quam eidem nonnulli creaverant, eximere, & liberare conatur, luculentis eam in

rem productis testimoniis, quibus ostendere contendit, eam sententiam in scholis omnibus, ac præsertim Sorbonica tritam, ac communem fuisse adeo, ut a duodecimo Sæculo ad hanc usque ætatem complures fuerint Theologi, qui eandem clare, & aperte docuerunt, ac constanter tuiti sunt.

Verum opinio ista, si accuratius expendatur, quoad rem nihil diversi dicere videtur a sententia Molinistarum, aut Congruistarum; nisi gratiam sufficientem ita ad facilia quædam pietatis opera immediate sufficere statuat, ut ad ardua & difficiliora gratiam per se, & natura sua efficacem requiri supponat. Hoc autem posito, tantum abest, ut qui opinionem illam tuentur Theologi, graves, quæ hinc & inde premunt difficultates declinent, ut in graviores etiam, & utrique Systemati proprias ultro incurrant.

ASSERTIO PRIMA.

Gratia sufficiens prædeterminantium, & Eorum omnium, qui adstruunt necessitatem gratiæ se ipsa efficacis, quacumque demum ratione illam exponant, est revera insufficiens; vel Theologorum illorum sententia contradictionem involvit.

V. PRob. Vel est in potestate hominis gratiam hanc sufficientem habentis, vel non est in ejus potestate sibi per bonum gratiæ illius usum accersere auxilium ulterius se ipso efficax, quod dicitur ex parte DEI simpliciter necessarium, ut voluntas agat. Si primum; ergo ad usum gratiæ sufficientis, seu ad agendum, non requiritur auxilium ulterius: nam huic ulteriori auxilio præire debet ex hypothesi bonus usus gratiæ sufficientis, per quem voluntas illud sibi accersit: ergo ad bene agendum requiritur, & non requiritur præter gratiam sufficientem auxilium se ipso efficax; in quo manifesta est contradictio. Si secundum; ergo per gratiam sufficientem

tem voluntas non habet expeditam & proximam, ſed ligatam & remotam agendi potentiam. Etenim non habet, nec poteſt ſibi accerſere unum aliquod ex parte DEI requiſitum, ut actus ponatur, ipſam ſcilicet phyſicam præmotionem. Ergo gratia illa ſufficiens non eſt re ipſa ſufficiens.

Scio reſpondere ſolidos Thomiſtas, gratiam ſufficientem ex parte potentiæ, ſeu in *actu primo*, ut vocant, habere quidquid neceſſarium eſt, ut homo poſſit agere, tametſi indigeat præmovente gratia ad *actum ſecundum*, ſeu ut actu agat; præmotio namque non afficit potentiam, ſed ipſum actum. Verum contra eſt, gratiam ſufficientem non dari tantum, ut homo poſſit agere, ſed etiam ut re ipſa agat: datur quippe, ut re ipſa obſervet mandata DEI; non, ut ea ſolum obſervare poſſit: & ideo præmiatur, aut plectitur quia mandatum obſervat, aut non obſervat, cum tamen illud obſervare poſſit. Mandatum enim & ipſius obſervantia aut tranſgreſſio non cadit ſupra potentiam, ſed ſupra ipſum actum, vel defectum illius. Ergo gratia illa non eſt vere ſufficiens, quæ non complectitur id omne, quod requiritur non ſolum ex parte potentiæ, ſed etiam ex parte actus. Talem autem eſſe gratiam ſufficientem in ſenſu Thomiſtico, quis non videt; utpote cui deeſt non ſolum ipſa phyſica præmotio, ſed & omne medium, quo gratiam illam præmoventem, & ad agendum ſimpliciter neceſſariam impetrare quis poſſit. Quid namque demum illud erit, quo mediante obtineatur auxilium phyſice prædeterminans? Num aliqua diſpoſitio ex parte hominis? Sed quænam illa? Non naturalis: quia naturæ viribus diſponi non poteſt ad id, quod eſt natura excellentius, & ſupra ipſius vires poſitum; ut fide divina certum eſt contra Pelagium. Non etiam ſupernaturalis: quia rurſus quæro, an ad diſpoſitionem iſtam ſupernaturalem habendam neceſſarium ſit auxilium prædeterminans, nec ne? Si neceſſarium non ſit; ergo ad quemlibet actum ſalutarem neceſſaria

non est physica præmotio; illa namque dispositio consistit in aliquo libero voluntatis actu, nempe orationis, contritionis, vel alio hujusmodi: constans autem est Thomistarum sententia, ad quemlibet actum realem, & positivum necessariam esse physicam præmotionem. Si vero ad dispositionem illam obtinendam necessarium dicatur auxilium præmovens, rursus alia dispositio necessaria erit ad hoc ipsum auxilium, & sic ultro, non sine absurdo processu in infinitum. Vel certe devenietur tandem ad auxilium aliquod prædeterminans, quod sibi accersere in potestate hominis non sit. Ergo cum absque auxilio ejusmodi nulla sit in homine ad opus bonum supernaturale expedita facultas, impossibilis ipsi erit quiscunque actus salutaris, impossibilia DEI mandata. An vero hæc fatebuntur Thomistæ?

Respondent, semper esse in potestate hominis auxilium illud prædeterminans a DEO impetrare; si nempe gratiæ sufficienti non resistat, sed illa bene utatur.

Verum instauratur quæstio, quid sit in sententia Thomistarum bonus ille gratiæ sufficientis usus? quid illa non resistentia? An quid positivum? an negativum? Positivum quid esse fateri non audent, stante eorum doctrina, ad omnem actum positivum requiri physicam præmotionem, de qua tota recurret quæstio, quomodo illam impetrare quis possit, ut non resistat gratiæ sufficienti? Igitur bonus ille gratiæ sufficientis usus, & illa non resistentia erit aliquid negativum. Istud sane admittere non dubitant Thomistarum nonnulli: inter quos Cabrera Disp. 2. par. 11. n. 464. & seq. *auxilium efficax*, inquit, *supponit dispositionem negativam voluntatis, quam ex se inchoat voluntas.* Et Disp. 17. par. 2. n. 81. *Potest dici quidam virtualis consensus, quatenus voluntas non resistit, cum resistere possit: sed talis consensus non est positivus, & efficax actus, nec dicit positivum conatum, quem DEus expectet, cum sit negatio resistentiæ.* Per ejus-

ejusmodi igitur non resistentiam putant illi, posse hominem impetrare, sibique accersere gratiam physice præmoventem.

Verum ista philosophandi ratio ita obscura, & implicita videtur, ut vix intelligi, & explicari queat, quomodo illa resistentiæ negatio haberi possit, sine positivo actu voluntatis. Quid enim aliud concipitur per non resistentiam gratiæ, quam consensus, qui datur gratiæ? Non resistere enim est consentire, facilem se præbere gratiæ motioni, & excitationi, quod in rei veritate positivum aliquid involvit. Etenim gratia sufficiens excitans est indeliberata quædam voluntatis motio, amor quidam indeliberatus; negatio vero libera dissensus, seu resistentiæ in eo reposita concipitur, quod homo, postquam in se animadvertit motum, aut amorem hunc, eum non comprimat, nec aliorsum divertat, sed ab eo se rapi patiatur. Atqui id ipsum est agere, dicitque consensum, non tantum virtualem, ut ait Cabrera, sed positivum & actualem. Motio namque illa voluntatis, & amor primum indeliberatus, qui accedente rationis advertentia continuari permittitur, cum reprimi, aut restingui posset, hoc ipso præcise est motus & amor deliberatus. Atqui motus, & amor deliberatus est actus voluntatis maxime positivus; est quippe actus liber, quo quis vult non resistere. Ergo omissio ista libera, seu libera negatio resistentiæ, aut dissensus gratiæ excitanti est actus voluntatis maxime positivus. Ergo si ad illam negationem dissensus non requiritur prædeterminatio physica, neque ad alium quemcunque positivum voluntatis actum supernaturalem eadem requiretur. Igitur hac ratione nihilo melius explicatur, quomodo voluntas possit sibi accersere gratiam physice prædeterminantem; vel hanc ad alios etiam supernaturales actus non requiri fateantur Adversarii, est necesse.

VI. Hæc ipsa rationum momenta, quæ nunc protulimus adversus gratiam sufficientem in sensu Thomistico, pariter pugnant contra gratiam sufficientem, quæ nunquam effectum

obtinet, nisi accedat victrix, & efficax novæ gratiæ moraliter determinantis delectatio. Etenim substituta dumtaxat motione morali locum Physicæ, ac Thomisticæ prædeterminationis iisdem omnino utraque subjacet difficultatibus: nec magis in una, quam in altera dilucide explicatur, unde fiat, ut gratia sufficiens, quæ semper effectum plenum, ac perfectum obtinere potest, cum tamen nunquam obtineat sine novo auxilio, aut physice, aut moraliter determinante. Unde namque istud? An ex natura ipsius gratiæ? An ex DEI voluntate? An ex solo voluntatis creatæ vitio? Quocunque se vertant, premunt angustiæ utrique sententiæ communes.

Illud vero posteriori huic gratiæ sufficientis speciei est proprium, quod non sufficienter distare videatur ab ea, quam Jansenius parvam appellat. Commune certe est utriusque principium, delectatio scilicet victrix, & relative superior. Jansenius in parva sua gratia de se, & absolute spectata præcisis subjecti circumstantiis, agnoscit perfectissimam, & sufficientissimam ad opus bonum potentiam; at vero in eadem spectata relative ad majorem concupiscentiam nullas agnoscit vires pares, & proportionatas, nullam potentiam relative sufficientem ad vincendam illam majorem concupiscentiam. Hoc ipsum declarant sufficientis illius, quam diximus, gratiæ assertores, ut patet ex adducta ipsorum explicatione: neque aliud certe dicere possunt, si cohærenter loqui, ac sentire velint in suo de delectatione victrice systemate. Jansenius parvam illam gratiam distinguit quidem a victrice, ait nihilominus illam efficacem esse alicujus effectus saltem inchoati, & imperfecti. An non & hoc ipsum fatentur authores illi, cum asserunt, gratiam sufficientem aliquem semper effectum producere, nempe pium animi motum, & desiderium, bonamque voluntatem, sed adeo invalidam, ac imperfectam, ut desideria carnis contraria concupiscentis non vincat, nisi superveniente flagrantissima, ac potentissima charitate? Gratia porro illa hoc modo

suffi-

ſufficiens, quæ nempe invalida eſt, ut contrariam concupiſcentiam vincere ſe ſola poſſit, & quæ ſemper conjuncta eſt cum impotentia ad bonum, proveniente ex defectu ſuperioris delectationis, quomodo dici poterit vere & relative ſufficiens; & non potius in rei veritate inſufficiens? Id ſane nos ignorare fatemur ingenue. Abſit tamen, ut propterea in erroris ſuſpicionem adducamus eam opinionem, quam Sedes Romana nulla hactenus cenſura notavit. Theologos dumtaxat illos, de quibus hic loquimur, impenſe rogamus, ut hæc ſerio expendant, videantque, an gratia ſufficiens Moliniſtarum, aut Congruiſtarum, cæterorumque, qui gratiam natura ſua efficacem repudiant, potiore ab ipſis jure ſugillari mereatur.

ASSERTIO SECUNDA.

Admittenda eſt gratia ſufficiens, quæ ita proxime, & immediate ſufficiat, ut ſi effectu ſuo fruſtretur, id refundi non debeat in ipſam gratiam, aut in ejus largitorem DEum, ſed in ſolam voluntatem humanam.

VII. PRob. ex Scriptura, in qua inefficacia gratiæ non DEO, ſed homini; non gratiæ defectui, ſed humanæ libertatis vitio tribuitur. Sic Act. 7. dicitur: *Dura cervice, & incircumciſis cordibus vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Spiritui Sancto reſiſtere eſt internæ ipſius vocationi non conſentire. Ergo talis reſiſtentia tantum abeſt, ut poſſit ipſi gratiæ, aut Spiritui Sancto ejus authori attribui, ut potius ſit illi ſumme injurioſa atque contraria. Vocatio autem ſeu gratia ſufficiens non fruſtratur ſuo effectu, ſeu non ſit inefficax, niſi per hanc reſiſtentiam. Ergo inefficacia gratiæ nullo modo refundi poteſt in gratiam, aut in ejus largitorem Deum. Idem oſtenditur ex Matth. C. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti.* Et Iſai. C. 5. *Quid amplius facere* de-

debui vineæ meæ, & non feci. Ubi DEus Judæorum infidelitatem ac perficaciam redarguit fub metaphora gallinæ pullos fuos fub alas congregantis, & vineæ fructum ferentis; quod nempe congregari noluerint, nec eum fructum fecerint, quem cum accepta gratia facere potuiffent. Porro fi DEus ipfe effet author inefficaciæ auxilii, dicere non poterat: *Quoties congregare volui. Quid ultra facere debui?* Neque Judæi merito reprehendendi erant, qui ejusmodi gratiam accepiffent, quæ ad fructum faciendum de fe inefficax ac infufficiens fuiffet. Hoc ipfum probant verba illa Ofeæ 13. *Perditio tua Ifrael ex te, tantummodo in me auxilium tuum.* Nam perditio hominis in eo maxime pofita eft, quod gratiam DEI evacuat, ejus auxilio non utendo, quod ipfum eft illud inefficax reddere. Ergo hæc inefficacia ab hominis voluntate eft, non a DEO, a quo folum auxilium profluit; inefficacia autem non eft auxilium, fed potius dici poffet defectus auxilii, fi a Deo proveniret. Hoc denique confirmant omnia illa Scripturæ Conciliorum, & SS. Patrum teftimonia, quæ fupra adduximus, ad probandum adverfus Novatores, in hoc ftatu naturæ lapfæ admitti debere gratiam vere ac proprie prie fufficientem.

VIII. *Confirmatur Affertio* ratione theologica. Reddere vacuam effectu DEI vocationem in his, quæ funt ad falutem neceffaria, feu quando nos vocat ad implenda præcepta, non fit fine peccato, aut fine averfione hominis a DEO. Sed peccatum & averfio hominis a DEO non poteft DEO tanquam authori tribui. Ergo neque inefficacia fufficientis gratiæ poterit illi tribui. *Conf.* evidens eft. *Maj.* etiam patet: quia auxilium fufficiens non fit inefficax, nifi non cooperando illi. Sed qui non cooperatur, qui refiftit, qui non refpondet vocationi in materia neceffaria vel præcepta, eo ipfo non implet præceptum. Ergo illa non cooperatio feu refiftentia non fit fine gravi culpa. Sicut ergo gravis culpa non poteft DEO im-

putari, ita nec inefficacia auxilii. Unde merito dixit Augustinus lib. 2. de peccat. mer. C. 5. *Si a DEO avertimur, nostrum est, & tunc secundum carnem sapimus.* Adde, quod non solum in materia præcepti, sed etiam in materia consilii resistere Divinæ inspirationi, illamque inefficacem reddere, nunquam sit ex DEO, sed ex homine. Ratio est, quia licet illa resistentia liberi arbitrii, per quam tale auxilium redditur inefficax, interdum non sit peccatum, semper est tamen defectus quidam, & imperfectio virtutis, cujus proinde DEus, in quo est omnis perfectionis plenitudo, causa esse non potest. Accedit, quod si vocatio est vere sufficiens, eo ipso conferat homini, & in ejus potestate constituat quidquid necessarium est ad efficiendum actum, ad quem tale auxilium dicitur sufficiens. Ergo fieri nequit, ut per DEum ipsum stet, quominus talem actum efficiat, quia hoc aperte pugnat cum sufficientia auxilii ex parte DEI. Atque hæ rationes concludunt universim, & in quacunque materia, non posse inefficaciam auxilii, alioquin sufficientis ex parte DEI, ipsius auxilii naturæ, aut DEO tale auxilium largienti attribui.

Restat igitur, ut dicamus, solum hominem, & infirmam ipsius voluntatem propriam esse causam inefficaciæ sufficientis auxilii. Nulla quippe causa creata, non Dæmon, non appetitus inferior, non hominis suasio, aut alia similis, potest homini necessitatem imponere, ut non respondeat vocationi seu gratiæ, quando illa vere sufficiens est, ut supponitur. Ergo ex sola extrinseca libertate hominis recipientis oritur ille defectus. Hoc evidentius adhuc probat ipsa ratio sufficientiæ auxilii. Nam si homini datur auxilium vere sufficiens ex parte DEI, quale a nobis explicatum est, per nullam causam extrinsecam poterit efficaciter impediri; quia licet gravis forsan pulset tentatio, concupiscentia alliciat &c. si auxilium DEI eo tempore, & in ea opportunitate, in qua datur, est vere sufficiens, etiam potens re ipsa erit ad

vincendam tentationem, superandam concupiscentiam &c. Ergo quod homo succumbat, & inefficax reddat tale auxilium, illi soli tribuendum est. Et hoc satis confirmant allata testimonia; quibus addi potest egregia Augustini ea de re sententia L. 3. de lib. arb. C. 16. dicentis: *Ex eo quod non accepit, nullus est reus; ex eo vero quod non facit, quod debet, juste reus est: debet autem, si accepit & voluntatem liberam, & sufficientissimam facultatem.* Unde infert: *Dum non facit quisquis quod debet, nulla culpa est Conditoris.* Duo igitur requirit Augustinus, ut aliquid homini imputetur; scilicet voluntatem liberam, & auxilium sufficiens: hæc autem supponuntur in homine. Ergo cum impeditur auxilii sufficientis effectus, id soli homini imputandum est.

Respondetur ad Objecta.

IX. OBjic. *1mo.* Quantumvis auxilium sit proxime, & immediate sufficiens, nihilominus spectatum, qua præcise & mere sufficiens, de se, & ex intrinseca sui limitatione est inefficax, nisi illi addatur aliud majus auxilium, a quo efficaciam accipiat. Ergo auxilii sufficientis inefficacia refundi debet partim in naturam auxilii sufficientis, quatenus ex se illam habet, nec dat facere, sed tantum posse; partim in ipsum DEum, saltem negative, & indirecte, quatenus nempe DEus ex se non vult, quia non tenetur illud peculiare auxilium præstare, sine quo auxilium sufficiens effectum consequi nunquam potest. *Prob. ant.* a contrario: Auxilium efficax de se & natura sua est efficax, & necessarium ad operandum. Ergo auxilium sufficiens de se est inefficax, ut illum assequatur effectum. *Prob. cons.* Auxilium sufficiens hic sumitur ut præcisum & separatum re ipsa ab efficaci. Ergo sic solitarie sumptum, & ut mere ac pure sufficiens de se est inefficax, quia deest illi auxilium necessarium ad efficaciam.

Resp.

Resp. Neg. ant. Adprob. Dato etiam, non concesso, auxilium aliquod de se efficax necessarium esse ad operandum; ad salvandam tamen rationem auxilii vere sufficientis, necesse est, ut sit in potestate hominis operari actu cum suo auxilio sufficiente, ac proinde habere omnia requisita ad efficaciam, seu efficientiam talis auxilii; quia si hoc totum non sit in potestate hominis, omissio operationis eidem attribui nequaquam potest. Unde ad id, quod ad probandam ultimam *conseq.* additum est, dico, separationem illam aut abstractionem auxilii sufficientis ab efficaci, non esse ex natura auxilii sufficientis, sed ex libertate voluntatis, cui ejusmodi auxilium conceditur; & ideo non sequi, quod auxilium sit de se inefficax, sed tantum, quod actu sit inefficax: hanc proinde inefficaciam neque in ipsius auxilii naturam, neque in DEum ejusdem largitorem ulla ratione refundi posse. An vero hæc responsio cohæreat cum auxilio prædeterminante, aut quocunque alio per se efficaci, videant auxilii illius defensores; nam si non cohæret, profecto negandum potius est tale auxilium de se efficax, quam admittendum auxilium de se inefficax.

X. *Objic. 2do.* Etiam in adverso systemate, videlicet gratiæ ab extrinseco efficacis, aut inefficacis, auxilii mere sufficientis inefficacia videtur in solum DEum refundi posse. Ergo ex hoc saltem capite rejici non debet auxilium de se inefficax. *Prob. antec.* In eo systemate licet auxilium efficax non sit ex se tale, sed ejus efficacia pendeat a certis circumstantiis, in quibus datur, aut in congrua quadam vocatione consistat; nihilominus soli DEO tribuendum est, quod in circumstantiis illis auxilium non detur, seu quod homo congruam illam vocationem non recipiat, ac subinde quod ejus vocatio sit tantum sufficiens & inefficax. Ergo. *Ant.* rursus *prob.* Cui DEus præbet primam vocationem congruam, sua sola voluntate præbet, ac donat, non enim potest homo illam mereri;

 &

& cui illam non donat, etiam ſua voluntate non donat. Atqui eo ipſo eſt cauſa inefficaciæ auxilii. Ergo. *Prob. maj.* ex duplici capite : 1*mo* quia cum vocatio antecedat libertatem hominis, non poteſt homo eſſe in cauſa, quod talis, vel talis ſit. 2*do* quia illa diſtributio vocationum & gratiarum provenit ex ſola diſpoſitione Divinæ providentiæ : nam Deus quoſdam ſola ſua voluntate præelegit efficaciter ad fidem, ad pœnitentiam, ad gloriam ; alios non elegit, & ideo prioribus dat vocationem, quæ in iis effectum obtineat ; poſterioribus autem dat vocationem, quæ nunquam habeat effectum. Ergo tam efficacia vocationis & gratiæ, quam ejus inefficacia in DEum tanquam præcipuam cauſam refundi debet.

Reſp. Neg. ant. cum tota ſua probatione. Licet enim vocatio congrua ſit neceſſaria ad efficaciam auxilii ; illa tamen congruitas re ipſa non eſt antecedens, ſeu præveniens uſum libertatis creatæ, ſed eſt conſequens & ab hominis arbitrio pendet. Et ideo quod vocatio non ſit congrua in his, qui auxilium mere ſufficiens recipiunt, cauſa eſt in ipſis ; poſſent enim facere, ut vocatio eſſet congrua, ſi vellent eidem cooperari, prout revera poſſent. Unde accurate diſtinguendum eſt inter hæc duo : in hominis poteſtate eſt facere, ut DEus ipſi tribuat vocationem, quam prævidet futuram congruam ; & in hominis poteſtate eſt facere, ut vocatio ſufficiens, quæ illi datur, ſit congrua. Poſterius hoc dicimus eſſe in poteſtate hominis, idque ſufficere, ac neceſſarium eſſe, ut auxilium ſit vere ſufficiens. Primum autem non eſt in hominis poteſtate, ſed in ſola Divinæ voluntatis libera diſpoſitione.

Ad id ergo, quod in ulteriorem argumenti hujus probationem Objectioni adjectum eſt, ultro quidem concedimus, illi, cui DEus donat primam vocationem congruam, eam ſua miſericordia & libera voluntate donare ; & cui dat quam prævidet futuram incongruam, etiam pro ſuo arbitrio illam dare : ſed inde nequaquam ſequi conten-

ten-

tendimus, DEum esse causam inefficacis vocationis, quia ex parte sua potius vellet talem vocationem esse congruam; prævidet tamen non esse talem futuram ex hominis libertate, idque permittit. Tota igitur illa argumentatio procedit ex verborum æquivocatione, quæ tollitur per distinctionem inter liberam distributionem gratiæ, quam fatemur esse ex DEO, & causam unde gratia habet, quod sit incongrua, atque adeo inefficax, quæ non est ex DEO.

XI. *Objic.* 3*tio* ex S. Augustino, qui in Quæst. 2. ad Simplic. ea Christi verba expendens, *Multi sunt vocati, pauci vero electi &c.* ait: *Ut, quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia omnes non uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei &c.* Et paulo post (quod maxime ad præsentem rem pertinet) de non electis subjungit: *Ad alios autem vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit, qua moveri non possent, ut eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi &c.* Quo loco S. Doctor utrumque videtur Divinæ voluntati perinde attribuere, nimirum vel efficaciter, vel inefficaciter vocare; idque argumentum fere usque ad quæstionis finem prosequitur.

Et lib. de Prædest. Sanct. c. 8. *DEus ita docet filios promissionis, id est, electos* .... alios vero non ita docet. *Cur*, inquit, *non omnes docet, ut veniant ad Christum, nisi quia omnes, quos docet, misericordia docet; quos autem non docet, judicio non docet, quoniam cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Ergo ex DEI ordinatione provenit gratiæ inefficacia in his, qui per illam non moventur. Imo, quod clarius adhuc est, indicat inferius, aliquos tantum exterius vocari, & ideo inefficaciter vocari, quia DEus internam iis gratiam non præbet. *Cum igitur*, ait, *Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt; sed qui credunt, Prædicatore forinsecus insonante, intus a Patre audiunt,*

diunt, atque discunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, nec discunt. Ergo hinc habet vocatio quod sit inefficax, ex DEO nimirum internum auxilium negante.

Denique lib. de bon. persev. C. 14. ubi de Tyriis & Sidoniis, *Relicti sunt*, inquit, (utique in massa perditionis) *qui etiam credere potuissent, si mira illa Christi signa vidissent; sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, erat negatum.* Ergo ideo non crediderunt, quia eis ut crederent datum non erat. Ergo sicut ex libera DEI dispositione provenit, ut qui electi sunt, gratiam habeant efficacem; ita eidem Divinæ dispositioni tribuendum est, quod in aliis non electis vocatio sit tantum sufficiens, & non efficax.

Resp. ad primum locum August. ex *Quæst. 2. ad Simplic.* ibidem S. Doctorem loqui de distributione vocationis congruæ & incongruæ, eamque referre in Divinam voluntatem, & liberam hominis electionem, quod verum est modo supra declarato. Et huic sensui congruunt cætera, quæ eodem loco disputat. Cum autem dicit, ad quosdam pervenire vocationem, quæ talis est, qua moveri non possent, qui eidem capiendæ non reperiuntur idonei; id secundum præscientiam Divinam dictum est, non secundum intrinsecam auxilii incongruitatem, nec secundum intrinsecam voluntatis impotentiam operandi cum tali auxilio. Nam revera simpliciter, &, ut ajunt, *in sensu diviso*, potuissent sic vocati venire, & vocationi sese accomodare cum gratia DEI cooperante, quæ eis præsto fuisset, si per eos non stetisset: quia tamen DEus talem vocationem illis hominibus dare voluit, præsciens illos non fuisse consensuros vocationi, ideo dicitur illis data vocatio, qua *in sensu composito* moveri non possent, seu, qua ita possent, ut de facto non essent illa potestate bene usuri.

Ean-

Eandem interpretationem patitur alter locus ex lib. *de prædest. sanct.* Ibi namque Augustinus non dicit, DEum non omnes, quos docet, ita docere, ut possint venire ad Christum; sed dicit, non omnes ita docere, ut veniant, quod verissimum est, licet primum sit falsum absolute & *in sensu diviso* loquendo, ut paulo ante monuimus. Dicit ergo, Deum, cum posset omnes ita docere, ut veniant, id est, efficaciter, nolle id facere; idque unum esse ex occultis mysteriis DEI, cujus & misericordia in quibusdam, & in aliis judicium ostenditur. Unde cum ait, *quos autem non docet, judicio non docet*, intelligendus est, eos non ita docere ut veniant; nam alio quidem modo etiam eos docet sufficienter, ut venire possint, & veniant, si velint. Cur autem eos non doceat ita, ut veniant, judicium omnino est, seu mysterium: ex quo tamen non sequitur, inefficaciam talis doctrinæ ex Dei voluntate provenire, sed ex ejus tantum permissione. Et simili modo limitandum est, quod inferius subjungit Augustinus, cum Prædicatore insonante aliqui non credunt, eos foris audire, intus non audire, nec discere, id est, non ita interius audire, ut discant; nam quod interius etiam aliquo modo audiant, dubitari non potest, secus enim omni gratia interiore etiam mere sufficiente destituti essent.

Ad tertium denique eadem cum proportione est responsio. *Relicti sunt, qui etiam credere potuissent - - - Sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, erat negatum*, id est, non erat eis datum credere secundum prædestinationem divinam; hic enim usitatus est Augustino loquendi modus. Supponit autem, efficacia auxilia ad exequenda media prædestinationis ab electione divina descendere; & ideo ait, quos Deus non elegit ad salutem, vel ad fidem, etiam non dedisse eis, unde crederent; non quod eis negaverit, unde possint credere, aut quod aliquid ex parte sua dare

dare omiserit, ratione cujus non sunt usi illa potestate, nec crediderunt: sed quia negavit illis, vel dare noluit etiam vocationem, qua defacto crederent, quam ipse non ignorabat, & dare potuisset.

Est autem animadvertendum, Deum, cum ab æterno decrevit quibusdam dare vocationes, quas prævidit futuras congruas & efficaces, aliis vero quas prævidit futuras inefficaces; aliter voluisse unum, quam alium: nam vocationes congruas directe voluit & ordinavit, quatenus vero incongruæ sunt, non illas voluit, sed tantum permisit. Neque enim malum velle potest, nec occasionem ulli præbere, ut in vacuum gratiam Dei recipiat; potest tamen contingentem causarum cursum permittere, quia nec tenetur earum ordinem immutare, nec abundantiora auxilia præbere, quam necessaria sint. Sed nec debuit auxilia sufficientia denegare his, quos videbat male iis esse usuros; quia illa sunt necessaria ad liberum voluntatis usum, & ne salutis defectus ejusmodi hominum posset Deo imputari. Itaque distributio illa auxiliorum in quibusdam ostendit singularem Dei benevolentiam, in aliis justitiam, in utrisque vero mirabilem providentiam. Hinc, licet verum sit, Deum, cui non donat auxilium efficax, libera voluntate non dare, non inde tamen sequitur, Deum esse causam, cur auxilium sit inefficax; sed solum sequitur, prævidisse Deum, ex hominis voluntate futurum inefficax: voluisse nihilominus illud dare, permittendo ejus inefficaciam, & noluisse aliud dare, quod præsciebat futurum efficax; quæ sunt inscrutabilia Dei judicia. Verum de hoc argumento plenius infra dicendum nobis erit.

SE-

SECTIO SECUNDA.

DE

GRATIA EFFICACI.

UT ante omnia quæstionis statum, ac terminos, remota verborum ambiguitate, dilucide exponamus, observandum est, gratiam generatim efficacem duobus modis dici posse. Uno late, & in *actu primo*, in quantum apta est ex se consensum voluntatis simul cum ipsa efficere, nisi pravitas illius obstet; quo sensu quælibet gratia sufficiens, etiam ea, cui resistitur, dici potest efficax; quia ex sese apta & idonea est ad illum voluntatis consensum exprimendum, quamvis re ipsa ob ejus resistentiam non exprimat. Altero stricte, & in *actu secundo*, prout non solum potest elicere consensum voluntatis nostræ, sed etiam illum reipsa & quidem certo ac infallibiliter elicit; in quo potissimum gratiam sufficientem ab efficaci distingui jam supra diximus.

Admittendam esse gratiam vere ac proprie efficacem, quæ nempe certo ac infallibiliter det velle & operari, certum ac indubitatum est omnibus. Quis enim in dubium revocare ausit, Deum habere *humanorum cordium, quo placuerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem*, ut loquitur S. Augustinus lib. de Corrept. & Gr. c. 14. *Deo volenti salvum facere nullum hominum resistere arbitrium*, ut idem ait S. Doctor eodem loco; Deum gratiam habere, *quæ a nullo duro corde respuitur; quia ideo tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Id sane nobis Deus ipse testatum reliquit apud Ezech. 36. v. 26. & 27. verbis illis: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Habet ergo Deus in thesauris misericordiæ

ſuæ gratias , per quas poſſit etiam maxime rebelles ad ſe compellere voluntates ; gratias , quæ a nullo duro corde reſpuuntur , quibus nullum reſiſtit liberum hominis arbitrium , aut quod idem eſt , gratias , quæ infallibilem connexionem habeant cum effectu , propter quem dantur , propterea quod abſolute Deus earum effectum velit , & voluntati Divinæ nihil omnino ſit , quod reſiſtat.

Quam autem id certum & indubitatum eſt , tam incertum & explicatu difficile , unde repetenda ſit gratiæ virtus & efficacia , ſeu infallibilis illa connexio cum voluntatis conſenſu , ſalva ipſius libertate. *Quæſtio iſta* , inquit ſtrenuus gratiæ vindex Auguſtinus lib. de Gr. Chr. c. 47. *Ubi de arbitrio voluntatis , & Dei gratia diſputatur , ita eſt ad diſcernendum difficilis , ut quando defenditur liberum arbitrium , negari Dei gratia videatur ; quando autem aſſeritur Dei gratia , liberum arbitrium putetur auferri.* Et lib. 2. de Peccat. meritis, & remiſſ. c. 18. dicit ſe ipſum in hac quæſtione *vehementer anguſtari , ne ſic defendat gratiam , ut liberum arbitrium auferre videatur ; vel ſic liberum aſſerat arbitrium , ut ingratus Dei gratiæ judicetur.* Creſcit ac mire implicatur quæſtionis obſcuritas ex ipſis concertationibus atque diſſidiis Theologorum. Media ſiquidem via incedendum eſt inter duos extreme ſibi oppoſitos hæreticorum errores , quin ad dextram vel ſiniſtram declinetur ; Pelagianorum nempe , qui libero arbitrio nimium deferentes gratiæ divinæ detraxerunt , & Lutheranorum ac Calvinianorum , qui gratiam ſic ſtatuerunt , ut libero arbitrio locum non relinquerent : atque ita de utroque differendum, ut inconcuſſum ſtet iſtud fidei dogma : videlicet, ſumme potentem eſſe vim gratiæ cœleſtis ad inclinanda , quo Deus voluerit, hominum corda ; ſub ea tamen dominatrice liberam ſemper remanere hominis voluntatem , ut ipſi obſequatur, vel reſiſtat. Hinc omnis Catholicos inter Doctores diſſidiorum origo, quod ſalva fidei veritate abditiſſimum iſtud Myſterium

rium, divinæ nimirum gratiæ cum humana libertate concordiam pro suo quisque modulo exponere & elucidare satagat. Quamvis autem complures ea de re sint diversæ ac discrepantes ipsorum sententiæ; ad alterutram tamen classem, cujus supra, ubi de gratia sufficiente, meminimus, omnes facile revocari possunt.

Prior classis est eorum, qui infallibilem ex sese & essentialem esse contendunt gratiæ efficacis cum suo effectu connexionem, independenter a prævíso per scientiam conditionatorum futuro voluntatis consensu. Quo numero, ut diximus, veniunt Thomistæ omnes, & quotquot se Augustinianos dicunt, aut quocunque alio nomine gratiæ natura sua efficacis assertores.

Altera vero eorum, qui negant essentialem ejusmodi gratiæ efficacis cum suo effectu connexionem; atque adeo gratiam non ex sese & natura sua, sed ab extrinseco efficacem esse contendunt. Cum enim liberum sit voluntati gratiæ resistere, seu dissentire, & denegando consensum eam reddere inefficacem, infallibilitas & certitudo efficacis gratiæ, juxta illos, petitur ex scientia conditionatorum, per quam Deus certo novit, quod futurum est.

Habet unaquæque ex his opinionibus suos in Scholis Catholicis defensores, nec cuiquam fas est stylo censorio aliquam ex illis configere. Nos eas propterea moderate ac sobrie, ut Theologos decet, expendemus, & absque cujusquam invidia, aut contemptu, sed illæso vinculo charitatis & pacis, quod illibatum esse debet inter eos, quos Mater Ecclesia sinu suo complectitur, quid de unaquaque sentiendum, quæve cæteris videatur nobis præferenda, aperte indicabimus, postquam more nostro hæreticorum circa gratiæ efficaciam errores refutaverimus.

CAPUT I.

DE

Gratiæ efficacia quid certum sit ex principiis fidei Catholicæ?

I. PRimi, qui Semipelagianismum declinare volentes in alterum extremum impegerunt, fuere *Prædestinatiani*, sic dicti, quod Prædestinationem admitterent, sed talem, ut nullum in homine libero arbitrio locum relinquerent, omnia ut fuissent a Deo statuta, necessario sic eventura dicentes, ut hominem inevitabiliter secum raperent, omni eidem aliter agendi dempta potestate.

Sunt, qui hæreticos istos nunquam revera extitisse autumant; sed hoc nomine per contemptum a Semipelagianis traductos, ac insimulatos fuisse D. Augustini discipulos. Ita Jansenius *de Hæresi Pelag.* l. 8. c. 23. quem sequuntur Usserius, Cabassutius, Contensorius. Alii vero hæresim hanc revera fuisse sentiunt ab Adrumetini Monasterii Monachis primum ortam, ac per Gallias grassantem a Prospero & Hilario impugnatam, implorata etiam D. Augustini ope, quibus ille morem gesserit, editis contra Prædestinatianos libris de *Prædestinat. Sanct.* & *de dono persever.* Deinde vero Augustino jam vita functo a Lucidio quodam Presbytero circa annum 475. infeliciter revocatam, & auctam, duobus in Conciliis iisdem temporibus habitis, Arelatensi nimirum, & Lugdunensi proscriptam; rursus Sæculo IX. a Gotteschalco, viro natione Germano, professione Monacho, recoctam, a duobus aliis Conciliis, Moguntino scilicet, & Carisiaco damnatam fuisse.

Inter hanc utramque opinionem medius occurrere videtur Cardin. Norisius in sua *Hist. Pelag.* l. 2. c. 15. ubi docet, hæ-

hæresim Prædestinatianam non omnino fictam & commentitiam fuisse, sed veram, a paucis tamen, & ignobilibus viris propugnatam; eam proinde nec in Monasterio Adrumetino ortam, nec a Prospero & Hilario exagitatam fuisse. Ea de re videri possunt, præter Norisium, Sirmondus Tom. IV. ub historiam Prædestinatianam retexit; & Alexander Natalis *Hist. Eccles. Sæcul.* IX. c. 2. & *Dissert.* V. *Propos.* 4. Quos etiam consuluisse videtur Tournelyus, qui in suis *Prælectionibus Theol.* Tract. de Gr. Q. 3. quæstionem hanc sat prolixe & solide expendit.

II. At quidquid sit de veteribus Prædestinatianis, certum est, per Novatores, Lutherum inprimis, hanc hæresim fuisse renovatam, ac per Calvinum, ejusque Sectarios ad nostra usque tempora propagatam. Hi namque de prædestinatione sive ad vitam, sive ad mortem æternam ita sentiunt, ut sublato penitus humano arbitrio, nulli esse in manu quidquam cogitare boni vel mali existiment, sed omnia necessitate absoluta evenire. *Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo*, ait Lutherus in art. 36. Et in assertione eorundem articulorum: *Liberum*, inquit, *arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re.* Calvinus pariter in Antidoto ad Canon. V. Sess. VI. Concilii Trid. *Quia*, inquit, *per liberum arbitrium intelligunt Episcopi Tridentini eligendi facultatem in utramque partem liberam & solutam; titulum sine re esse qui affirmant, Christum habent auctorem.* Unde confectarii veluti sunt circa modum agendi & efficaciam gratiæ sequentes Novatorum errores.

Primo, voluntatem sub motione gratiæ necessario agere, nec in ipsius potestate esse, moventi gratiæ obtemperare, vel refragari; id quod aperte declarat Calvinus L. 2. Instit. c. 2. *Voluntatem*, inquit, *gratia movet, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis obtemperare, aut refragari.* Quæ autem sit illa ne-

necessitas per gratiam illata, docet idem Calvinus Lib. 2. c. 3. *Porro, quod libertate abdicata voluntatem dico necessitate in malum trahi vel duci; mirum est, si cui videatur aspera locutio. . . . Offendit eos, qui inter necessitatem & coactionem distinguere nesciunt.* Lutherus vero in Lib. de servo arbitrio, *sequitur*, ait, *nos necessario operari . . . Necessario vero dico, non coacte; necessitate immutabilitatis, non coactionis.* Istorum igitur mens est, per gratiam simplicem necessitatem, non vero coactionem voluntati nostræ inferri; seu voluntatem nostram ex motione gratiæ necessario agere, non ea tamen necessitate, quæ coactionis ac violentiæ dicitur, sed ea, quæ simplex vocatur; qua nempe voluntas ita ad unum invincibiliter determinatur, ut actus contrarius non amplius sit in ejus potestate: libertatem proinde in solo voluntario positam esse, non in ea indifferentia activa, qua voluntas, positis omnibus ad agendum prærequisitis, possit ad unam vel alteram partem se inflectere.

Secundo, Voluntatem Deo moventi & excitanti assentiendo nihil ex seipsa cooperari; hoc est, nihil vi propria & partiali virtute, quantumvis per gratiam elevata, agere, sed Deum esse causam totalem & adæquatam consensus. Ita Calvinus in Antidoto Concil. Trid. ad Can. 4. Sess. 6. *Qui motum*, inquit, *aliquem libero arbitrio proprium tribuunt, & separatum a Dei gratia, nihil aliud quam Spiritum discerpunt.* Separatum a Dei gratia motum dicit hic Calvinus; quia nullum liberi arbitrii motum, nullam cooperationem ipsius agnoscit ad bonum *formaliter* sumptum, seu quatenus meriti rationem induit. Quod & Lutherus antea libere & aperte docuit. Ut proinde Synodus Trid. Sess. VI. Can. 4. anathema istud pronuntiaverit. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet; neque posse dissentire, si ve-*

velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.

Tertio, Voluntatem ad malum per concupiscentiam seu delectationem terrenam, ad bonum vero per cœlestem delectationem a Deo impressam trahi & necessitari. Ita Calvinus L. 2. Instit. c. 2. docet ex Augustino, quem male interpretatur, quod velle hominis formetur a gratia, *impresso delectationis affectu.* Et lib. 3. de lib. arbitr. *Quid aliud, sonant Augustini verba? Libera, inquit, est homini voluntas: sed ad malum. Cur? Quia delectatione & proprio appetitu movetur.* Hæc fere est circa vim & efficaciam gratiæ Novatorum doctrina, quam proxime amplexus est Jansenius, ut constat ex iis, quæ de ipso alibi diximus, atque ex mox dicendis amplius constabit.

ASSERTIO PRIMA.

Fide certum est, nullam a Deo dari gratiam, quantumcunque efficacem, quæ voluntatem necessitet ad consensum.

III. PRob. 1mo. ex Concilio Senonensi definiente, necessitatem gratiæ non præjudicare libertati. *Neque*, inquit Decr. 15. *tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio; nec enim tale est hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit.*

2do. Ex Concil. Trid. Sess. 6. ubi c. 5. loquens de gratia, quacum ei libere assentiendo & cooperando, ad suam ipsorum justificationem disponuntur homines, sic ait: *Ita ut tangente DEO cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest.* Et Can. 4. supra cit. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum . .*

non

non posse dissentire, si velit sed velut inanime quoddam nihil omnino agere . . . anathema sit. Et Can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re . . . anathema sit.* Quibus locis triplex Novatorum error confoditur: Primus, quo Lutherus, & deinde Calvinus liberum arbitrium post peccatum originale nullum amplius esse asseruerunt. Secundus, quo iidem docuere, liberum arbitrium ad motiones gratiæ mere passive se habere, & velut instrumentum inanime. Tertius, quo postea uterque, ac cum iis deinceps Jansenius docuit, liberum arbitrium sic motum, necessario, quamvis non coacte, gratiæ assentiri & cooperari.

Neque dic, Synodum Can. 4. & 5. per liberum arbitrium non aliud intelligere, quam facultatem sponte volendi sive bonum, sive malum, positis omnibus ad volendnm prærequisitis. Nam contra est 1*mo*. duobus illis Canonibus peti Calvinum & Lutherum, qui non negabant in homine lapso facultatem sponte volendi, sed facultatem expeditam volendi vel non volendi, volendi hoc vel illud pro arbitrio, in ordine scilicet ad mores. Et sane nullus hominum ratione utens negavit unquam, aut negare potest, homini inesse facultatem illam sponte volendi sive bonum, sive malum; cum coactio proprie dicta actui volendi manifeste repugnet, non minus, quam repugnat non velle volendo, aut non volendo velle. Contra est 2*do*. Cum dicit Synodus: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum &c.* perinde est, ac si diceret: Si quis liberum arbitrium, quo præditus erat Adamus ante peccatum, post ejus peccatum non manere, sed amissum & extinctum esse dixerit, anathema sit. Atqui liberum arbitrium, quo fruebatur Adamus ante peccatum, fuit libertas non solum a coactione, sed etiam a necessitate, seu fuit expedita facultas bene vel male agendi, facultas volendi vel non volendi, volendi hoc vel illud, positis omnibus ad volendum & agen-

agendum præerequisitis. Ergo Synodus laudatis Canonibus per liberum arbitrium expeditam illam facultatem, seu libertatem a necessitate intelligit. Ipsimet certo Novatores, contra quos Canones illi editi sunt, ut Calvinus, & Calvinistæ, illum *de eligendi facultate, quæ sit in utramque partem libera, & soluta*, interpretantur.

IV. Concilii definitionem confirmarunt Innocentius X. & Alexauder VII. suis Constitutionibus, quibus hæreticam declarant hanc tertiam propositionem Jansenii, *ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Si namque gratia efficax est gratia necessitans, tunc procul dubio ad merendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. Nam justi merentur per opera pietatis; hæc autem non exercent sine gratia efficaci: adeoque si gratia efficax est gratia necessitans, justi opera pietatis, quibus merentur, non exercent sine gratia necessitante, & consequenter exercent cum sola libertate a coactione; hanc enim solam libertatem compatitur gratia necessitans. Ergo si gratia efficax necessitat voluntatem ad consensum, justi merentur per opera pietatis exercita cum sola libertate a coactione; atque adeo hæc sufficit ad merendum in hoc statu nostro, neque ad id requiritur libertas a necessitate.

Et sane istud fidei Catholicæ dogma, quo plena asseritur voluntati libertas etiam sub motione gratiæ efficacis, aperte nobis declarat Scriptura pluribus in locis, præsertim vero Eccles. c. 15. ubi sic habetur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui, adjecit mandata & præcepta sua; si volueris mandata servare, conservabunt te . . . apposui tibi ignem & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & ma-*

lum, quod placuerit ei, dabitur illi. An poterat clarius exprimi ea, quam hic propugnamus, libertas a necessitate?

V. Ne vero Augustini, cujus potissimum auctoritate gloriantur Adversarii, testimonia penitus omittamus, ex plurimis, quæ proferri hic possent, unum tantum & alterum protulisse sufficiet. Lib. de Spirit. & Lit. c. 31. S. hic Doctor sic scribit: *Cum potestas datur, utique necessitas non imponitur.* Cap. 34. *Agit Deus, ut velimus, & credamus . . . sed consentire vel dissentire, propriæ voluntatis est.* Lib. 2. contra Faust. cap. 5. *Sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel male vivitur, propter Dei judicium ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* Denique Lib. de Nat. & Grat. c. 65. Pelagio hæc Hieronymi verba objicienti, *liberi arbitrii nos condidit Deus; nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, nec corona est*, sic respondet: *Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam: sed in recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.* Quod vero S. Doctor necessitatis nomine hic intelligat antecedentem ad unum determinationem etiam voluntariam, patet ex eo, quod in recte faciendo removeat omne vinculum necessitatis: qui autem removet omne vinculum necessitatis, non solum violentam, sed etiam voluntariam necessitatem removet. Sic certe necessitatem accipi a Pelagio non ignorabat Augustinus; nec tamen eum corrigit, sed omissa violentæ & voluntariæ necessitatis distinctione, ei plane consentit, hoc solo addito, quod pertinaciter negabat Pelagius, nempe quod immunitas illa ab omni necessitatis vinculo, qua gaudemus, sit effectus gratiæ, seu charitatis, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.

Ex his autem sic argumentari licet. Illa gratia non est necessitans, sub qua plenam habemus & ab omni necessitatis vin-

vinculo ſolutam ad recte faciendum libertatem. Atqui ex Sancto Auguſtino ſub interioris gratiæ adjutorio, quocum recte facimus, hoc eſt, ſub gratia efficaci, plenam habemus, & ab omni neceſſitatis vinculo ſolutam libertatem. Ergo. Rurſus: Ad virtutem trahimur per gratiam efficacem. Atqui ex S. Doctore non trahimur neceſſario; alioquin jam locus non eſſet merito, adeoque nec præmio. Quod ipſe alio loco amplius confirmat, nempe Tract. 26. in Evang. Joan. ubi in ea Chriſti verba, *Nemo venit ad me* (per fidem ſcilicet) *niſi quem Pater attraxerit*, ſic ait: *Noli te cogitare invitum trahi*, hoc eſt, ulla neceſſitate ſive violenta ſive voluntaria obligari ad credendum: cum enim dicimus aliquem non invitum facere aliquid, juxta communem loquendi uſum, quem procul dubio ſequutus eſt Auguſtinus, ab ejus actione omnem omnino neceſſitatem antecedentem excludimus. *Trahitur animus & amore*, pergit S. Doctor, *Nec timere debemus, ne . . . dicatur nobis, quomodo voluntate credo, ſi trahor? Ego dico, parum eſt voluntate ire, etiam voluptate traheris. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in Domino . . . eſt quædam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cœleſtis. Porro ſi Poetæ dicere licuit: Trahit ſua quemque voluptas, non neceſſitas, ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio. Quanto fortius nos dicere debemus, trahi homines ad Chriſtum &c.* Unde manifeſte patet, loqui hic S. Doctorem de amore deliberato, cum ait: *trahitur animus & amore*, quo nempe quis bonum aliquod libere amat, præ oppoſito; & ſic conſequenter duntaxat ad liberam ſuam determinationem neceſſitatur ad operandum potius ſecundum illud, quam ſecundum alterum oppoſitum.

Itaque ex mente S. Doctoris, ſine antecedente neceſſitate tam voluntaria, quam violenta, ſine obligatione ad unam contradictionis partem, ſine ullo libertatis indifferentiæ diſpendio trahi poteſt animus, quia trahi poteſt amore

deliberato, quo libere producto, libere delectatur de eo, quod amat. Voluntate itaque credo, quia ex propria determinatione credo. Ad credendum voluptate trahor, quia plus amo credere, quam non credere. Sicque credo, quia plus credulitate delector deliberate, quam incredulitate. Est namque, præter indeliberatam delectationem, quam Deus in nobis sine nobis producit, etiam deliberata quædam cordis voluptas, seu amor, quo voluntas ex propria determinatione amat, & amando affective amplectitur bonum sibi præsens per apprehensivam cognitionem intellectus. Sicut ergo in naturalibus unumquemque trahit sua voluptas, non necessitas, quia unusquisque operatur secundum id, quod amplius amat deliberate, adeoque secundum id, quod eum deliberate amplius delectat: ita & a fortiori in supernaturalibus, qui veniunt ad Christum, quia trahuntur a Patre, trahuntur voluptate, non necessitate; quia trahuntur amore, quo deliberate cœlestia terrenis anteponunt, adeoque cœlestibus amplius delectantur deliberate, quam terrenis. Hic nempe circa delectationem cœlestem, seu gratiæ Divinæ vim & efficaciam D. Augustini sensus erat; hæc ejusdem argumentandi ratio, quam hoc loco exposuimus, ut Adversariorum objectionibus occurreremus, unaque præpararemus animum ad ea intelligenda, quæ paulo post de hoc argumento plenius dicturi sumus. Viderint interea Novatores, quam gravem S. Doctori injuriam faciant, cum eum gratiæ necessitantis patronum & assertorem constituunt.

ASSERTIO SECUNDA.

Vis & efficacia gratiæ, salva fide, repeti non potest ex delectatione cœlesti relative victrice in sensu Jansenii.

VI. PRob. Delectatio cœlestis relative victrix est ipsissima illa gratia necessitans, quam paulo antè diximus, damnatam esse a Concilio Sennonensi & Tridentino, sacris Lit-

Litteris manifeste contrariam & S. Augustini doctrinæ repugnantem. Ergo ex ejusmodi delectatione vis & efficacia gratiæ, salvo fidei dogmate, repeti non potest. *Ant. prob.* Delectatio victrix Janseniana est indeliberatus quidam animi motus, nimirum amoris aut desiderii spiritualis, opposito amoris vel desiderii carnalis indeliberato motu intensior, a DEO voluntati impressus, eidem ægrotæ, & antecedenter ad malum per concupiscentiam, a qua in omnibus suis actionibus prævenitur, determinatæ ita necessarius ad bene volendum & agendum, ut illam insuperabiliter determinet ac necessitet, excludendo activam ad utrumlibet ex oppositis indifferentiam, atque adeo faciat sponte solum velle & agere bonum, seu bonum velle & agere libere libertate arbitrii, cui sola coactio, seu violentia repugnat. Atqui ejusmodi delectatio est ipsissima illa gratia necessitans in Novatoribus, præsertim Calvino, reprobata atque damnata. Ergo. *Maj.* constat ex dictis in systemate doctrinæ Jansenii Sect. I. c. I. n. 8. quæ proinde hic recolenda erunt. *Min.* etiam fiet manifesta expendentibus utramlibet, Jansenianam videlicet & Calvinianam gratiæ efficaciam, easdemque invicem conferentibus. *Prob.* tamen ulterius ex consectariis doctrinæ Jansenianæ, quæ cum doctrina Calvini in hac materia apprime consonant, & a Jansenio ipso totidem veluti conclusiones a suo principio derivantur.

Præter ea, quæ famosis quinque Propositionibus continentur, & ex eodem illo fonte indissolubili vinculo profluunt, docet insuper Jansenius consequenter ad suum de duplici delectatione systema, 1*mo*. Discrimen gratiæ sanitatis & medicinalis in eo situm esse, quod Adamus cum gratia sanitatis posset pro arbitrio velle vel non velle; cum medicinali vero non possimus non velle. Quod Adamus cum gratia sanitatis posset libere ad alterutram partem contradictionis, vel etiam contrarietatis se ipsum determinare; cum medicinali vero non possimus, sed per eam determinemur, & necessitemur a Deo, qui in nobis non solum posse, sed etiam velle operatur. Idem pla-

plane utriusque gratiæ discrimen ante Jansenium assignavit Calvinus. *In ea falluntur*, inquit in Antidoto Trid. ad Sess. 6. loquens de Patribus Tridentinis, *quod nullum observant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miseriæ nostræ subvenit, & primam, quæ data fuerat, discrimen:* deinde illud ipsum ex Augustino perperam intellecto statuit, quod à Jansenio positum esse diximus.

2do. Jansenius in homine lapso ad bene vel male agendum solam libertatem a coactione seu violentia agnoscit, hancque solam ad merendum & demerendum in hoc statu sufficere docet; quia coactionem solam seu violentiam, non vero voluntariam necessitatem tollere libertatem arbitrii opinatur. Idem ante eum sensit, & docuit Calvinus. *Liberi*, inquit, lib. 2. Instit. c. 2. *arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æque ac mali electionem, sed quia male voluntate agit, non coactione.* Et alibi: *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium & fateor, & constanter assevero . . . si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nil moror.*

3tio. Jansenius conciliat libertatem cum efficacia gratiæ, asserendo voluntatem hominis ad bene volendum & agendum liberam esse, quatenus sub irrepudiabili gratiæ motione non se habet velut inanime quoddam, sed vere vult & agit, & quidem sponte & voluntarie, licet ex antecedenti & insuperabili necessitate; & hanc esse S. Augustini doctrinam contendit. Patet ex lib. 8. de Grat. Chr. c. 5. 6. 7. 8. Cap. 6. sic loquitur: *Quapropter ut libertatem arbitrii salvam esse sub gratia manifestet, & utramque sibi invicem conciliet* (Augustinus) *nihil prorsus adversus Pelagianos unquam ostendere conatur, nisi Deum per gratiam non operari solum, sed ut voluntas divinitus adjuta velit, & ita non prorsus nihil, sed aliquid etiam ipsa simul agat.* Idem ante eum, & quidem ut doctrinam

Au-

Augustini tenuit Calvinus. Sic enim contra Tridentinos scribit in Antidoto ad Sess. 6. *Quid ergo, inquies, sibi vult Augustinus, cum de libertate voluptatis loquitur? Nempe quod toties repetit, non cogi homines invitos Dei gratia; sed voluntarios agi, ut sponte pareant, & sequantur. Unde illud: Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus efficit & operari &c.* Juxta Calvinum, licet ad bonum volendum & operandum necessitemur, liberi tamen sumus eo ipso, quod illud sponte volumus & operamur: non enim cogimur Dei gratia, sed voluntarie agimus, non ut nihil agamus, sed ut sponte pareamus & sequamur actionem & motionem gratiæ. Unde sub motione gratiæ volumus quidem, sed volumus necessario; operamur, sed necessario: libere tamen volumus & operamur, quia non cogimur, atque ita & vere & sponte volumus & operamur. Ita Calvinus. Sed num forsan aliter ratiocinatur Jansenius? qui omnem deliberatum voluntatis actum, tametsi necessarium, eo ipso liberum esse contendit libertate ad merendum sufficiente, quod fiat per delectationem relative victricem, qua voluntas non invita quidem nec coacta, sed sponte ac consentiendo necessitate simplici ad unum applicatur & determinatur. *Opus bonum*, inquit lib. 8. de Grat. Chr. c. 9. *ex cœlesti delectatione, ideoque propria voluntate operatur. Quæ sane sicut capitaliter adversantur indifferentiæ ad utrumlibet, ita determinationem potius voluntatis ad unum evidenter probant. Delectatio quippe non indifferentem facit voluntatem, sed indifferentem ad alteram partem vehementissime trahit.*

Quæ cum ita sint, quid quæso intercedit, inter doctrinam Jansenii, & Calvini doctrinam circa gratiam & liberum arbitrium, quam Tridentini Patres diris devoverunt? Quid in hac reprobavit & damnavit Synodus, quod non in illa pari jure reprobari & damnari mereatur? Ut quæstionem hanc sibi perquam molestam declinent Jansenii discipuli, omnem-

que

que Calviniani erroris suspicionem a se amoliantur, in omne sese latus convertunt; plurimaque congerunt, ut amplum discrimen hic esse inter suam & Calvini doctrinam evincant. Præcipua dumtaxat ejusmodi effugiorum capita hic adferemus, eorumque inanitatem demonstrabimus.

Respondetur ad Objecta.

VII. Objic. 1mo. Calvinus negat homini inesse vim eligendi bonum & malum, quam tamen ultro admittit Jansenius. Nam secundum Jansenium, electio libera in sensu Augustini est ea, qua voluntas ita eligit unum, puta bonum, *ut illud si nollet, non eligeret*. Ergo.

Resp. Dist. ant. Calvinus negat in homine vim eligendi bonum & malum, qualem negat ipse Jansenius, & qualem asserunt Doctores Catholici, *Conc.* Negat vim eligendi, qualem admittit Jansenius, & qualem nemo unquam negavit. *Neg. ant.* Calvinus negat facultatem se ipsum determinandi ad unum potius, quam ad alterum, ad malum nempe potius, quam ad bonum, aut vicissim; negat facultatem eligendi, quæ sit in utramque partem libera & soluta; quam ipsam negat etiam Jansenius, & asserunt omnes Doctores Catholici. At non negat Calvinus homini inesse facultatem eligendi, qualem ei Jansenius attribuit, hoc est, facultatem sponte volendi bonum vel malum ex prævia cognitione reflexa, prout cœlestis delectatio terrenæ, vel terrena cœlesti prævalet, atque ita prout voluntas ad bonum a gratia, vel ad malum a concupiscentia prædeterminatur & necessitatur. Patent hæc ex verbis Calvini a nobis supra relatis, & ex locis ab ipso Jansenio allegatis lib. de Grat. Chr. c. 2. Ad id, quod additur in objectione, dico, juxta Jansenium per illud, *Voluntas ita unum eligit, ut illud si nollet, non eligeret*, non significari id, quod eo & Sectariis ipsius exceptis, omnes intelligunt, vi-

videlicet voluntatem unum præ alio assumere ex propria determinatione, & sine antecedente ad illud volendum necessitate: sed solum significari, voluntatem eatenus unum præ alio eligere, quatenus unum & non aliud, non coacte, sed sponte vult: unde si illud nollet, non eligeret; quia cum eligere, ac sponte & non coacte velle sit unum idemque; nolle aliquid, & simul illud eligere, contradictorie opponuntur. His nempe vocibus, *si illud nollet*, ludunt Janseniani, suumque errorem palliant.

VIII. *Inst.* Calvinus liberum arbitrium funditus evertit; quod tamen ubique commendat Jansenius.

Resp. Calvinus insectatur liberum arbitrium in sensu dumtaxat Catholicorum, id est, activam indifferentiam ad bonum & malum, ab omni necessitate antecedente etiam voluntaria liberam: *Quia*, inquit loco supra cit. *per liberum arbitrium intelligunt* (Patres Tridentini) *eligendi facultatem* &c. Non vero illud insectatur, quin potius aperte profitetur in sensu Jansenii, qui liberum arbitrium constituit in facultate volendi, non a necessitate simplici, sed a sola coactione immuni, ut similiter constat ex ipsius verbis supra allatis: *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium & fateor, & constanter assero &c.* Ex modo nempe agendi, quo Calvinus volebat pollere gratiam necessitantem, non potuit non inferre, destrui liberum arbitrium in sensu Catholicorum; & idem inferret Jansenius, si sincere ageret: evidenter namque repugnat, voluntatem esse ad unum antecedenter alligatam, & simul retinere eligendi potestatem, in utramque partem liberam & solutam: quod cum Jansenius ignorare non potest, sub vocabulo latere conatur, & vocetenus liberum profitetur arbitrium; re ipsa autem per illud nil aliud intelligit, quam facultatem eligendi a sola necessitate violenta immunem.

IX. *Objic. 2do.* Calvinus ſubjicit hominem ſub motione gratiæ efficacis neceſſitati abſolutæ & phyſicæ : Janſenius vero per delectationem victricem docet induci neceſſitatem ſolum relativam & moralem. Ergo perperam hujus cum illius doctrina confunditur.

Reſp. Neg. ant. Quia neceſſitas, cui Calvinus hominem ſubjicit ſub motione gratiæ efficacis, eodem jure dici poteſt relativa & moralis, quo relativa & moralis dicitur neceſſitas, quam inducit delectatio victrix Janſenii.

Nam 1*mo*. Ideo neceſſitas volendi bonum relativa eſt, juxta Janſenium, ad cœleſtem delectationem ſuperiorem delectatione terrena; quia pendet ab ea tanquam effectus a cauſa, ſine qua nec eſt, nec eſſe poteſt : ſicut neceſſitas volendi malum relativa eſt ad delectationem terrenam prædominantem; quia pariter pendet ab ea tanquam effectus a cauſa. Atqui eodem ſenſu apud Calvinum neceſſitas eſt relativa ad delectationem prædominantem : ait enim l. 2. Inſtit. c. 2. ex mente S. Auguſtini voluntatem ad perſeverantiam formari, hoc eſt juxta ipſum, neceſſario trahi, *impreſſo delectationis affectu.* Et eodem Lib. c. 3. docet, quod gratia, id eſt, delectatio cœleſtis major *in corde electionem, & voluntatem format.* Addit ibidem, corda piorum *ſic efficaciter gubernari divinitus, ut inflexibili affectu ſequantur.* Denique lib. 3. contra Pighium dicit, ideo ex S. Auguſtino hominem voluntate peccare, *quia delectatione, & proprio appetitu movetur.* Ergo neceſſitas volendi ſive bonum, ſive malum, tam apud Calvinum relativa eſt, quam apud Janſenium.

2*do*. Ideo neceſſitas, quam delectatio victrix inducit, dicitur a Janſenianis moralis; quia vel delectando operatur, vel ad mores pertinet. Atqui pariter neceſſitas, cui Calvinus ſubjicit hominem, ad mores pertinet, & delectando operatur. Ergo apud Calvinum neceſſitas per gratiam efficacem inducta tam eſt moralis, quam apud Janſenium, juxta ſequacium

cium ejus interpretationem. Cum igitur Janseniani volunt, aut a voce necessitatis abstinendum, aut eam moralem dumtaxat, non physicam esse, ii sub alio mitiore vocabulo re ipsa eundem plane sensum ingerunt. Neque enim sufficit ad declinandam erroris suspicionem, quod moralis solum necessitas admitti dicatur; sed necesse est eam necessitatem rejicere, quæ oritur ex motione superioris delectationis, qua voluntas ita rapitur & ligatur, ut per oppositam minorem delectationem expedita & libera non sit, ut possit vel resistere, vel actum contrarium elicere.

Cæterum necessitas ejusmodi improprie & abusive moralis nuncupatur. Ex communi quippe ac recepto loquendi usu necessitas moralis nullo modo impotentiam, sed summam dumtaxat aliter agendi difficultatem importat; ipsique voluntas non tantum resistere potest, sed aliquando reipsa resistit. Talis est necessitas agendi ex inveterato quodam habitu, e. g. avaritiæ, aut luxuriæ, quo tamen non obstante, avarus non semper ita agit, ut nihil unquam donet, aut luxuriosus, ut nunquam sese contineat. At longe alia est necessitas moralis Jansenianа: stante quippe delectatione superiore, ad unum voluntatem determinante, actus oppositus non tantum nunquam fit; sed nec relative fieri potest, ob virium inæqualitatem delectationis inferioris respectu superioris. Talem porro necessitatem appellare moralem, est manifeste ludere in verbis, & nominis abusu errorem involvendo incautis illudere. Quanquam etiam istud non bene sonet in auribus Catholicorum, videlicet hominem, seu bene seu male agat, non posse unquam propter impotentiam moralem, qua premitur, aliter agere, quam agat reipsa.

X. *Inst.* Non desunt Theologi, qui admittunt, ad singulos pietatis actus necessariam esse gratiam moraliter de se efficacem. Atqui in eorum sententia sano sensu dici potest, sub

motione illius gratiæ moralem adesse necessitatem ad bonum ; & illa absente , moralem necessitatem ad malum. Ergo etiam &c.

Resp. Conc. maj. Neg. min. Cum enim moralis agendi necessitas , juxta communem acceptionem , ut paulo ante diximus , oriatur ex difficultate contrarium agendi , aut abstinendi ab actu ; non raro autem contingat , ut homo per gratiam efficacem roboratus virtutum actus etiam difficillimos exerceat , ad quos dici posset habere impotentiam moralem ; ut cum vehementibus undique tentationibus vexatus , nihilominus quod Deo placere novit , heroice aggreditur ; ad id profecto necessitate morali non determinatur , quin potius impotentiam moralem , qua retrahebatur , vincit ac superat. Igitur in illa Catholicorum quorundam sententia non inducitur necessitas moralis sub motione gratiæ , per se efficacis. Verum esto , id in aliquo sensu tolerabiliter admitti posset , propter infallibilem nimirum connexionem effectus cum tali gratia , & moralem impotentiam ad bonum absente gratia efficaci ; amplum tamen adhuc est discrimen inter moralem ejusmodi necessitatem , & necessitatem illam , quæ ex delectatione relative victrice in sensu Jansenii necessario consequitur. In sententia namque Catholicorum præsente gratia utut de se efficaci , voluntas etiam relative expedita remanet ad resistendum ; & ea absente , voluntas per gratiam sufficientem etiam relative ad gradus oppositæ actualis cupiditatis capax est & pares habet vires ad operandum saltem mediate : non ita absente superiore ac relativa delectatione ; nam ex sola gratia parva , comparate ad superiorem concupiscentiam , nullatenus potest voluntas bene agere , ne mediate quidem. Eatenus enim posset bene agere mediate , quatenus parva illa gratia interdum ad majorem disponeret. Sed hoc frustra dicitur a Jansenianis , neque enim disponit relative , sed ad summum absolute : quia hoc tantum sensu dici posset disponere , quatenus , si ei arden-

tior

tior cupiditas non resisteret, major accederet Dei gratia. At cum in systemate Janseniano voluntas, a majore opposita cupiditate detenta, non possit non relative resistere illi parvæ gratiæ; perperam dicitur in his circumstantiis gratia hæc parva relative disponere ad majorem.

Igitur impotentia ad bonum absente delectatione victrice Janseniana, & necessitas ad bene operandum, quæ sub ejusdem motione voluntati imponitur, est profecto plus quam moralis: sicut plus quam moralis est determinatio, per quam voluntas ab eadem delectatione victrice ad operandum applicatur. De hac enim Jansenius ipse loquens, *prævenit*, inquit l. 8. de Grat. Chr. c. 3. *ipsam voluntatis determinationem, etiam* prædeterminando, non solum moraliter, sed vera reali, & physica determinatione. Ergo etiam prævenit voluntatis determinationem necessitando, non solum moraliter, sed vera reali & physica necessitate; eatenus enim necessitat, quatenus prædeterminat. Cur autem realiter & physice prædeterminet, hanc fundatam & convincentem rationem subjicit Jansenius: *Moralis enim prædeterminatio illa dicitur, quæ tantum se habet ex parte objecti, quemadmodum facit ille, qui consulit, suadet, præcipit, rogat, blanditur, sive extrinsecus, sive intrinsecus: sed hæc* (delectatio cœlestis) *se habet in ipsa potentia voluntatis, quam propriæ suæ suavitatis magnitudine ad volendum applicat, & applicando determinat, utpote causans in ea hoc ipsum, ut se determinet, ideoque prædeterminat.* Ipso igitur non diffitente Jansenio, necessitas, quam delectatio relative victrix inducit, non moralis, sed realis est ac physica; nihilo proinde diversa ab ea, cui Calvinus voluntatem subjicit sub motione gratiæ efficacis.

XI. *Objic. 3tio.* Calvini necessitas excludit indifferentiam contrarietatis & contradictionis, utramque enim explodit Calvinus. Contra vero necessitas delectationis Jansenianæ solam excludit indifferentiam contrarietatis. Jansenius namque l. 7.

de Gr. Chr. c. 11. profitetur se tantum necessitatem specificationis seu contrarietatis ad bonum & ad malum admittere, negare vero necessitatem exercitii, seu contradictionis; quam eo sensu intelligit, quod licet homo per delectationem superiorem cœlestem vel terrenam, ad bonum vel ad malum determinetur, tamen hoc vel illud bonum sub delectatione cœlesti, hoc vel illud malum sub delectatione terrestri pro nutu suo libere amplectatur; quæ libertas sufficit, & ejusmodi est, qualem Calvinus non admittit. Ergo.

Resp. Fallit Jansenius, cum necessitatem exercitii, seu contradictionis captiosis interdum vocabulis fingit se rejicere. Hanc enim conceptis verbis admittit c. 14. *Ipsum*, inquit, *non consentire & non facere, gratiæ victricis effectus est. Facit autem hoc gratia fortiter affigendo affectum ipsi justitiæ, idque non aliter nisi cœlestis delectationis vehementia, quasi suavi amorosoque vinculo . . . . Nimirum, non solum ut agant bonum & non malum generaliter; sed etiam ut justi agant hoc bonum, quod non agebant, abstineant ab hoc malo, quod alioquin agerent vel agebant.* Et certe indifferentia exercitii omnino repugnat systemati Janseniano. Cum enim actu urget præceptum aliquod positivum, deest quoque delectatio superior cœlestis; voluntas tunc necessitatur ad omissionem illius præcepti in particulari. Ergo in hac hypothesi, non solum adest necessitas peccandi in genere, sed etiam peccandi hoc peccato in particulari. Et si delectatio inclinans ad bonum generatim duntaxat spectatum, necessario voluntatem trahit ad prosecutionem boni in genere, quidni delectatio inclinans ad aliquod bonum in particulari, necessario quoque ad illud determinat.

XII. *Inst.* denique. Jansenius nullam agnoscit in præsenti statu peccandi necessitatem in particulari, sed in genere dumtaxat, eamque tantum in Infidelibus. Ita profitetur Lib. 4. de

de statu naturæ lapsæ c. 19. 20. 22. & 23. Ergo non exclusit indifferentiam exercitii, saltem in quantum ad malum.

Resp. Imponere nobis hic rursus Jansenium. Non alio quippe sensu negat ille peccandi necessitatem in particulari, quam quia homo fidelis non peccaret, si vellet, seu quia non ex coactione, sed ex voluntate peccat: cum quo stat, quod necessario peccet hoc vel illo peccato particulari. Etenim par & eadem est necessitas in Jansenii systemate delectationis terrenæ ad malum, ac cœlestis ad bonum; quia eadem utriusque est efficacia, seu vis ac modus agendi, nempe relative ac veluti per gradus: & sicut voluntas nunquam operatur bonum sine cœlesti delectatione, ita nunquam operatur malum sine dominante delectatione concupiscentiæ: sicut victrix gratiæ delectatio necessario exprimit consensum in bonum, ita ut voluntas eum cohibere non possit; ita delectatio concupiscentiæ in malum. Igitur, sicut sub motione gratiæ victricis voluntas ad hoc vel illud bonum in particulari necessario determinatur; ita sub motione ardentioris concupiscentiæ, ad hoc vel illud malum. Adeoque nulla est in eo systemate vera indifferentia specificationis & exercitii, nulla vera libertas a necessitate, ubi nempe adest relativa necessitas invincibiliter & indeclinabiliter ad unum determinans. Habemus ergo Jansenium in iis, quæ ad gratiæ efficaciam, & liberum hominis arbitrium, eorumque inter se concordiam attinent, Calvino consentientem in re, licet vocetenus fortasse identidem discrepantem.

Quoniam vero delectationis relative victricis systema huic maxime principio innititur; quod ea sit indoles voluntatis nostræ, ut non possit non velle & non operari id, quod illam delectat amplius: istud vero principium systematis illius defensores fundent in doctrina S. Augustini, atque iis potissimum S. Doctoris verbis: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*; ad convellendum penitus Jansenianum systema, neces-

cessarium videtur, ipsum fundamentum aggredi, & principii illius manifestam falsitatem demonstrare. Sit igitur

ASSERTIO TERTIA.

Systema delectationis relative victricis in sensu Jansenii nullum habet fundamentum in doctrina S. Augustini, quin ab ea alienum est; & rationi Theologicæ minime consentaneum.

XIII. PRob. 1ma Pars. Si systema delectationis relative victricis fundamentum aliquod haberet in doctrina S. Augustini, istud esset potissimum in illo, quod centies nobis obtrudit Jansenius, Augustini effato: *Secundum id operemur necesse est, quod amplius nos delectat.* Atqui in istis S. Doctoris verbis perperàm fundatur systema Jansenianum. Ergo &c. *Maj.* est Adversariorum: nullum enim aliud Augustini testimonium pro eo systemate proferri potest clarius & expressius, ut ipse fatetur Jansenius, qui de eo sic loquitur lib. 4. de Gr. Chr. c. 6. *Sed unus est locus hac de re clarissimus & præclarissimus, qui aureis meretur scribi characteribus, quo Augustini mentem plenissime capiamus. Id quippe quod nos filo verborum ipsius perspicuorum ducti, tanquam ab eo existimatum & traditum, ratiocinando collegimus, manifestissima & resolutissima authoritate definit.* Prob. *min.* Systema Jansenii in laudatis Augustini verbis fundari non potest, nisi supponatur S. Doctorem loqui de delectatione indeliberata. Atqui hoc falso supponitur. Ergo &c.

Ad pleniorem Argumenti hujus intelligentiam, adverte, duplicem hoc loco delectationem a Theologis distingui; indeliberatam videlicet, & deliberatam. Delectatio indeliberata est, quæ ex objecto intentionaliter repræsentato nascitur, omnemque antevertit rationis advertentiam, & voluntatis libertatem. Deliberata autem est ea, quæ oritur ex libera vo-

lun-

luntatis electione, quamque sibi ipsa voluntas libere procurat. Talis est e. g. actus amoris, quo ex propria determinatione amat, & amando affective amplectitur bonitatem objecti sibi intentionaliter præsentis; vel, si vis, quo ex propria determinatione amat ipsam delectationem sensitivam vel intentionalem, quam causat objectum. Hæc itaque posterior delectationis species est in potestate voluntatis, & supposita cum aliis prærequisitis bonitatis objectivæ præsentia intentionali, potest eam habere, vel ea carere pro arbitrio. Unde ad hujusmodi delectationem honestam homines adhortatur Scriptura, cum ait Ps. 36. *Delectare in Domino; & dabit tibi petitiones cordis tui.* Jam vero non de hac deliberata delectatione, sed de priore illa indeliberata S. Augustinum loqui, necessario supponi debet in systemate Janseniano, secus enim totum ipsius fundamentum proruit, ut patet ex natura delectationis relative victricis. Quam vero id falso, & perperam, ac contra S. Doctoris mentem supponatur, ostenditur sequente argumento.

S. Doctor loquitur de delectatione conjuncta cum tali necessitate operandi secundum id, quod amplius nos delectat, quæ non officiat libertati necessariæ ad merendum & demerendum. Sed eo ipso non loquitur de delectatione indeliberata. Ergo &c. *Maj.* patet: voluntatem namque ad operandum ita a delectatione necessitari, ut merendi aut demerendi libertate privetur, nunquam asseruit S. Augustinus, & asserere salva fide non poterat. *Prob. min.* Delectatio indeliberata major, si necessitatem imponeret, imponeret antecedentem, eo ipso quod indeliberata sit, seu quod omnem deliberationem antevertat; atque adeo imponeret necessitatem ejusmodi, quæ non stat cum libertate ad merendum & demerendum necessaria: quis enim dicat, voluntatem cum necessitate antecedente bene vel male operandi, posse nihilominus mereri vel demereri? Ergo sola delectatio deliberata conjuncta est cum ne-

necessitate bene vel male operandi tantum consequente liberum activæ indifferentiæ exercitium, seu liberam voluntatis determinationem; quæ necessitas consequens stat cum libertate ad merendum & demerendum requisita: nam ex hypothesi quod voluntas deliberate plus delectetur e. g. cœlestibus quam terrenis, quia terrenis efficaciter cœlestia anteponit, non potest non operari secundum cœlestia in sensu composito hujus suppositionis. Ergo manifestum est, S. Doctorem loqui non de indeliberata, sed de deliberata delectatione majore.

Sed *inquies:* S. Augustinus loquitur de delectatione gratiæ prævenientis, de qua dicit lib. 1. de div. Q. ad Simplic. qu. 2. *Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit, quod delectet atque inviter animum, moveri nullo modo potest. Hoc autem ut occurrat non est in hominis potestate.* Quapropter lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 17. ait: Ut autem innotescat quod latebat, & *suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, qua hominum adjuvat voluntates.* Ergo loquitur S. Doctor de delectatione indeliberata, quæ si superior fuerit, voluntatem necessario ad se pertrahit.

Resp. Dist. ant. S. Doctor loquitur aliquando de delectatione gratiæ prævenientis indeliberata, quam tamen voluntas pro arbitrio suo sequitur vel non sequitur, *Conc.* quam voluntas necessario sequitur, ut vult Jansenius, *Neg. ant. & cons.* Unde effatum illud, *secundum id operemur, necesse est, quod amplius delectat*, Augustinus intelligit de delectatione deliberata subsequente liberam voluntatis electionem; non vero de delectatione indeliberata, quasi necesse prorsus foret, voluntatem eo semper ferri, quo major allicit objecti delectatio: & verbum istud, *necesse*, usurpare solet ad significandam necessitatem consequentem; ut lib. 5. contra Julianum c. 16. Lib. 1. *de Nuptiis & concupiscentia* c. 12. in Psal. 37. 51. & sæpe alibi.

Mens

Mens S. Doctoris evidentius adhuc clarescit ex eo ipso loco, ex quo erutum est effatum illud, Expositione scilicet in Epistolam ad Galatas, ubi N. 50. adhortatur homines, ut illicitas delectationes non sectentur. Atqui id frustraneum & otiosum esset dicere de delectatione indeliberata, quæ arbitrio voluntatis non subjacet, & secundum quam ex Jansenio necesse est semper operari. Ergo loquitur de delectatione deliberata, cui voluntas libere adhærescit; & cui, si illicita fuerit, ut non adhæreat, hortatur S. Doctor & præcipit. Quapropter etiam Lib. de Grat. & lib. arb. c. 4. ait: *Nunquid tam multa, quæ præcipiuntur in lege Dei, ne fornicationes & adulteria committantur, indicant aliud, quam liberum arbitrium? Neque enim præciperentur, nisi homo haberet propriam voluntatem, qua Divinis præceptis obediret.* Et Serm. 159. alias 17. de verbis Apostol: *Inter omnia*, inquit, *quæ delectant, plus te delectet justitia . . . Justitia sic te delectet, ut vincat etiam licitas delectationes.* Quibus verbis adhortatur homines, ut delectationibus sensuum anteponant spirituales delectationes, & sese oblectent amplius justitia, quam cæteris bonis sensibilibus. Frustra autem adhortaretur, nisi id in eorum esse potestate supponeret. Igitur luce meridiana clarius apparet, ex doctrina S. Augustini voluntatem nostram habere in potestate sua delectationes, quibus sive ad juste, sive ad injuste operandum determinetur: proinde S. Doctorem & in effato illo, *quod amplius delectat &c.* & plerumque alias de delectatione deliberata loqui; ac sicubi indeliberatæ mentionem injicit, eam tamen non ita invitare ac allicere intelligit, ut voluntas eidem necessario obsequi debeat. Delectationis igitur relative victricis systema nullum omnino fundamentum habet in doctrina S. Augustini.

Quin ab ea maxime alienum esse pronunciavimus; quod sic evidenter demonstratur. Summa doctrinæ Jansenianæ

 his

his duobus continetur: 1mo. Voluntatem hominis infirmam & per peccatum multum depressam nec ad bonum nec ad malum, sine prævia impellente delectatione, ferri posse. 2do. hanc unicum esse pondus, quo voluntas ad agendum ita necessario applicatur, ut eo illam ferri necesse sit, ubi major relative fuerit delectatio. Si proinde major fuerit vis delectationis cœlestis, quam terrestris, necesse sit voluntatem bene operari; econtra male, si viribus prævaluerit terrestris delectatio. Atqui in his duobus capitibus toto cœlo distat Jansenius ab Augustino. Nam

1mo. Aliud, quam delectationem, bonarum actionum principium assignat S. Doctor pluribus in locis, præsertim vero lib. de corrept. & gr. c. 5. *Non vis*, inquit, *tua tibi vitia demonstrari, ut fiat tibi utilis dolor, quo medicum quæras . . . quasi aut nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor.* Nulla hic delectationis mentio. Quamque variis modis Deus peccatores ad se invitet & alliciat, eximie describit fidelis Augustini interpres ac discipulus S. Prosper in lib. contra Collatorem c. 7. *Trahit timor*, inquit; *principium enim sapientiæ timor Domini. Trahit lætitia; quoniam lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi. Trahit desiderium; quoniam concupiscit & deficit anima mea in atria Domini &c. Et quis enarrare possit, per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat, sequatur; quæ oderat, diligat &c.* Similiter ad peccandum alio homines adduci motivo, quam delectatione, asserit Augustinus l. 2. de peccat. mer. & rem. c. 10. *Etiam illa peccata juste imputari, quæ non delectationis illecebra committuntur; sed causa devitandæ molestiæ alicujus, aut doloris, aut mortis.* Lib. de catechizandis rudibus cap. ult. in fine. *Non solum*, inquit, *per cupiditates Diabolus tentat, sed etiam per terrores insultationum & dolorum, & ipsius mortis.* Enarrat in Psal. timorem a voluptate seu delectatione distinguens, affirmat, multos non ex delectatione, sed ex ti-

timore abstinere a malo, & operari bonum. *Proponitur præmium, ut pecces, id est, quod te delectat, facis propter quod cupis. Sed forte non induceris donis, terreris minis, facis propter quod times. Corrumpere te vult aliquis, ut dicas v. g. falsum testimonium . . . Si cupiditas non valuit, forte timor valebit ut pecces &c.*

2do. Afferit Augustinus (quod Jansenio capitaliter adversatur) hominem non semper operari ex majore, qua prævenitur delectatione; adeoque effatum illud, *secundum id operemur necesse est &c.* verum non est, si de prævia & indeliberata delectatione intelligatur. De se ipso namque fatetur S. Doctor, se non semper fecisse, quod eum amplius delectabat: *Non faciebam*, inquit L. 8. Confess. c. 8. *quod incomparabili affectu amplius mihi placebat.* Quo testimonio, quod merito decretorium dicitur, in extremas angustias conjiciuntur delectationis relative victricis defensores; atque adeo, velint, nolint, fateri coguntur, se a S. Augustini doctrina plurimum aberrare.

XIV. *Prob.* jam altera Assertionis pars: videlicet delectationis relative victricis systema etiam rationi Theologicæ adversari. Etenim

1mo. In eo systemate nullum est verum discrimen adjutorii *quo*, & *sine quo non;* quod tamen pro fundamento universæ S. Augustini doctrinæ statuit Jansenius. Nam ideo Janseniani asserunt, gratiam victricem esse adjutorium *quo*, & gratiam debiliorem adjutorium *sine quo non;* quod illa perfectum, hæc vero imperfectum dumtaxat a voluntate consensum exprimat. Atqui istud in ipsorum systemate dicere non sufficit; quia discrimen, quod inter adjutorium *quo*, & *sine quo non* intercedit, intrinsecum ipsis adjutoriis esse debet; alias immerito Janseniani queruntur, Molinistas gratiam sufficientem ab efficaci nonnisi per aliquid extrinsecum, consensum scilicet voluntatis distinguere. Porro nonnisi extrinsece differrent

etiam in Janfenii fyftemate illa divinæ gratiæ adjutoria, fi diftinguerentur dumtaxat, prout perfectum vel imperfectum confenfum exprimerent: extrinfecum enim & accidentarium eft gratiæ, ut in concupifcentiam incurrat fuperiorem vel inferiorem; ex quo folo fit, ut perfectum vel imperfectum confenfum obtineat. Mirum etiam eft, Janfenium adeo abhorrere ab ufu fcientiæ mediæ, quæ Deum dirigat, antequam aliquid abfolute decernat; cum eundem in fuo fyftemate reipfa adhibere debeat. Numquid enim, priusquam alicui decernatur victrix gratia, Deum explorare oportet, quanta fit in illo concupifcentiæ vis, ut nempe ipfi commenfuret, ac fuperiorem largiatur delectationis gratiam: fecus enim fecurus non erit de futuro gratiæ effectu. Nam certo refcire non poteft victricem fore gratiam, nifi noverit eam concupifcentiæ viribus fuperiorem futuram.

2do. Maximam efficaci gratiæ injuriam inferri arbitrantur Janfeniani, fi ex parte creaturæ aliqua fupponatur conditio, unde efficacia gratiæ etiam in actu fecundo vel minimum pendere dicatur. Propterea Molinam, ejusque Sectatores eo maxime nomine velut Semipelagianos traducunt, quod in eorum fententia gratia non fit ex fe ipfa, feu propria & interna virtute victrix in actu fecundo. Verum hoc ipfum eft, quod adverfus fyftema delectationis relative victricis merito retorquetur. Ut enim in eo exponatur vis gratiæ natura fua, ut prætenditur, efficacis, fupponi neceffario debet aliqua ex parte hominis conditio: nempe, fi minor fuerit concupifcentia, adeoque minor refiftentia voluntatis; fi enim hæc major fuerit, ftatim gratia victrix effe definit.

3tio. Cum ex mente Janfenii par & eadem fit conditio ac neceffitas delectationis terrenæ ad malum, quæ delectationis cœleftis ad bonum, confequens eft, ut, quemadmodum minima delectatio gratiæ deliberatum aliquem in bonum voluntatis motum femper excitat, ita vel minima cupiditatis delectatio

tio semper excitet malum : inde vero rursus sequitur, justos, cum extincta penitus in ipsis non sit concupiscentia, in sanctissimis etiam operibus saltem venialiter peccare. Quanquam & istud conciliari difficulter possit, quomodo delectatio gratiæ, etiam tenuissima, deliberatum semper aliquem in voluntate motum ad pietatem excitet, non obstante quacunque opposita vehementiore cupiditate. Cum enim ex Jansenio vis gratiæ tota sit relativa ; nunquid tanta esse poterit oppositæ cupiditatis actualis vehementia, ut tenuissimæ illius gratiæ sensum præsocet & motum omnem extinguat.

410. Intelligi in Janseniano systemate vix potest, quomodo Adamus & Angeli mali peccaverint, non obstante summa, qua persundebantur, cœlesti delectatione. Cur victrix illa non fuit, cum tamen eidem ne levissima quidem opponeretur cupiditas ?

Respondent ex Jansenianis nonnulli, id inde esse, quod sana & robusta fuerit Adami & Angelorum ante peccatum voluntas, atque adeo potuerit resistere gratiæ ; nunc vero amplius non possit, utpote lapsa & infirma. Verum contrarium potius inferri deberet. Nunquid enim voluntas adhuc sana magis afficiebatur gratiæ suavitate ? minus proinde illius illecebris resistere debuisset. Et sane minime consentaneum rationi videtur dicere, istud naturæ integræ & innocentis veluti privilegium fuisse, ut gratiæ resistere potuerit ; jam vero, quia læsa & infirma est, ac consequenter minus jucundum ex gratia sensum percipit, vel unico delectationis superioris gradui resistere non possit : quemadmodum & divinæ gratiæ non minus injurium esse videtur contendere, eam parem non esse, ut a voluntate consensum exprimat, sed ab opposita concupiscentia toties vinci, quoties ipsa gradibus inferior fuerit. Egregia enimvero hæc gratiæ Christi laus ! quod tunc tantum de opposita cupiditate victoriam referat, quando ea viribus est superior ; alias semper victa recedat. Quanto di-

dignius & honorificentius de virtute gratiæ ſentit D. Thomas, cum docet 3. p. q. 70. art. 4. *quod minima gratia poſſit reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, ac vitare omne peccatum mortale.* Quanto proinde etiam verius docet Catholica fides, voluntatem, utut lapſam atque infirmam, poſſe ſemper diſſentire, ſi velit, gratiæ quantumvis efficaci.

Alii dicunt, cauſam illius diſcriminis eſſe, quod natura ſana & innocens indifferentia libertatis gaudebat, qua natura lapſa ſpoliata nunc eſt. Sed hoc ipſum hic quæritur: unde iſtius indifferentiæ in ſtatu naturæ lapſæ jactura? Janſenius non aliunde illam repetit, quam ex conditione volendi, ſeu ex iſta neceſſaria lege, quod voluntas ſine delectatione velle aut moveri nullo pacto poſſit, & a ſuperiore, ſeu cœleſti, ſeu terrena delectatione ſemper determinari debeat. Quomodo ergo, cum ſumma in Adamo innocente fuerit gratiæ delectatio, ſtetit nihilominus cum ea indifferentia libertatis? Profecto cum doceat Janſenius l. 4. de Grat. Chr. c. 8. ideo Beatos in cælis amare Deum neceſſario, quia nulla in ipſis eſt terrena delectatio, ſed tantum cœleſtis; conſequenter affirmare debet, Adamum & Angelos innocentes, cum nulla eis inerat delectatio terrena, Deum neceſſario amaviſſe, & peccare illos non potuiſſe. Et cum aliunde aſſerat, neceſſe eſſe, ut voluntas ſecundum id operetur, quod eam amplius delectaverit: quomodo fieri potuit, ut Adamus, & Angeli peccaverint, tantiſque ſuavitatis illecebris obſecuti non fuerint?

Hæc, & plura ejuſmodi alia, quæ brevitatis gratia hic omittimus, evidenter, ni fallor, oſtendunt, in pluribus ſecum pugnare, ac parum cohærere delectationis ſuperioris ſyſtema; rationi proinde Theologicæ non minus, quam S. Auguſtini doctrinæ, ipſique Catholicæ fidei, adverſari.

Re-

Respondetur ad Objecta.

XV. OBjic. 1*mo*. Præcipua systematis Janseniani capita hæc fere sunt: 1*mo*. Voluntatem lapsam atque infirmam sine delectatione ad agendum moveri non posse. 2*do*. In duarum delectationum conflictu, eam, quæ altera gradibus superior est, victricem esse. 3*tio*. Gratiæ divinæ efficaciam in ipsa victrice delectatione consistere. Atqui hæc omnia, non aliunde, quam ex D. Augustini doctrina, in qua unice fundantur, deprompta sunt. Ergo. *Prob. min.* per partes.

Etenim 1*mo*. Voluntatem nostram sine delectatione moveri nullo pacto posse, docet S. Doctor Serm. 159. alias 17. c. 3. *Non amatur*, ait, *nisi quod delectat*. Et lib. 22. contra Faustum c. 28. *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret*. L. 1. ad Simplicianum q. 2. *Voluntas, nisi aliquid occurrerit, quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest: hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate*. Et paulo ante: *Quis animo complectitur aliquid, quod eum non delectat?*

2*do*. In conflictu duplicis delectationis eam, quæ alteri viribus prævalet, victricem esse, & secundum illam voluntatem necessario operari, affirmat Augustinus Lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 17. *Nolunt homines facere, quod justum est, sive quia latet, an justum sit, sive quia non delectat: tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quod bonum sit, novimus, eoque delectamur ardentius . . . Ut innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates*. Lib. de continentia c. 3. *Contra suavitatem noxiam, qua vincebat concupiscentia, Dominus dat suavitatem beneficam, qua delectet amplius continentia*. Lib. de Spir. & lit. c. 29. *Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det, quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate per Spiritum S. faciat plus delectare, quod præcipit, quam delectat, quod impedit.*

3*tio.* denique, efficacem Christi gratiam nihil aliud esse, quam victricem delectationem, asserit idem S. Doctor L. 3. de pecc. mer. & rem. c. 19. *Intelligamus*, ait, *si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam Sanctis suis alicujus operis justi aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non a se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum; & suavitatem, qua det fructum suum terra eorum. Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat, & suave faciat, quod non delectabat.* In eundem sensum passim loquitur Augustinus Serm. 154. alias 4. de verbis Apost. L. 2. ad Bonif. c. 9. Enarrat. in Psal. 84. &c.

Resp. His omnibus, & pluribus ejusmodi aliis testimoniis, quæ Jansenius L. 4. de Grat. Chr. undecim primis capitibus operose congerit, longe aliam fuisse S. Augustino mentem, quam quæ ipsi perperam affingitur; nullum proinde in ejus doctrina delectationis victricis systema habere fundamentum. Atque ut satisfiat singulis, quæ objecta nobis sunt.

Ad 1*mum resp.* Ea non in rigore, sed moraliter, & in sensu accommodo accipienda esse, ut videlicet sensus sit, voluntatem nostram ut plurimum non moveri, nisi delectatione: alioquin sibi manifeste contradiceret Augustinus, docens non uno in loco, esse peccata, quæ delectationis illecebra non committuntur; Deumque ad se trahere homines variis & ineffabilibus modis, per timorem, dolorem &c. *Diversis & innumerabilibus modis Deus homines ad se vocat, & reformat*, ait S. Doctor c. 5. lib. de corrept. & grat. Quapropter censendum est, per illud, *quod delectat*, eundem non semper intelligere id unum, quod suave & delectabile est; sed illud omne quod invitat, quod trahit, quod voluntatem prævenit, in sensu nimirum opposito errori Pelagianorum, quos ubique exagitat.

Ad 2*dum* dico, locum illum ex lib. 2. *de peccat. mer. & rem.* intelligi debere de delectatione deliberata, fine qua homines nolunt facere, quod justum est; quia non volunt facere, nisi quod amant facere: & cum ea delectatione homines facere volunt, quod justum est; quia facere volunt, quod amant facere, & tanto ardentius volunt, quanto ardentius amant, & amando ardentius delectantur. Ut autem ament facere quod justum est, indigent adjutorio Dei dantis suavitatem, seu suavem voluntati justitiam efficientis, & quidem prout ei aptum est, ut velit justitiam amare, & amando ita delectari, ut secundum illam operetur. Gratiæ itaque Dei est, hominum voluntatem adjuvantis, ut suavis ei fiat justitia, quomodo ipsi aptum est, ut eam amet deliberate, atque amando eandem sectetur.

Quod si intelligeretur etiam locus ille de delectatione indeliberata, minime tamen evinceret, quod Jansenius intendit, nempe tali delectatione voluntatem necessario ad consentiendum pertrahi; cum sæpe alias hortetur S. Doctor ad frænandam illicitam delectationem, & agnoscat voluntatem ei aliquando resistere. *Aliquando*, inquit L. 2. de Gen. contra Manich. c. 14. *ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrænat atque compescit.* Et alio ejusdem testimonio supra ostendimus, necesse non esse, ut voluntas semper tendat, quo major objecti delectatio invitat & trahit; ut Angelorum quoque & Adami exemplo fit manifestum, in quibus dominabatur haud dubie summa gratiæ delectatio, cui nulla opposita resistebat concupiscentia, & tamen in Adamo, & quibusdam Angelis ea deliberatio victrix non fuit.

Aliis vero duobus locis hic nobis objectis probabilius videtur, S. Doctorem loqui de delectatione habituali gratiæ sanctificantis. Nam citato c. 3. Libri *de Contin.* non usurpat continentiam pro actu quodam transeunte, sed pro ipsa virtute.

Ergo nec gratiam pro sola motione actuali transeunte, sed pro ipsa charitate diffusa in cordibus. Id clarius adhuc perspicitur ex cit. c. 29. Lib. de Spir. & lit. Ubi statim post verba in objectione relata, hæc subjungit: *Charitas ejus conscripta in cordibus atque diffusa perficitur sperantibus in eum, ut anima sanata non timore pœnæ, sed amore justitiæ operetur.* Porro per charitatem in cordibus diffusam, quæ facit, ut anima justitiæ amore & delectatione operetur, quid aliud intelligitur, quam gratia habitualis animam sanans atque sanctificans. Ejusmodi autem habitualem gratiam ad quodlibet opus pietatis necessariam esse non contendent haud dubie Janseniani: secus enim, cum in ipsorum sententia necesse sit, ut secundum id operemur, quod magis delectat; sequeretur, justum, in quo dominatur gratiæ habitualis delectatio, peccare amplius non posse, utpote qui semper ac necessario secundum hujus delectationis motum operaretur. Ergo illa viribus superior delectatio, quam dicunt victricem esse, ea non est, de qua citatis locis ut plurimum loquitur S. Doctor.

Ad 3*tium* resp. Illud quoque Augustini testimonium intelligendum esse de delectatione deliberata. Ut proinde sensus sit, victricem illam delectationem, quam Deus non tribuit aliquando Sanctis suis, esse ejusmodi, qua justitia nos delectat amplius, quam bona sensibilia, quia illam amplius diligimus, & anteponimus. Victrix autem delectatio ea dicitur, non quod relative seu per gradus in sensu Jansenii sit victrix; sed quia ita vincit omnes alias delectationes carnales, ut iis tunc indulgere non possimus, cum ex propria nostra electione cœlestem gratiæ delectationem sequimur. Illam porro dat Deus dando suavitatem congruam, id est, justitiam efficiendo nobis suavem & dulcem, quomodo nobis congruit, ut eam amplius amemus, & amplius amando, amplius ea delectemur. Cum ergo ad faciendam, perficiendamque justitiam Dei adjutorium deprecamur, non solum petimus, ut nobis

justi-

justitiam suavem efficiat, sed ut efficiat suavem, quomodo nobis aptum est; ut videlicet eam tantum amemus, eaque tantum deliberate delectemur, quantum ad illam perfecte implendam sufficit.

XVI. *Objic. 2do.* Non solum ex Augustini testimonio, sed ex ratione ipsa & propria experientia certum & exploratum est, delectationem unicum esse pondus seu principium nostrarum actionum. Atqui ubi majus est pondus, eo magis inclinamur; seu tanto vehementius aliquid volumus, quanto eo delectamur ardentius. Ergo. *Prob. maj.* Omnes actiones humanæ, juxta tritum Philosophorum effatum, sunt ab amore boni; ipsum quippe odium in amore fundatur. Atqui amor semper includit suavitatem ac delectationem. Ergo hæc vera est causa ac unicum fere actionum humanarum principium. Inde est, quod S. Augustinus indubitanter pronunciaverit, nihil ab homine fieri, nisi delectet; & secundum id necesse esse operari, quod amplius nos delectat.

Resp. Dist. maj. Delectatio deliberata, seu consequens liberam voluntatis electionem ac determinationem est unicum pondus nostrarum actionum, idque in aliquo dumtaxat sensu, *Conc. maj.* Delectatio indeliberata, aut etiam deliberata simpliciter & proprie loquendo est unicum pondus & principium nostrarum actionum, *Neg. maj.* Sic *dist. min. Neg. cons.* Ad *prob.* eadem est responsio. Omnes actiones humanæ sunt ab amore deliberato, *Conc.* ab amore indeliberato, seu omnes motus indeliberati sunt ab amore, quasi amor unicum sit pondus, quo voluntas impulsu prævio & indeliberato determinatur ad agendum, *Neg.* Dici quidem potest, omnem voluntatis motum deliberatum esse ab amore, aut ad ipsum tendere, eo nimirum sensu, quod quidquid homo facit, ex amore faciat, quatenus illud facit, quia vult & ipsi placet, & quidquid placet, quodammodo amat facere, licet aliunde grave ac durum ipsi fuerit. At falsum est, omnes indeliberatos mo-

motus sic esse ab amore, ut delectatio seu amor delectans unicum sit humanarum actionum principium. Amor enim juxta ipsum S. Augustinum multiformis est; neque semper delectat, sed aliquando timoris, vel tristitiæ sensum adjunctum habet. *Amor*, inquit ille lib. 14. de Civit. Dei c. 7. *inhians habere, quod amatur, cupiditas est; id autem habens, eoque fruens, lætitia est: fugiens quod ei adversatur, timor est; idque si acciderit sentiens, tristitia est.* Quo autem sensu intelligendum sit illud S. Doctoris: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est*, jam antea declaravimus.

XVII. *Objic. 3tio.* Innoxium est, & sine erroris suspicione defendi potest systema delectationis relative victricis, modo non asseratur, per delectationem ejusmodi necessitatem induci, ac veram tolli ad oppositum potentiam, cæterique Jansenianarum Propositionum errores rejiciantur atque damnentur. Atqui id ultro faciunt præcipui illius systematis defensores, ut ex ipsismet eorum testimoniis luculenter constat. Nam Dionysius Raymundus expresse affirmat 1. par. c. 2. *Eos plane ignorare ac pervertere Jansenii mentem, qui existimant, eum docuisse, præcepta DEI absolute impossibilia esse aliquibus justis; aut esse in iis physicam & absolutam impotentiam ad illa observanda.* Ludovicus de Saint Amour in Diario p. 6. c. 21. scribit: *Nunquam in animo fuisse* (systematis illius Defensoribus) *ridiculum illum ac insulsum gratiæ necessitantis, qua indifferentia voluntatis penitus tollitur, phantasma defendere.* Paulus Irenæus Disp. 4. Ar. 7. ait, *Eos necessitatis nomine raro admodum, nec fere unquam sine explicatione subjecta uti. Necessitantis enim gratiæ voce, quæ malo animo conficta est, nusquam illos usos esse reperies.* Abbas de Bourzeis Collat. 1. c. 26. asserit: illos *facile consentire ac dare adversariis, reticendum esse nomen necessitatis.* Denique, ut taceantur complures alii, D. de Wite in suo Augustino

Ypren-

Yprensi vindicato p. 1. c. 16. *Hæc*, inquit, *justitiæ in damnata Adami stirpe impossibilitas, atque ad resistendum peccato languor & imbecillitas, vera ac propria justitiæ impossibilitas, aut ad peccandum necessitas dici non potest, nec debet.* Hi omnes summa consensione declarant, se impotentiam proprie talem negare, & admittere tantum necessitatem improprie dictam & moralem, atque alia insuper delectationis superioris consectaria rejicere. Ergo.

Resp. Neg. maj. Quamvis enim ab errore absolvi possint ii, qui bona fide & animo Catholico, admisso principio, consecutiones illas negant; ipsum tamen principium propterea non absolvitur, quia erroneum est ac semper tale remanet. Cum enim erronea aliqua conclusio per necessariam & intimam connexionem ex certo principio deducitur, non tantum conclusio, sed & ipsum principium, unde necessario fluit, negari debet; nisi clare demonstretur, nullam esse conclusionis illius cum principio connexionem, maleque ac distorte illam inde derivari. Porro famosas quinque Propositiones ex principio delectationis superioris necessaria consecutionis lege deduci, ac Jansenium ipsum eas inde derivasse; intimamque illam connexionem Propositionum cum eo systemate Ecclesiam agnovisse, cum Propositiones damnavit in sensu proprio Jansenii, jam alias ostendimus. Neque enim alius assignari potest illarum sensus, quam qui ex delectatione superiore oritur & cum ea connectitur; & quicunque ex Jansenii Sectatoribus alium assignare hactenus voluerunt, suppositum plane ac fictitium, tum Libro ipsius, tum quinque damnatis Propositionibus ex illo excerptis, sensum affingere coacti sunt. Hinc

Ad propositi argumenti *min.* ejusdemque *prob.* *Resp.* illos systematis Janseniani defensores in locis nobis objectis necessitatem physicam cæterosque Jansenianarum propositionum errores, non sincere & re ipsa, sed ad speciem &

ver-

verbotenus duntaxat rejicere atque damnare. Id vero non ſufficit ad omnem erroris ſuſpicionem amovendam, & ad tuto defendendum ſyſtema delectationis ſuperioris. Alias nullus foret Janſenianus, qui jure reprehendi ac damnari poſſet: omnes enim verbotenus profitentur, ſe neceſſitatem excludere, ac veram ſub delectatione ſuperiore ad oppoſitum potentiam agnoſcere; paucique eorum extant libri, in quibus non hæc ipſa & alia hujusmodi conſectaria delectationis ſuperioris rejiciantur; qui tamen, eo non obſtante, proſcripti ſunt, non alia certe de cauſa, quam quod ſyſtema delectationis Janſenianæ contineant, quo retento, conſectaria illa non niſi ad fraudem & ad ſpeciem negantur. Et ſane ſi quædam verborum mitigationes, aut potius fallaciæ ſufficerent, ut ab errore immunes pronuncientur, & Eccleſiæ cenſuris ſubducantur illorum Auctorum libri, ipſe erroris parens & auctor Janſenius excuſari pariter & abſolvi poterit; cum & ipſe, quæ durius ſcripſerat, eadem verborum mitigatione nonnunquam temperet ac emolliat. Sic lib. 3. de Grat. c. 13. in ea ipſa periodo, ex qua textus primæ Propoſitionis damnatæ excerptus eſt, impoſſibilitatem mandatorum in quibusdam juſtis *difficultatem* appellat. Lib. 8. c. 20. dixerat, perfectiſſimam etiam ſub gratia *efficaci remanere ad peccandum potentiam*. Eodem lib. c. 4. aſſerit, id omne, quod Thomiſtæ de concordia ſuæ prædeterminationis phyſicæ cum libertate docent, ſe pariter dictum velle de concordia ejusdem libertatis cum ſuperiore delectatione &c. An propter ejusmodi verborum lenimenta ab omni errore purus & immunis erit Janſenius? Non puto quemquam Catholicorum fore, qui iſtud aſſerere audeat poſt latam ab Eccleſia cenſuram. Ergo nec Janſenii diſcipuli ab errore immunes pronuntiandi ſunt, qui retento eodem delectationis ſuperioris principio, eadem verborum mitigatione errorem non tollunt, ſed tegunt, ac diſſimulant.

Sed

Sed *inquiunt:* Syſtema duplicis delectationis ſuperioris ac relative victricis innoxie in Scholis Catholicis propugnatur, maxime a Schola Auguſtinianorum, utpote qui vim & efficaciam gratiæ ex interna ipſius ſuavitate ac delectatione unice repetunt. Ergo.

Reſp. Neg. ant. Si ſermo ſit de delectatione in ſenſu Ianſenii, id eſt, relative victrice. Cæterum quid de Orthodoxorum quorundam Theologorum ſyſtemate, qui vim & efficaciam gratiæ deſumunt ex interna ipſius ſuavitate & delectatione, ſentiendum ſit, dicemus poſtea. Illud hic inſinuaſſe ſufficiat: Theologos illos delectationem victricem aſſerere, quæ tamen conjuncta ſit cum deliberato liberi arbitrii aſſenſu: atque in gratia ſufficiente pares & æquales vires agnoſcere, ad oppoſitam actualem cupiditatem ſuperandam. At vero qui gratiam velint eſſe victricem relative, & penitus ſejunctam a deliberatione & indifferentia liberi arbitrii, quique non aliam admittant ſufficientem gratiam, quam viribus inferiorem oppoſitæ ſuperiori concupiſcentiæ, non alios eſſe, quam Janſeniani ſyſtematis defenſores.

Conſectarium

XVIII. Ex iis, quæ de gratiæ efficacia ex fidei noſtræ principiis, & communi Catholicorum Theologorum ſenſu diſputavimus hactenus, facile colligitur, univerſim rejiciendam eſſe eam gratiæ efficaciam, quæ in auxilio natura ſua irrepudiabili conſtituitur; cum perinde pugnet cum libertate arbitrii, quin ea ipſa ſit neceſſitans gratia, quam in Novatoribus damnatam diximus. Auxilium namque, quod dat poſſe inſuperabiliter determinatum ad unam contradictionis partem, tollit libertatem arbitrii; tollit enim activam indifferentiam, quæ eſt facultas volendi, vel non volendi, agendi vel non agendi prout lubet. Nam potentiam inſuperabiliter determinatam ad unum, eſſe nihilominus active indifferen-

tem, evidenter repugnat. Atqui gratia natura ſua irrepudiabilis dat poſſe inſuperabiliter determinatum ad unam contradictionis partem. Etenim 1mo. dat poſſe: quia complet facultatem naturalem voluntatis ita, ut ex ea, & ex facultate naturali voluntatis reſultet principium proximum, & adæquatum actus ſalutaris. 2do. Dat poſſe inſuperabiliter determinatum ad unam contradictionis partem, quia facultatem naturalem voluntatis, ſe ſola ad bene operandum inſufficientem ita complet, ut eam inſuperabiliter ad conſenſum ſalutarem determinet, hoc ipſo, quod ex natura ſua talis ſit, ut eidem reſiſti non poſſit, ſed ab ea voluntas inevitabiliter rapiatur. Quid enim aliud eſt gratia natura ſua irrepudiabilis, niſi gratia natura ſua irreſiſtibilis? Cum enim repudiare gratiam, idem ſit, ac ei reſiſtere; poſſe repudiare gratiam, nihil aliud eſt, quam poſſe ei reſiſtere; adeoque non poſſe eam repudiare, nihil aliud, quam non poſſe ei reſiſtere.

Porro gratia, quæ talis eſt ex natura ſua, ut ei reſiſti non poſſit, eſt ipſiſſima illa gratia, quæ in Novatoribus damnata eſt a Conciliis & ſummis Pontificibus, quamve Auguſtini non minus doctrinæ, quam rationi Theologicæ manifeſte contrariam luculentis argumentis demonſtravimus. Ergo gratiæ efficacia in auxilio natura ſua irrepudiabili, ſalvo fidei dogmate, conſtitui neutiquam poteſt.

CAPUT II.

DE
Gratia natura ſua & ab intrinſeco efficaci in ſenſu Catholicorum?

I. CUm ex fidei noſtræ principiis certum ſit, gratiam efficacem infallibili influxu atque eventu conſenſum voluntatis in bonum ſemper exprimere, integra & illæſa illius li-

libertate ; Catholicorum Doctorum in eo labor omnis versatur, ut infallibilem hanc divinæ gratiæ efficacitatem cum libero hominis arbitrio concilient. Qui ad id gratiam natura sua efficacem requirunt, quamvis in eo omnes conspirent, gratiam illam infallibilem & essentialem habere ex propria natura sua & antecedenter ad prævisum futurum voluntatis consensum cum opere bono connexionem ; non idcirco consentiunt inter se circa causam & rationem proximam ipsius virtutis & efficaciæ, seu infallibilis illius connexionis gratiæ efficacis cum voluntatis consensu.

II. Thomistæ, qui ad omnes omnino actus etiam mere naturales existimant, non sufficere generalem Dei concursum, ut vere & proprie dicatur primus rerum omnium motor, sed requiri insuper physicam quandam ad agendum præmotionem; ita consequenter ac multo magis ad actus supernaturales necessariam esse docent ejusmodi præmotionem seu prædeterminationem, in qua gratiæ efficacia adeo inevitabiliter reponi debeat, ut juxta Gonetum celebrem Thomistam Tom. 2. Disp. 6. art. 12. gratia, quæ physice voluntatem non prædeterminat ad actum salutarem, non sit, nec dici possit gratia per se & natura sua efficax ; iique sibi contradicant, ac pugnantia loquantur, qui gratiam admittunt ex se efficacem, & negant eam physice prædeterminare. Itaque in prædeterminantium systemate distinguenda est duplex gratia, specie & natura diversa : una excitans & mere sufficiens, altera prædeterminans & efficax. Excitans est virtus complens potentiam ; prædeterminans vero est actualis concursus prævius, quem, ut ait Alvares insignis itidem Thomista, Deus ex parte sua paratus est omnibus conferre. Prima dat verum, proximum, & completum posse simpliciter ; secunda dat agere. Prior est ex parte *actus primi*, & cum ea voluntas potest non agere etiam in *sensu composito ;* cum altera non potest quidem voluntas non agere, nisi in *sensu diviso ;* sed ea se tenet tantum

ex parte *actus secundi*, aut ad summum, est quid medium inter *actum primum*, & *actum secundum*, & transitus ab uno ad alterum; quatenus nempe, ut Thomistarum recentiores explicant, per eam Deus potentiam proximam bene operandi, quam homo habet per gratiam excitantem & mere sufficientem, physice determinat, applicat, & ad *actum secundum* reducit.

Porro ex duplici capite ejusmodi prædeterminantis gratiæ necessitatem repetunt Thomistæ: 1*mo*. ab essentiali causæ secundæ etiam liberæ ad Deum subordinatione in agendo, vi cujus necesse est, ut in omni actione etiam libera Deus natura prius agat, quam ipsa causa secunda, adeoque hæc non agat etiam libere, nisi dependenter a Deo ipsam præmovente & prædeterminante ad agendum libere. 2*do*. ex ipsamet voluntatis indifferentia, per quam sic activam esse volunt creaturæ voluntatem, ut non possit se in actum exerere sine prævia in ipsam Creatoris primique Motoris actione.

Quocunque autem modo præmotionem suam physicam, aut gratiam physice prædeterminantem exponant, in his quatuor omnes ejus Assertores necessario consentiunt. 1*mo*. gratiam omnem efficacem esse physice prædeterminantem. 2*do*. gratiam physice prædeterminantem in quocunque statu esse necessariam ad omnem actum salutarem. 3*tio*. eam antecedere omnem positivam voluntatis determinationem. 4*to*. eandem habere intrinsecam essentialemque connexionem cum actu, ita ut ea posita repugnet actum non esse, & ea non posita, impossibile sit actum esse.

III. Qui, repudiata physica Thomistarum præmotione, nihilominus gratiam natura sua efficacem tuentur, ii fere omnes Augustinensium, præsertim recentiorum systema hoc tempore amplectuntur. Augustinianæ Scholæ Theologi ex doctrina S. Augustini, duce fundatissimo Ægidio Columna, & utriusque interprete Gabardo, insigni ejusdem Ordinis Theo-

Theologo, docent, gratiam efficacem nihil aliud esse, quam actum dilectionis Dei super omnia, a Deo inspiratum & productum in nobis, trahentem indeclinabiliter voluntatem in Deum, ab actu secundo seu ipso actu salutari indistinctum. Unum propterea eundemque *realiter* actum sub duplici ratione considerant; quatenus nimirum qualitas est, quæ a Deo infunditur, & quatenus est actio, quæ simul a creatura profluit per eundem actum libere tendente in Deum. Et ut infrustrabilitatem gratiæ cum libertate voluntatis creatæ concilient, docent, eundem illum actum inspiratum, ut qualitas est a Deo infusa, esse voluntati necessarium; liberum vero, ut est actio voluntatis tendentis in Deum: ut qualitas est a Deo producta, esse aliqua ratione priorem; ut est actio a voluntate elicita, cum debita subordinatione posteriorem esse: denique ut qualitas est a Deo gratis data, esse gratiam actualem; ut vero est actio creaturæ libera, esse etiam meritum. Ita fere Ægidiani, seu anteriores Augustinianæ Scholæ Doctores.

At Recentiores paulo aliter ratiocinantur. Secundum eos, gratia universim est inspiratio sanctæ dilectionis a charitate actuali indistincta. Gratia vero efficax simpliciter, & absque tot *formalitatum* ambagibus dicitur esse victrix delectatio, seu charitas, quæ superat oppositam concupiscentiam, & voluntatem, non physice, sed moraliter, alliciendo nimirum & delectando, invincibiliter tamen & indeclinabiliter determinat ad actum salutarem. Hæc porro delectatio non eadem est in omnibus, sed modo efficax, modo inefficax, prout nempe in superiorem, aut inferiorem oppositam cupiditatem incurrit. Atque ut omnem Janseniani erroris suspicionem, quam ipsum delectationis victricis nomen doctrinæ huic conflare videtur, quam longissime a se amoveant, docent illius assertores, delectationem hanc indeliberatam quidem esse, quatenus inspiratur a Deo; ac proinde per primum actum indeliberatum hominem nihil mereri, nisi accedat liberi arbitrii deliberatus as-

assensus, cum sine indifferentia libertatis meritum haberi nequeat: at eandem illam delectationem victricem conjunctam esse cum deliberatione comparate ad opera, quæ efficiuntur a libero arbitrio hac delectatione excitato. Quamvis enim sit hæc gratia antecedens, & Deus sine nobis faciat, ut velimus; nihilo tamen minus per illam non proponitur nobis bonum sub omni ratione boni, quemadmodum proponitur Beatis per lumen gloriæ; ideoque remanet indifferentia judicii, & vera libertas, quam habere nequeunt Beati in patria. Quamobrem sequitur quidem ex hac victrici delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum, quod magis delectat; sed sequitur libere, quia non adeo in hac vita delectat bonum aliquod, ut nequeat in eo apprehendi ratio aliqua mali.

IV. Nonnulli Augustiniano huic de gratia systemati inhærentes, gratiæ efficaciam reponunt in præveniente delectatione, eaque moraliter determinante; quam tamen non omnes eodem modo explicant. Inter illos alii præmotionem in gratia moralem quidem admittunt, sed ex sese certam & infallibilem, qua voluntas præmota ad unum determinatur, ut gratiæ infallibiliter sit consensura, quamvis absolute dissentire possit. Nec differre videtur hæc opinio ab illa, quam paulo ante exposuimus. Alii vero motionem illam gratiæ simpliciter moralem dicunt, quæ non præmovendo, nec prædeterminando, sed suadendo, inclinando, & suaviter alliciendo, voluntatem ad bonum inclinat, & moraliter necessitat, eo fere modo, quo gravissima tentatio voluntatem sibi relictam moraliter necessitat ad consensum, illæsa libertate. Ita fere Ludovicus Habert Doctor Parisinus in sua Theologia Dogmatica & Morali Tract. de Gratia Cap. 6. §. 7. Ubi in Resolutione quæstionis hujus ex M. Grandin, cujus opinionem ibidem refert, ita argumentatur. *Deus per gratiam suam eo modo operatur in cordibus, voluntatesque moraliter determinat ad bonum,*

quo

quo dæmon per concupiscentiam moraliter determinat ad malum. Atqui dæmon per concupiscentiam moraliter determinat ad malum suaviter alliciendo. Ergo Deus moraliter determinat ad bonum per gratiam blande ac suaviter attrahentem. Alii cum Thomassino vim gratiæ ineluctabilem reponunt in multitudine, varietate, & conspiratione plurium auxiliorum tum internorum, tum externorum, quorum singula seorsim frustrari possunt effectu suo, & sæpe frustrantur, resistente voluntate; at omnia simul vel pertinacissimos ad consensum pertrahunt velut importunitate fatigatos; quemadmodum fere assiduæ amicorum preces & suasiones aut minæ aliquem diu reluctantem ad propositum tandem adducunt.

Quod nostrum sit de tam diversis Theologorum opinionibus judicium, aperient binæ, quæ sequuntur, Assertiones.

ASSERTIO PRIMA.

Gratia efficax non est physice prædeterminans.

V. EX plurimis, quæ contra gratiam prædeterminantem tam ab auctoritate, quam a ratione, non Theologica modo, sed & Philosophica depromi hic solent argumentis, pauca, eaque dumtaxat delibabimus, quibus ostenditur, gratiæ efficaciam cum libero hominis arbitrio in eo systemate conciliari vix posse.

Prob. itaque 1mo. Gratia efficax est ejusmodi, cui voluntas creata possit resistere, si velit, ut colligitur ex verbis Concilii Senonensis. Sed gratiæ prædeterminanti ad consensum voluntas, etiamsi velit, resistere non potest. Ergo. *Prob. min.* Stante gratia physice prædeterminante ad consensum, voluntas non agit ex propria determinatione. Sed eo ipso non potest pro suo arbitrio gratiæ resistere. Ergo. *Prob. maj.* Illud agens non agit ex propria determinatione, quod non agit,

agit, nisi dependenter ab actione prævia alterius in ipsum agentis natura prius, & insuperabiliter prædeterminantis ad agendum. Atqui posita prædeterminante gratia, voluntas non vult & operatur bonum, nisi dependenter ab actione prævia Dei, in ipsam agentis natura prius, quam velit & operetur hoc bonum, ipsamque insuperabiliter prædeterminantis ad hoc bonum volendum & operandum. Ergo voluntas in systemate præmotionis physicæ non vult & operatur bonum ex propria determinatione. *Min.* patet. *Maj.* sic videtur posse demonstrari: Illud agens non agit ex propria determinatione, quod agit cum antecedenti & inevitabili obligatione ad alteram partem contradictionis. Atqui agens, quod non agit, nisi dependenter ab actione prævia alterius in ipsum agentis natura prius, & insuperabiliter prædeterminantis ad hoc agendum, agit cum antecedente & inevitabili obligatione ad alteram partem contradictionis. Ergo.

Reponunt Thomistæ: antecedentem illam & inevitabilem obligationem ad alteram contradictionis partem se tenere ex parte *actus secundi* tantum, non vero etiam ex parte *actus primi;* integram proinde adhuc remanere arbitrii libertatem. *Contra* est, quod si detur etiam, remanere libertatem arbitrii; non tamen expeditum remanet illius exercitium, prout requiritur, ut voluntas reipsa possit, si velit, gratiæ resistere. Sicut enim antecedens & inevitabilis obligatio ad alteram contradictionis partem, tenens se ex parte *actus primi*, tollit libertatem arbitrii; ita antecedens & inevitabilis obligatio ad alteram partem contradictionis, se tenens ex parte *actus secundi*, manifeste videtur tollere expeditum libertatis arbitrii usum. Quid autem prodest, aut ad quid valet libertas illa, quæ nec exercetur, nec exerceri unquam potest, cujus proinde nullus expeditus est usus?

VI.

VI. *Prob. 2do.* Ex Concilio Trid. certum eſt, voluntatem poſſe diſſentire gratiæ cuicunque efficaci. Sed gratiæ phyſice prædeterminanti diſſentire non poteſt. Nam diſſentire gratiæ in ſenſu obvio, eſt, non ponere actum ſalutarem, ad quem actu movet gratia: ergo poſſe diſſentire, eſt poſſe non ponere actum ſalutarem. Atqui voluntas non poteſt non ponere actum ſalutarem, ad quem ponendum gratia actu inſuperabiliter prædeterminat, ut patet. Ergo.

Reſpondent: Voluntatem non poſſe non ponere actum ſalutarem, ad quem ab operante gratia phyſice prædeterminatur, impotentia dumtaxat conſequente: quia nempe tunc reipſa ponit actum illum, & ex hypotheſi quod ponat, non poteſt non ponere; alioquin poſſet ſimul actum ponere & non ponere, quod repugnat. At *contra eſt*, præter conſequentem illam impotentiam, quæ non repugnat libertatis exercitio, ſed illud neceſſario conſequitur, habere voluntatem aliam inſuper impotentiam antecedentem & inſuperabilem, ex eſſentiali gratiæ phyſice prædeterminantis incompoſſibilitate cum omiſſione actus profectám; quacum impotentia expeditum libertatis exercitium ſtare non poteſt, & quam proinde Synodus reprobat, cum definit, liberum hominis arbitrium efficaci gratiæ diſſentire poſſe, ſi velit. Unde ſic urgetur argumentum:

Tridentina Synodus, cum definit, *liberum hominis arbitrium a DEO motum, & excitatum ita cooperari, aſſentiendo DEO excitanti & vocanti, ut poſſit diſſentire, ſi velit;* definit, voluntatem ſaltem natura prius quam ponat actum ſalutarem, ad quem movetur a gratia, poſſe non ponere actum illum, adeoque actum illum ponere abſque omni antecedente & inevitabili obligatione ad illum ponendum; ſecus enim non poneret ex propria determinatione, ſed ad eum ponendum neceſſitaretur. Atqui ex hypotheſi, quod voluntas ad actum ſalutarem a gratia phyſice prædeterminetur, nequidem natura prius quam ponat actum illum, poteſt illum non ponere; cum antecedenter &

ſaltem natura prius ſit inevitabiliter ad illum ponendum obligata. Quamvis enim phyſica gratiæ prædeterminatio conſequatur potentiam agendi, attamen infruſtrabiliter antecedit actum, & eſſentialiter incompoſſibilis eſt cum omiſſione actus. Ergo gratia phyſice prædeterminans manifeſte repugnare videtur Tridentinæ definitioni.

Denique argumentum utrumque ita conſtringi, ac brevius formari poteſt. Gratia phyſice prædeterminans cum liberæ voluntatis arbitrio non ſatis cohæret, ſi voluntas ſine prædeterminatione illa non poſſit agere, ſimul vero cum illa nequeat non agere: libera enim non eſt voluntas, niſi agere & non agere ex æquo poſſit. Sed agere nequit voluntas ſine prædeterminatione phyſica, cum, ſi Thomiſtas audiamus, non agat, niſi prædeterminata: neque poteſt non agere, ſi jam prædeterminata phyſice ſupponatur; cum actionis omiſſio, iisdem conſentientibus, nequeat cum phyſica prædeterminatione componi. Ergo &c. Et ſane in *ſigno priori*, ut ajunt, ad phyſicam prædeterminationem, vel poteſt voluntas ſe ipſam determinare ad operandum, vel non poteſt. Si poteſt: ergo prædeterminatio fruſtranea eſt, quippe quæ non ponitur, niſi ut voluntas per eam determinetur. Si non poteſt: ergo voluntas non eſt libera; cum libertas indifferentiæ in eo ſit poſita, ut voluntas ad eam, quæ libuerit, contradictionis partem determinare ſe ipſam poſſit.

VII. *Prob. 3tio.* Juxta inſigniores quosdam Thomiſtas, voluntas noſtra non poteſt gratiæ phyſice prædeterminanti reſiſtere, niſi quatenus illa in gratia ſufficiente offertur: nam ubi data eſt, ſiquidem antecedit voluntatis determinationem, & eſſentialem habet cum actu, ad quem prædeterminat, connexionem, eidem reſiſti non poſſe, ipſi conſentiunt. Unde Alvares ait lib. 9. de auxiliis Diſp. 94. q. 4. poteſtatem reſiſtendi cadere in gratiam efficacem, non quatenus datur, ſed quatenus offertur in gratia ſufficiente: & ita explicat verba

illa

illa D. Thomæ Quodlibeto 2. art. 7. ad 2dum : *Sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.* Idem habet lib. 3. de auxiliis Disp. 18. N. 20. ubi diserte reponit libertatem voluntatis ad resistendum gratiæ per se efficaci in eo, quod *sit in facultate nostræ voluntatis se ipsam impedire, ne habeat illam motionem.* Ergo eo tota hæc recidit quæstio, utrum gratia sufficiens, qualem admittunt Thomistæ, sit vere sufficiens; & utrum per illius usum abusumve liberum voluntas possit sibi accersere, aut a se removere auxilium ulterius physice prædeterminans, quod requiritur ad ipsum actum. Ostensum est autem a nobis præcedenti Sectione non esse in voluntatis potestate sibi per bonum usum gratiæ sufficientis Thomisticæ auxilium ulterius physice prædeterminans accersere, cum ad illum ipsum bonum usum & consensum gratiæ sufficienti præstandum pariter requiratur physica prædeterminatio. Unde consequens est, neque penes voluntatem esse, per abusum ejusdem gratiæ sufficientis a se removere idem auxilium physice prædeterminans; præsertim si præmotio physica ad omnem simpliciter actum necessaria esse dicatur, atque adeo etiam ad abusum gratiæ sufficientis, qui positivum aliquem actum semper includit. Ergo si voluntas non potest aliter resistere gratiæ physice prædeterminanti, quam quia potest eam sibi in gratia sufficiente oblatam a se removere, restat, nullo sensu voluntatem gratiæ prædeterminanti resistere posse. Accedit, a prædeterminantibus nullo argumento probari, quod nunquam detur gratia efficax, nisi præcesserit gratia sufficiens, cui homo obsecutus fuerit. Ergo negare non possunt, aliquando saltem illam dari absque ullo prævio libertatis exercitio. Ergo si voluntas non potest aliter resistere gratiæ physice prædeterminanti, quam per antecedentem liberi arbitrii usum, manifestum est, tunc non posse ullatenus resistere. Ergo erit gratia aliqua efficax, cui voluntas nullo vero sensu possit resistere.

Reſpondetur ad Objecta.

VIII. OBjic. 1mo. Beneficio *ſenſus compoſiti & diviſi* conciliatur gratia phyſice prædeterminans cum libero arbitrio, dicendo, voluntatem non poſſe quidem ipſi diſſentire in *ſenſu compoſito*, ſed poſſe in *ſenſu diviſo*; quod ſufficit, ut libertatem retineat voluntas ſub gratia phyſice prædeterminante. Ergo. *Prob. antec.* explicando duplicis illius ſenſus diſtinctionem. Voluntatem poſſe reſiſtere gratiæ phyſice prædeterminanti in *ſenſu diviſo*, non eſt, ut vulgo creditur, & falſo Thomiſtis affingitur, non eſt, inquam, voluntatem habere potentiam non ponendi actum, ſi abeſſet gratia prædeterminans, qua afficitur, hoc enim ineptum eſt; ſed voluntatem conjungere potentiam non ponendi actum cum ipſo actu, quem efficit gratia phyſice prædeterminans. Itaque *ſenſus compoſitus* ille eſſet, qui duos conjungeret actus oppoſitos, nempe præmotionem gratiæ, & actionem illi contrariam, ſeu diſſenſum. *Senſus* vero *diviſus* eſt ille, qui non conjungit duos actus oppoſitos, ſed dumtaxat actum unum cum potentia ad alterum; ſic enim diviſi ſunt actus. Igitur voluntatem non poſſe reſiſtere gratiæ phyſice prædeterminanti in *ſenſu compoſito*, eſt; voluntatem non poſſe conjungere diſſenſum cum motione illius gratiæ, quod verum eſt: cum enim illa gratia ſit natura ſua efficax, eſſentialiter infert ipſum voluntatis conſenſum; ergo ſi voluntas poſſet ei reſiſtere in *ſenſu compoſito*, poſſet conjungere conſenſum cum diſſenſu, quod repugnat. At voluntatem poſſe reſiſtere gratiæ in *ſenſu diviſo*, eſt, voluntatem ſtante conſenſu, quem efficit gratia, habere adhuc potentiam non conſentiendi, quam potentiam, aut indifferentiam phyſica gratiæ prædeterminatio non tollit.

Reſp. Neg. antec. Ad *Prob.* admitto datam duplicis ſenſus, *compoſiti* nimirum & *diviſi* explicationem: ſed illius be-

ne-

neficio nihilo melius conciliari, contendo, gratiam physice prædeterminantem cum libero arbitrio, nisi ostendatur, voluntatem reipsa conjungere potentiam non agendi cum actu, quem ponit virtute gratiæ istiusmodi. Nego autem id recte ostendi unquam posse: quomodo enim retineretur potentia ad oppositum sub ea gratiæ motione, quæ & omnem voluntatis actum antevertit, & independenter a nobis & a nostra electione ponitur, habetque connexionem invincibilem cum actu? Profecto potentia ejusmodi nec proxima est, nec expedita, sed remota dumtaxat & ligata; quæ proinde omnem a voluntate vim sui determinativam, seu activam indifferentiam tollit. Voluntas quippe vi motionis Dei antecedentis & natura saltem præviæ, jam determinata supponitur; alias motio illa efficax non esset. Ergo indeterminata non remanet voluntas, nec consequenter suam conservat activam indifferentiam.

IX. *Inst.* Potentia non ponendi actum seu dissentiendi, & ipse dissensus sunt duo diversa. Ergo quamvis unum, nimirum ipse dissensus conjungi non possit cum physica prædeterminatione, poterit tamen cum illa conjungi alterum, videlicet potentia dissentiendi. Ita cum odio non potest conjungi amor, nec gratia sanctificans cum peccato; sed cum odio conjungitur potentia amandi, & cum gratia sanctificante potentia peccandi.

Resp. Conc. ant. Neg. conf. Nam potentia dissentiendi sub gratia physice prædeterminante non videtur magis stare cum ipso consensu, quam sub gratia simpliciter necessitante; cum antecedat voluntatis liberam determinationem, & ea stante impediri nequeat voluntatis determinatio. Ad paritatem dico, discrimen esse, quod odium non sit impedimentum amoris liberam voluntatis determinationem antecedens, sed dumtaxat consequens, & ab ipsa libertate pendens; quia qui libere odit, potest, ubi primum voluerit, odium deponere, alioquin non conjungeret cum odio potentiam amandi. Contra ho-

homo physice prædeterminatus non potest prædeterminationem abjicere, & actum omittere. Similiter cum gratia sanctificante stat potentia peccandi, quia homo justus potest justitiam amittere, ponendo actum justitiæ oppositum. Dicatur pariter homo prædeterminatus posse abjicere prædeterminationem, & fatebimur eum cum illa prædeterminatione ad actum conjungere potentiam non agendi. Hic unicus est *sensus divisus*, cujus ope conciliatur gratia physice prædeterminans cum libero arbitrio: sed sensus ille divisus locum non habet in sententia Prædeterminantium.

Si *dicant*: In hominis potestate est, prædeterminationem physicam abjicere & antecedenter impedire, scilicet in gratia sufficiente eandem sibi oblatam respuendo. Ergo locum habet sensus ille divisus, cujus ope gratia prædeterminans cum libero arbitrio concilietur.

Resp. Neg. ant. inhærendo principiis Thomistarum. Haud equidem diffiteor, posse prædeterminationem physicam antecedenter impediri, si supponatur aliqua anterior gratia sufficiens, e. g. orationis, quæ non sit physice prædeterminans, cui proinde libere consentiendo voluntas sibi accerseret gratiam ulteriorem physice prædeterminantem: tunc enim vero intelligeretur, quomodo posteriorem hanc gratiam voluntas abjicere, eidemque resistere possit non quidem datæ, sed oblatæ in gratia priore sufficiente, per cujus liberum usum aut abusum accerseret sibi, aut respueret gratiam ulteriorem physice prædeterminantem: nam in hac hypothesi gratia se ipsa efficax, aut physice prædeterminans non afferret nisi necessitatem consequentem. Sed cum in Prædeterminantium sententia gratia ab intrinseco efficax & physice prædeterminans ita sit necessaria ad agendum, ut absque ea nihil quidquam agatur, proinde etiam illa anterior sufficiens gratia, ut bonum aliquem effectum sortiatur, debeat esse physice prædeterminans; fateor, me non satis intelligere, quomodo gra-

tia

tia illa de se efficax antecedenter impediri possit, & cum libero hominis arbitrio conciliari. Gratia enim, quam antecedenter oblatam voluntas non potest sibi pro arbitrio accersere vel respuere, & qua data repugnat non poni actum, videtur inferre necessitatem antecedentem & physicam, cum qua nemo Catholicorum dixerit stare posse libertatem ad merendum ac demerendum necessariam.

Ostendant igitur Thomistæ, gratiam sufficientem, qualem admittunt, esse vere sufficientem, & per ejus liberum usum aut abusum, qui nempe non supponat necessitatem anterioris physicæ præmotionis, voluntatem posse sibi accersere aut respuere ulteriorem gratiam physice prædeterminantem; id, inquam, ostendant, in eo enim veluti cardine verti volumus totam hanc controversiam; hoc unum objicimus argumentum, & quamdiu solutum non fuerit, cæteris non utemur, quibus ista solet sententia impugnari: neque proinde examinabimus, an idoneæ sint, quæ a Thomistis adferuntur ad ea argumenta responsiones.

.Qui hujus se argumenti difficultate premi sentiunt, ut inimicam libertati agendi necessitatem quacumque demum ratione evitent, ad judicii indifferentiam recurrunt, qua stante, voluntatis pariter indifferentiam ac libertatem integram stare posse, contendunt. Itaque

X. *Objic. 2do.* cum Bannes 1. p. q. 19. a. 10. & Alvares, de auxil. Disp. 116. Concl. 5. n. 9. Indifferentia judicii, rationis, seu objecti, id est, ut loquitur Alvares, *Judicium, quo intellectus proponit voluntati ipsum objectum, ut amandum non ex necessitate, sed cum indifferentia activa ipsius voluntatis ad utrumlibet, quia videlicet judicat tale objectum propositum non habere necessariam connexionem cum fine, & cum bono, ad quod amandum voluntas est naturaliter determinata, est ita radix libertatis, quæ formaliter residet in voluntate, ut impossibile sit, quod voluntas per illud judicium feratur in tale objectum,*

ctum, *& quod absque libertate velit illud.* Unde infert Bannes loc. cit. *Quidquid antecesserit, vel comitabitur, vel supervenerit ad actum voluntatis, si non tollit judicium illud circa medium respectu finis, non destruet libertatem operationis.*

Atqui prædeterminatio non tollit indifferentiam judicii. Ergo nec libertatem.

Resp. Neg. maj. multiplici ex capite: 1*mo.* quia, cum indifferentia activa voluntatis, in qua consistit libertas, reipsa distinguatur ab indifferentia judicii, non est, cur hac stante, illa non possit tolli a Deo, voluntatem nostram ex necessitate ad unum determinante, sive per physicam præmotionem, sive per inclinationem aut motionem innaturalem adeo efficacem, ut voluntas nulla ratione ei possit resistere. 2*do.* Quia potest Deus, stante indifferentia judicii, voluntatem necessitare ad non agendum, ei ad omnem actionem negando suum concursum, sine quo non potest agere: ergo etiam ad agendum, eam vi adeo insuperabili impellendo, ut illi nullo modo possit resistere. 3*tio.* Quia Calvini ferreum decretum, absoluta necessitate ad unum devinciens, & Janseniana delectatio victrix tollit libertatem, non tamen judicii indifferentiam; quam, hæreticis æque ac nobis experientia constat, homini competere etiam in statu naturæ lapsæ. 4*to.* Quia Lutherani, Calvinistæ, aliique liberi arbitrii hostes jurati nunquam negarunt indifferentiam judicii, seu cognitionem objecti sub ratione boni & mali, quam peccantes in se experiebantur; nulli enim Patres aut Scholastici eos oppugnantes, illis unquam opposuerunt, quod tollerent indifferentiam judicii: damnantur tamen ab Ecclesia ut hæretici, eo quod negent ipsam libertatem, non quoad eam revera admittentes, negent ejus appellationem, seu eam pertinaciter nolint nominare libertatem: cum definitiones Tridentini, & aliorum Conciliorum contra Zwinglium, Lutherum, & Calvinum: Innocentii X. & Alexandri VII. contra Jansenium non sint de vocibus, sed de rebus. Ergo li-

libertas est facultas, quæ negari potest non negata judicii indifferentia, & consequenter tolli, hac non sublata.

XI. *Inst.* Non potest haberi practica indifferentia judicii, nisi habeatur plena advertentia, quod voluntas hic & nunc absolute possit agere, & non agere; adeoque quod non sit coarctata, & alligata ad unum. Ergo repugnat Deum necessitare voluntatem, & simul perseverare judicium practice indifferens. Ergo hoc stante, non potest illa necessitari.

Resp. Neg. seq. Potest namque voluntas per divinam impressionem alicujus motionis necessitantis, aut subtractionem concursus ita ad agendum aut non agendum necessitari, ut intellectus id non deprehendat, ac proinde pergat judicare, quod tum ex parte objecti, tum ex parte voluntatis stet potentia ad utrumlibet, atque ita habeat judicium practice indifferens. Ita Joanni a S. Tho. respondet ex eodem illustri Prædicatorum ordine Joannes Martinez de Prado, *Controversiarum. Metaphys.* p. 2. *Controv.* 2. *de causa libera* art. 5. §. 2. & 3. ubi deserta communi Thomistarum sententia cum M. Serra ejusdem Familiæ docet, posse Deum, stante judicii indifferentia, voluntatem necessitare, quo casu, inquit, *esset operatio voluntatis æstimata libera in re necessaria; ad hoc enim sufficit, quod ab uno principio necessitetur.* Porro quod Deus possit per impressionem alicujus motionis necessitantis, aut subtractionem concursus ad agendum requisiti, modo nunc exposito, voluntatem necessitare, sic, ut intellectus id non deprehendat, patet ex eo, quod ista non cadant sub experientiam, aut aliam notitiam naturalem, qua in seipsis aut in aliquo suo effectu cognoscantur. Non enim potest intellectus experientia, aut ratione ulla deprehendere, dum e. g. amat, sibi subtractum esse concursum ad odium, si forte Deus illum subtrahat: neque dignoscere potest divinæ illius motionis, qua hic & nunc determinatur voluntas ad agendum, proprietates, e. g. sitne in substantia supernaturalis, an naturalis;

natura sua connexa cum actu, non solum ex aliqua suppositione extrinseca; sitne prævia, an concomitans; physice prædeterminans, an solum moraliter; necessitans necessitate antecedente, an solum consequente &c. Prædeterminantium certe neminem adeo perspicacem esse puto, ut natura prius, quam agat, in se ipso deprehendat prædeterminationem, qua in posteriori determinetur ad agendum.

XII. *Objiciunt 3tio* Thomistæ auctoritatem Pontificum, Conciliorum, Sanctorum Patrum; innumeraque eorum congerunt testimonia, quibus evidenter adeo physicam præmotionem evinci putant, ut nemo, eorum judicio, contrarium sentire sine piaculo possit. Ea porro hic adferre prætermittimus, tum ut brevitati consulamus, tum quia nonnullis sequenti Capite opportunius respondebimus, plerisque vero una responsione fit satis. Itaque

Resp. Ea omnia testimonia, quæ pro physica prædeterminatione pugnare Thomistis videntur, intelligenda esse vel de motione generali humanæ voluntatis ad bonum in genere, quæ nihil est aliud, quam inclinatio quædam, seu propensio ab authore naturæ hominibus indita, per quam in bonum generatim semper feruntur; vel de motione illa speciali, qua Deus voluntatem humanam allicit, excitat, atque invitat, modo justæ suæ vindictæ, modo misericordiæ exempla nobis ob oculos ponendo, ut a vitiis nos retrahat, & ad virtutem exstimulet; vel denique de motione ipsa efficaci, per quam *operatur in nobis*, ut loquitur Apostolus, *& velle, & perficere pro bona voluntate*, ad Philip. c. 2. v. 13. In quibus tamen omnibus ne vestigium quidem ullius præmotionis aut prædeterminationis physicæ apparet. Quin extant plurima alia eorundem Conciliorum, Pontificum, & Patrum testimonia, quæ illi manifeste adversantur: est præterea Theologorum pene omnium, præter Thomistas, hoc constans judicium, prædeterminantium doctrinam cum libertate creata haud satis cohærere.

Quid

Quid quod nec omnes Thomiſtæ, nec ipſe D. Thomas prædeterminationi phyſicæ patrocinari videatur. Has certe voces, *prædeterminatio phyſica*, *qualitas phyſice prædeterminans*, *prædeterminare*, *aut phyſice præmovere*, nuſquam uſurpavit S. Doctor, nec illarum vim explicuit, ut proinde, non diffitentibus Adverſariis, phyſica prædeterminatio D. Thomæ ſaltem quoad nomen ignota fuerit; ex quo recte infertur, etiam quoad rem ipſi incognitam fuiſſe. Si enim ejusmodi qualitatem agnovit & admiſit, qui fieri potuit, ut Doctor, ob eximiam difficillima quæque explicandi claritatem, cognomento Angelicus, nunquam uſus fuerit vocibus adeo obviis, & ad ejusmodi qualitatem proprie explicandam unice aptis & neceſſariis; ſed ſemper omnibus in locis, quæ ut ſibi faventia hactenus citarunt Adverſarii, qualitatem iſtam (ſiquidem de illa agere intenderit) terminis adeo obſcure & improprie ſignificantibus deſcripſerit, ut in ſenſu plano & obvio omnino aliud exprimant, nec ullam prædeterminationis phyſicæ ſpeciem ingerant, niſi oculis prædeterminatione phyſica ſuffuſis, quibus omnia videntur hac qualitate inſperſa, ſicut fere ictericis omnia repræſentantur flavedine tincta. Qui enim oculo phyſicarum præmotionum ſpeciebus non imbuto ea intuetur, potius phyſicæ prædeterminationi contraria deprehendet.

Thomiſtas quod attinet, ut plures alios omittam, ſufficiet vulgatum, illud ſed certiſſimum teſtimonium duorum ex ſacro Prædicatorum Ordine magni nominis Virorum, videlicet P. M. Campanellæ, & R. P. Turci, totius Ordinis Generalis, quorum primus ſic ſcribit lib. de Prædeſt. & Reprob. art. I. *Doctores prædeterminantes invitum trahunt S. Thomam pro ſua ſententia.* Et alter F. Toloſano, in magno PP. Dominicanorum Conventu prædeterminationes phyſicas pro viribus tuenti palam, ſemel & iterum dixit: *Fateor, prædeterminationes phyſicas eſſe doctrinam plurium Thomiſtarum, ſed a S. Thoma longe aberrantium; quibus ſi mihi oſtenderis S.*

 Tho-

Thomam alicubi favere, *promitto tibi Magisterium*: Cujus dicti habetur testimonium plurium S. Theologiæ Doctorum, qui Disputationi præsentes aderant, jurejurando firmatum, & Notarii publici chirographo munitum, ut refert Henricus de Cerf S. Theol. Doct. in Opusculo, quod inscripsit *Controversia inter Angelici Doctoris Sectatores &c.*

XIII. *Instant:* Thomistarum circa gratiam doctrinam nostro hoc etiam tempore duorum Summorum Pontificum, qui nunc gloriose Ecclesiam gubernantem Benedictum XIV. proxime antecesserunt, nempe Clementis XII. & Benedicti XIII. Apostolico Diplomate plurimum commendari. Etenim Benedictus XIII. die 6. Nov. an. 1724. Breve edidit ad universum Prædicatorum Ordinem, in quo illius Religiosos ita alloquitur: *Magno igitur animo contemnite*, *dilecti Filii*, *calumnias intentatas sententiis vestris*, *de gratia præsertim per se & ab intrinseco efficaci*, *ac de gratuita prædestinatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum*, *quas laudabiliter hactenus docuistis*, *& quas ab ipsis Sanctis Doctoribus Augustino & Thoma se hausisse*, *& verbo DEI*, *Summorumque Pontificum & Conciliorum decretis*, *ac Patrum dictis consonas esse Schola vestra commendabili studio gloriatur.* Unde sic arguunt 1*mo*. Diploma istud Pontificium maximam auctoritatem conciliat sententiæ prædeterminantium de gratia per se efficaci, qualis docetur in eorum Scholis. Nam Summus Pontifex sententiam illam docet suam esse, *eodem*, inquit, *lacte nos aluit*, scilicet Schola S. Thomæ, in qua educatus fuerat.

2*do*. *Calumnias* appellat ea, quæ adversus sententias Thomistarum de gratia per se efficaci adducuntur ab Adversariis, quorum præcipui sunt defensores scientiæ mediæ Molinianæ.

3*tio*. Judicat eam sententiam esse veram, utpote fundatam in Scripturis, consonam doctrinæ Patrum, & haustam ex SS. Augustino & Thoma: alioquin dicere non poterat, Domi-

minicanos *laudabiliter eam docere, & commendabili studio gloriari se illam hausisse ex Augustino & Thoma &c.*

Resp. ad 1mum. Non negamus, Benedictum XIII. in sacro Prædicatorum Ordine eodem fuisse nutritum lacte atque alios omnes ejusdem Ordinis homines, & ex eadem Schola hausisse doctrinam de gratia physice prædeterminante, qua necesse est eos omnes imbui, qui ejus Ordinis vestem induunt. Fatemur insuper, illum retinuisse semper, nunquamque deposuisse eam doctrinam ut privatum Doctorem. Sed si ut Summus Pontifex, & Christi in terris Vicarius consideretur, negamus eum ullam habuisse sententiam, nisi quam habere cogit fides Catholica, cujus depositum ipsi creditum erat. Inter varias opiniones Scholis Catholicis permissas nullam amplexus est, alia rejecta: neque res aliter esse potest, ex hypothesi, quod opiniones illæ ab Ecclesia vere permittantur, & eas defendere homini Catholico liceat. Igitur Benedictus XIII. significando hanc sententiam esse suam, de se locutus est ut privato Doctore in istis Scholis educato.

Resp. ad 2dum: Calumniæ, de quibus loquitur Benedictus XIII. non sunt argumenta ab Anti-prædeterminantibus adversus Thomistarum sententiam adferri solita. Nam ipse aperte declarat, quænam sint istæ calumniæ, quinam isti Thomistarum adversarii. Nimirum Quesnelliani sunt, qui calumniabantur per Constitutionem *Unigenitus* damnatas esse sententias Thomistarum de Gratia per se efficaci, & de gratuita prædestinatione ad gloriam. De hominibus enim se loqui declarat, qui obtendunt erroribus damnatis per prædictam Constitutionem Augustinianæ & Angelicæ doctrinæ nomen, indeque audent detrahere authoritati Apostolicæ, & Thomistarum existimationi, eorumque doctrinam ejusdem Constitutionis censuris notisque inustam esse calumniantur, ad conflandam memoratæ Constitutioni invidiam.

Resp. ad 3tium. Hortatur quidem Summus Pontifex Dominicanos, ut contemnant Quesnellianorum calumnias, & pergant prædictas sententias tueri, ut fecerunt hactenus; sed aliis Scholis non tollit libertatem, qua hucusque potitæ sunt, eas sententias impugnandi. Dicit quidem, eos *laudabiliter docuisse* sententias istas. Et vero eas Catholice docuerunt & defenderunt, negando scilicet consectaria omnia, quæ sicut ex Jansenii, ita & ex eorum principiis contra fidei dogmata sequi videntur, & oppositam doctrinam absque nota vel censura refutando; quod est sententiam permissam *laudabiliter* defendere. Addit Summus Pontifex Thomistarum *Scholam commendabili studio gloriari*, hausisse se suam illam doctrinam ex SS. Augustino & Thoma, consonam esse Verbo Dei &c. Nemo autem id nescit, aut negat: nam statim atque opinio aliqua permittitur in Ecclesia Catholica, & prohibitum est, eam ulla censura notare, procul dubio ejus opinionis assertores *commendabili studio gloriantur*, eam esse consonam regulis fidei, & id commendabili studio probare satagunt. Verum an propterea credendum est, opinionem ejusmodi esse veram, haustam ex SS. Patribus, regulis fidei reipsa consonam? Minime sane: nam alioquin non esset sententia mere permissa, sed ad fidei dogma accederet, quod nec Benedictus XIII. nec ullus Romanorum Pontificum de prædeterminatione physica unquam asseruit.

At saltem, *inquiunt*, credendum est, eam non esse libertatis inimicam, nec licitum erit, ut Conciliorum definitionibus dissentaneam impugnare. *Resp. Neg.* Si enim ejusmodi sententiam refutare licet, nil vetat, quo minus dicatur, eam cum hominis libertate non satis cohærere, atque propterea Conciliorum definitionibus minus consentaneam videri; neque enim aliter Theologice refutari potest.

Urgent: Summus Pontifex declarare non potest, eam sententiam *laudabiliter* defendi a Thomistis, de qua licitum est di-

dicere, esse minus consonam regulis fidei. *Resp.* iterum *Neg.* assertum. Si enim sententia Thomistarum ex una parte, & sententia Molinianorum ex altera pariter ab Ecclesia defendi permittatur, declarare potest Summus Pontifex, laudabiliter defendi a Thomistis sententiam, quæ videtur Molinianis non esse consentanea regulis fidei; & vicissim declarare poterit, laudabiliter defendi a Molinianis sententiam, quæ Thomistis videbitur non bene regulis fidei consentire; quod re ipsa a non uno ex Benedicti XIII. Prædecessoribus declaratum est. Quemadmodum & Sixtus IV. in Bulla, quam confirmavit Sixtus V. ita commendavit doctrinam S. Bonaventuræ, quam doctrinæ D. Thomæ non ubique consonam tota Schola Scotistica sequitur, ut dicere non dubitaverit, Spiritum S. ore Beati Bonaventuræ locutum esse. Rejiciunt autem Scotistæ Duce D. Bonaventura gratiam physice prædeterminantem. Poterat igitur dici, Scotistas laudabiliter tueri ut consonam regulis fidei sententiam oppositam sententiæ Thomistarum, quam hi etiam laudabiliter defendunt.

Quod respondimus hactenus ad Breve Benedicti XIII. dictum pariter putetur de Bulla Clementis XII. in qua impense commendatur gratia per se efficax, qualis in Thomistarum Scholis docetur. Voluit nimirum Scholarum tranquillitati consulere vigilantissimus Ecclesiæ Pastor, ut liquet ex Brevi Apostolico postea emanato, in quo redarguitur eorum pertinacia, qui etiamnum contendunt censuris latis in Constitutione *Unigenitus* doctrinam SS. Augustini & Thomæ de divinæ gratiæ efficacia esse perstrictam. Deinde interdicit, ne ulla ratione notam aut censuram aliquam Theologicam Scholis diversa sentientibus inurere aliquis audeat. Non tamen libertatem, qua hactenus potitæ sunt, iis tollere intendit, neque oppositas, quæ Doctoribus Catholicis hucusque sunt permissæ, sententias prohibere. Ergo nunc etiam vetitum non est, sententiam Thomistarum impugnare; & quamvis nulla censura

eam

eam notare liceat, licet tamen dicere, id quod nos unum asserimus, non videri sententiam illam recte cohærere cum dogmate de libertate humana, & cum doctrina ac definitionibus Conciliorum.

ASSERTIO SECUNDA.

Gratia efficax non est inspiratio sanctæ dilectionis, aut delectatio victrix, superans oppositam concupiscentiam, & voluntatem moraliter necessitans, vel determinans ad actum salutarem; quocunque demum ex supradictis modo moralis illa necessitas vel determinatio exponatur.

XIV. PRobatur *Assertio per partes.* Triplex potissimum est in eo systemate, ut supra diximus, gratiæ divinæ efficaciam explicandi modus.

Primus Augustiniano-Ægidianorum, qui gratiæ efficaciam reponunt in actu amoris Dei super omnia, inspirato a Deo, & trahente indeclinabiliter voluntatem ad consensum. Verum inspiratio ejusmodi sanctæ dilectionis non magis cohæret cum libertate creata, quam physica Thomistarum prædeterminatio. Ad illam namque requiritur, prout jam ostensum est, ut voluntas natura prius, quam agat, habeat potentiam proximam & expeditam ad utrumque libertatis extremum, adeoque in ejus potestate sit tam actio, quam omissio actionis. Sed neutra est in potestate voluntatis ex hypothesi actus inspirati, qualem illius Assertores admittunt. Ergo. *Prob. min.* Non est in illius potestate actus inspiratus, ut qualitas a Deo infusa. Sed eo ipso nec est in ejus potestate actus inspiratus, prout est actio voluntatis creatæ. Ergo. *Maj.* patet, qualitas enim illa a solo Deo libere & gratuito infunditur. *Min.* etiam negari non potest, unus namque & idem est *realiter* actus, sub diversa dumtaxat ratione qualitatis & actionis considerationis

fide-

ſideratus. Unde rurſus ita arguitur. Qui poteſtatem non habet evitandi antecedenter actum inſpiratum ut qualitatem, is pariter poteſtatem non habet evitandi eundem actum ut actionem. Atqui voluntas creata, ſaltem natura prius quam agat, poteſtatem non habet evitandi actum inſpiratum ut qualitatem, utpote quam a Deo neceſſario recipit. Ergo nec ut actionem. Accedit, quod gratia efficax a Concilio Trident. Seſſ. 6. c. 5. dicatur *præveniens*, *excitans*, *adjuvans ;* quæ locutiones in vero ac proprio ſenſu acceptæ ſignificant gratiam efficacem eſſe auxilium reipſa diſtinctum ab actu noſtro ſalutari : quis enim dicat, ſi vere ac proprie loqui velit, unum eundemque actum, etiam ſub diverſa ratione conſideratum, *prævenire*, *excitare*, & *adjuvare* voluntatem ad ſeipſum, quod tamen in hac ſententia dici debet ; idem namque actus, ut eſt qualitas a Deo infuſa, præveniret, excitaret, & adjuvaret voluntatem noſtram ad eliciendum ſe ipſum, ut eſt actio noſtræ voluntatis.

Reponunt Ægidiani : illud quod Deus operatur in nobis ſine nobis, eſt gratia Dei, juxta illud Apoſtoli ad Philip. 2. *Deus eſt*, *qui operatur in nobis & velle & perficere.* Atqui Deus operatur in nobis ſine nobis dilectionem ipſius. Ergo dilectio Dei eſt gratia ipſius. *Prob. min.* ex S. Auguſtino, qui lib. de Grat. Chr. c. 6. gratiam efficacem ita deſcribit: *Sic vult homo*, *ut tamen ejus voluntati Deus ardorem dilectionis inſpiret : & ſic operatur homo*, *ut tamen Deus cooperetur*, *ſine cujus adjutorio quis eſt homo ?* Hinc Eccleſia petit infundi nobis a Deo actum dilectionis Dei, cum Dom. 5. poſt Pent. ita orat : *Deus*, *qui diligentibus te bona inviſibilia præparaſti*, *infunde cordibus noſtris tui amoris affectum*, *ut te in omnibus*, *& ſuper omnia diligentes &c.* Ergo a Deo infunditur dilectionis actus, non a nobis elicitur ejus dumtaxat mediante auxilio.

Contra eſt, id totum verum eſſe, ſi ſermo ſit de affectu dilectionis indeliberato, qui nobis prævie a Deo infunditur,

& voluntatem noſtram ad eliciendum actum deliberatum dilectionis movet & adjuvat. Quin ipſe iſte actus deliberatus & meritorius eſt donum Dei, juxta illud Tridentini Seſſ. VI. c. 16. *Cujus tanta eſt erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.* Hoc tamen non obſtante, cum Synodus eadem Seſſ. c. 5. gratiam efficacem vocet *prævenientem, excitantem, adjuvantem*, ut eæ locutiones veram ac propriam habeant ſignificationem, dicendum videtur, actum dilectionis nobis a Deo prævie inſpiratum re ipſa diſtingui a noſtro actu ſalutari, illum enim Deus in nobis ſine nobis operatur, hunc vero cooperatur nobiscum, ut ipſe loquitur Auguſtinus loco cit. Ad quem proinde dico, nos nequaquam negare, gratiam actualem a S. Doctore conſtitui in actibus & effectibus ſupernaturalibus, indeliberatis, nobis a Deo infuſis & inſpiratis, cujusmodi actus ab omnibus Theologis conformiter ad Concilium Arauſicanum & Trident. *inſpirationes* vocantur: ſed actus iſtos indeliberatos & a Deo infuſos eſſe ſimul actus noſtros ſalutares, meritorios & deliberatos, nullibi affirmat S. Doctor. Quin potius per illa verba, *ſic operatur homo, ut tamen Deus cooperetur*, ſignificat, actus illos & affectus habere rationem principii cooperantis & adjuvantis voluntatem noſtram ad eliciendos actus ſalutares. Omnis enim actus ſalutaris & meritorius eſt a Deo, tum prævie in nobis ſine nobis operante per gratiam excitantem, tum ſimul nobiscum cooperante per gratiam adjuvantem, quæ eſt principium actus, non ipſe actus meritorius. Id nempe eſt de ratione Cauſæ primæ, primique Agentis, concurrere cum omnibus cauſis ſecundis duplici concurſu: uno prævio, altero ſimultaneo, utroque conditioni cauſarum, & effectuum accommodato. Unde facile colligitur, quid ad Eccleſiæ orationem dici debeat. Illis ſcilicet verbis: *Infunde cordibus noſtris tui amoris affectum*, continenter ſubjungit Eccleſia: *Ut te diligentes &c.* quibus ſufficienter diſtinguitur inter

ter affectum amoris nobis prævie a Deo infusum, & actum dilectionis libere a nobis elicitum. Merito igitur oramus cum Ecclesia, illum nobis a Deo infundi amoris affectum, quo tanquam principio & adjutorio infallibiliter moveamur, & adjuvemur ad eliciendum actum dilectionis deliberatum & meritorium.

XV. *Alter* a priore paulo diversus gratiæ efficacis explicandæ modus est per delectationem victricem, moraliter prædeterminantem in sensu recentiorum Augustinianorum. Sed & ista opinio (ut jam priore Sect. monuimus) substituta dumtaxat motione morali in locum physicæ ac Thomisticæ prædeterminationis, iisdem fere obnoxia est difficultatibus. Eas quidem sibi utcunque fideliter objicit Cl. Berti Lib. XIV. Theol. Discipl. C. 11. sed num etiam feliciter adeo, ut ipse sibi videtur, easdem complanet, tantisper videamus.

Ante omnia argumenti illius, quo gratiæ per se efficacis cum libertate concordia impugnatur, se minime deterreri ait, cum ipse Augustinus fateatur esse perdifficile, libertatem concordare cum gratia. *Quare*, inquit Bertius N. 2. *si nobis responsio nulla succurreret, fateremur ignorantiam nostram, non tamen denegaremus gratiam per se efficacem, reponentes, dari liberum arbitrium, dari gratiam, & hanc trahere illud modis miris atque ineffabilibus.* Itane vero? id si valet, dicam pariter, dari liberum arbitrium, dari delectationem relative victricem, & hanc trahere illud miris atque ineffabilibus modis. Nunquid ita reponere poterant? & reipsa reposuerunt Janseniani Catholicis objicientibus, per delectationem relative victricem penitus everti libertatem. Jansenius certe l. 6. de Gr. Chr. c. 34. aperte profitetur, *non solum coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est, eam ad utrumque indifferentem esse, se perlibenter fateri.* Et c. 20. lib. 8. *Liberum arbitrium*, inquit, *ante gratiam, quemadmodum etiam sub gratia, indifferentiam contra-*

 tra-

trarietatis & contradictionis habet, ita videlicet, ut quibuscunque positis, quæ ad agendum bonum aut malum reposita sunt, possit liberum arbitrium in hac vita facere bonum & malum, facere alterutrum, & non facere. Idem pluribus aliis in locis affirmat. Neque aliter loquuntur ejusdem Discipuli, quos tamen propterea ab errore immunes nemo Catholicorum pronunciaverit: quia videlicet verbotenus dumtaxat liberum arbitrium asserere censentur, quamdiu delectationem illam relative victricem admittunt, quæ Ecclesiæ Catholicæ judicio cum libero hominis arbitrio stare nequaquam potest. Quamvis igitur ex S. Augustino *difficilis sit ad discernendum* hæc quæstio, satis tamen esse non debet Doctori Catholico, fateri ignorantiam, & asserere, dari liberum arbitrium, admissa interea tali gratiæ efficacia, quæ cum illo ægre admodum conciliari posse videatur.

Mirari igitur non debet Cl. Bertius, si responsis ejusmodi non acquiescant Adversarii, sed ab eo requirant, ut dilucide explicare velit, qua ratione, stante delectatione victrice, quæ voluntatis consensum saltem natura antecedit, cum eo essentialiter connexa est, & ad illum voluntatem invincibiliter determinat, integra stet & remaneat voluntatis libertas. Huic enimvero difficultati se jam antea occurrisse, & argumentum istud non semel a se contritum, ait laudatus Author, atque inprimis l. 4. c. 13. ubi ex certis quibusdam regulis ibidem traditis, & quinta præsertim, quam hic compendio repetit, docet liberam esse voluntatem circa omne bonum, quod in se non habet plenitudinem bonitatis, & etiam circa bonum incommutabile, quotiescunque non videtur in se, ut contingit in patria; ubi idcirco non remanet, comparate ad ultimum finem, indifferentia judicii, nec libertas a necessitate. Contra vero cum nobis in via adhuc constitutis per inspirationem sanctæ dilectionis non proponatur bonum sub omni ratione boni, neque nos adeo delectet

ctet in hac vita bonum aliquod, ut nequeat in eo apprehendi ratio aliqua mali, ideo remanet indifferentia judicii, & vera libertas, quam habere nequeunt Beati in patria. Ita ille.

Sed probare insuper debuisset Vir Clarissimus, indifferentiam judicii sufficere ad veram libertatem, neque hanc tolli posse, illa non sublata. Nos contrarium supra ostendimus adversus Thomistas non levibus argumentis, quibus quamdiu responsum non fuerit, constanter negabimus, sub motione delectationis victricis voluntatem ad consensum infrustrabiliter determinantis remanere veram potestatem ad oppositum eo ipso, quod eidem non proponatur bonum sub omni ratione boni, quemadmodum proponitur Beatis per lumen gloriæ.

Ad definitionem Concilii Trid. declarantis, liberum arbitrium *a Deo motum & excitatum posse dissentire, si velit*, respondet Bertius N. 3. eam definitionem optime quidem exponi posse cum Thomistis per sensum compositum & divisum: attamen se, priori responsioni suæ insistendo, ultro concedere, posse hominem dissentire etiam in sensu composito vocationis & excitationis divinæ, cum talis excitatio non sit luminis gloriæ & charitatis consummatæ, sed illuminationis & dilectionis, quæ consistit cum indifferentia judicii; nunquam tamen eventurum, ut sub tali divinæ gratiæ excitatione dissentiat. *Aliud enim est*, inquit, *posse dissentire, & aliud dissentire reapse: stat quippe sine actu potentia, & plura possumus facere, quæ non facimus.* Et Num. præcedente dixerat: *Nunquam eveniet, ut non amplectamur liberrima voluntate, quod nos magis trahit, magisque delectat, quamdiu illa delectatio, bona voluntas, & deliberatio animi perseverat; & nihilominus id potest evenire: quoniam ea delectatione non absorbetur voluntas a plenitudine bonitatis, ideoque potest alio amore,* nempe opposito, *superari; etsi non superabitur, donec Spiritu S. inflammante charitas Dei vincat pugnantem cupiditatem. Ita quamdiu teneor amore servandi propriam vitam, aut determi-*

minate volo sedere, vel ambulare, nunquam me præcipitem dabo, nunquam ab opere, quod volo, desistam; possum tamen velle & facere oppositum.

Contra primam responsionem est, per sensum compositum ac divisum delectationis Augustinianæ haud melius exponi Concilii definitionem, quam per sensum compositum & divisum prædeterminationis Thomisticæ. Nam illa non minus quam hæc habet connexionem invincibilem cum actu, & independenter a nobis & a nostra electione ponitur, omnemque voluntatis actum antevertit, fatente Bertio c. 8. n. 18. *Gratiam efficacem antecedentem esse, & Deum per eam facere sine nobis ut velimus.* Ergo sub motione delectationis victricis moraliter determinantis tam parum retinetur potentia ad oppositum, quam sub motione prædeterminationis physicæ. Ergo in neutro systemate per distinctionem sensus compositi ac divisi satisfit definitioni Concilii Trid. declaranti, eam esse divinæ gratiæ virtutem & efficaciam, ut liberum arbitrium, utut præmotum & excitatum, possit ei dissentiri, si velit.

Ut autem altera Cl. Authoris responsio valeat, eidem rursus probandum incumbit, ex indifferentia judicii (quacum consistere dicitur gratia efficax, homini in hac vita multo imperfectius proponens ipsum bonum, quam Beatis in patria) arbitrii libertatem consequi. Janseniana certe delectatio victrix non tollit indifferentiam judicii; neque enim negavit Jansenius, posita ea delectatione, subesse semper in illo objecto varias species mali ab illius prosecutione de se retrahentes, ad quas intellectus non solum potest attendere, sed etiam defacto aliquando attendit; & tamen hoc non obstante damnatur delectatio victrix Jansenii tanquam funditus evertens libertatem. Cur igitur non etiam in delectatione victrice Augustiniana stare possit indifferentia judicii sine voluntatis libertate? Illud saltem universim verum erit, libertatem esse facultatem, quæ ne-

negari poteſt, non negata judicii indifferentia, & conſequenter tolli hac non ſublata.

Deinde illud, quæſo, nobis nitide exponat Vir Cl. quomodo ſub motione delectationis victricis voluntas diſſentire poſſit, quamvis reipſa nunquam eveniet, ut diſſentiat. Novimus quidem, aliud eſſe poſſe diſſentire, & aliud diſſentire reapſe, ſtareque ſine actu potentiam. Sed illud ingenue fatemur nos non ſatis intelligere, quomodo potentia ſine actu nunquam omnino futuro, ſeu potentia nunquam ad actum reducenda, vera ac proprie talis potentia dici poſſit. Neque enim concipimus dari potentiam, quæ ad actum vere reduci poſſit, & tamen pro nullo caſu poſſibili ſit reipſa ad actum reducenda. Si namque poſitis pluribus & pluribus in infinitum caſibus, in nullo reduceretur ad actum, unde habebitur, quod ſit vere ad actum reducibilis? an non potius ex eo, quod in nullo unquam caſu reducatur ad actum, an non inquam potius recte concluditur, quod non ſit vere reducibilis? Quod ſi igitur ſub motione delectationis victricis pro nullo unquam caſu poſſibili diſſenſura eſt voluntas, unde arguemus, eandem vere diſſentire poſſe? an non rectius concludemus, illam eo ipſo potentia proprie ac vere tali diſſentire non poſſe? Accedit, quod delectatio victrix, quam voluntas repudiare non poteſt potentia ad actum reducenda pro ullo caſu poſſibili, ſit per ſe & intrinſece irrepudiabilis. Atqui delectatio per ſe & intrinſece irrepudiabilis repudiari a voluntate non poteſt ne quidem potentia ad actum reducibili. Ergo *Maj.* patet; quia nulla alia ratio aſſignari poteſt, cur victrix illa delectatio repudiari non poſſit potentia ad actum reducenda pro ullo caſu poſſibili. *Min.* etiam conſtat: nam ſi delectatio, non obſtante, quod ſit per ſe & ab intrinſeco irrepudiabilis, repudiari a voluntate poſſet potentia ad actum reducibili; tunc eadem etiam potentia mutari poſſet rei cujuſque natura, vel attributum eidem eſſentialiter conveniens; quod nemo admiſerit.

Di-

Dicetne Adverſarius noſter, aſſignari poſſe potentiam ad actum vere reducibilem, nunquam tamen reducendam, in exemplo a ſe adducto, hominis, qui quamdiu tenetur amore ſervandi propriam vitam, nunquam ſe præcipitem dabit, quamvis reipſa id poſſit. Sed contra eſt, hominem, quamdiu ſupponitur mentis compos, & vitæ ſuæ conſervandæ amans, ſeu pro ſenſu compoſito ſanæ mentis & amoris, quo in ſe ipſum fertur, nullam habere, niſi valde remotam, impropriam, & mere organicam potentiam ſe præcipitem dandi; quia nullum omnino aſſignari poteſt motivum, quo ad mortem ſibi inferendam adducatur. Quodnam enim illud eſſet? an exercitium libertatis? an forſan ſtudium obſequendi alteri id enixe poſtulanti? an aliud quid ſimile? Sed neque libertatis exercitium, neque obſequium amico præſtandum, neque aliud quodcunque eſt, aut eſſe poteſt homini non inſanienti & propriæ vitæ amanti ſufficiens & proportionatum motivum morti ſibimetipſi inferendæ. Ergo homo, quamdiu propriæ vitæ amore tenetur, ſeu pro ſenſu compoſito hujus amoris, & ſimul ſanæ mentis, nulla potentia proprie tali poteſt velle ſe præcipitem dare. Deinde, quis id dici ferat, quod tamen inde neceſſario conſequitur, juſtum e. g. qui graviter delinquendo e ſtatu juſtitiæ decidit, peccatum vitare, & præceptum, quod transgreditur, obſervare non aliter poſſe, quam poteſt homo, quamdiu tenetur amore vitæ ſuæ ſervandæ, ſe præcipitem dare, ad exercendam libertatem &c.

Alterum quod eodem loco profertur exemplum, nobis plane non videtur idoneum: neque enim ab homine, ſeſe libere & ex propria electione determinan[illegible] ad agendum aliquid, e. g. ad ſedendum, vel ambulandum, argumentum duci poteſt ad hominem, prævie & inevitabiliter ab alio agente ſeu phyſice, ſeu moraliter ad actionem aliquam determinatum.

Re-

Reliqua, quæ Cl. Berti toto hoc Capite persequitur, non erit ex dictis operosum diluere; omnia namque eidem principio, quod supponit, non probat Vir cæteroquin accuratissimus, innituntur. Quamdiu enim nobis certo non constiterit, indifferentiam judicii sufficere ad veram libertatem, non est, cur præsens argumentum urgeamus, aut examinemus prolixius, num idoneæ sint quæ ab eo adferuntur responsiones.

XVI. Illud hic omitti non debet, quod victricis delectationis systemati proprium ac peculiare esse videtur: illam videlicet non in omnibus eandem esse, sed modo efficacem, modo inefficacem; habereque charitatem & gratiam gradus suos, quibus ubi superaverit oppositam delectationem terrenam, victrix erit & efficax, contra vero inefficax, si ab illa vincatur, ac superetur.

Contra namque ita arguitur: Si delectatio cœlestis, terrena delectatione intensior, est gratia efficax, delectatio cœlestis vel unico intensionis gradu terrenam superans, voluntatem insuperabiliter determinat ad consensum. Jam quæro a systematis defensoribus, quo experimento, qua ratione, qua authoritate probent, voluntatem habentem e. g. quinque delectationis cœlestis gradus cum quatuor gradibus terrenæ delectationis, a quinto gradu, quo posterior hæc ab illa superatur (nam quatuor alii cœlestis delectationis gradus a totidem aliis alterius gradibus eliduntur) insuperabiliter ad consensum determinari. Quid est, quod cœlestis delectatio terrenæ delectationi æqualis in intensione, non possit esse, & non sit aliquando gratia efficax in hoc statu naturæ lapsæ? cur voluntas habens quatuor cœlestis delectationis gradus cum quatuor gradibus delectationis terrenæ, non aliquando velit & operetur bonum?

Respondent: Voluntas in suppositione facta potest quidem velle & operari bonum potentia ad actum reducibili, sed

id nunquam operabitur potentia ad actum reducenda, manente scilicet eadem suppositione. Sed hoc ipsum quæritur, quare non possit? Undenam habeant Adversarii, voluntatem in suppositione facta perfecti æquilibrii, cum nempe utrinque æqualis in intensione delectatio inclinat, non posse potentia ad actum reducenda velle & operari bonum? In statu innocentiæ voluntas in perfecto æquilibrio constituta, & in neutram partem indeliberate propendens, poterat potentia ad actum reducenda pro arbitrio, modo velle & operari bonum, modo velle & operari malum; neque dubium est, qnin homo in eo statu sæpius operatus sit bonum, multosque virtutum actus exercuerit. Cur ergo in præsenti statu, recuperato illo æquilibrio per cœlestem delectationem terrenæ cupiditati in intensione æqualem, voluntas instructa habitibus infusis cum illustratione supernaturali, non similiter potest potentia ad actum reducenda pro quibusdam casibus bonum velle & operari? An tolerandum videtur dicere, quod voluntas in ea suppositione non aliter bonum possit velle & operari, quam potest homo mentis compos, & propriæ vitæ amans, quamdiu talis est, se præcipitem dare?

Reponunt: Voluntas ex originali culpa magnam contraxit ægritudinem. Ergo ut velit & operetur bonum, eget sanari.

Contra est, voluntatem in suppositione facta ad hoc ut velit & operetur bonum, sufficienter sanari per cœlestem delectationem, terrenæ in intensione æqualem: per eam enim restituitur in æquilibrium, e quo exciderat per peccatum originale. Ideo namque hominis innocentis voluntas erat sana & robusta, quia erat in perfecto æquilibrio: ergo in sanitatem & vires pristinas restituitur, cum in illud æquilibrium reponitur.. Neque enim aliunde est voluntatis in hoc præsenti statu ægritudo, quam ex indeliberatis terrenæ cupiditatis motibus. Atqui motus illi per cœlestem delectationem in intensione

ne æqualem reprimuntur. Ergo per eam voluntatis ægritudo ſanatur.

Inſtant : Ut voluntas in ordine ad volendum & operandum bonum ſufficienter ſanetur, requiritur gratia vel phyſice vel moraliter prædeterminans ad bonum. Sed delectatio cœleſtis, niſi terrenam in intenſione ſuperet, nequit invincibiliter voluntatem ad bonum prædeterminare. Ergo.

Reſp. Neg. maj. Quid enim eam gratiæ inſuperabiliter prædeterminantis neceſſitatem adſtruit ? Non credo equidem Adverſarios cum Janſenio ſentire, voluntatem per peccatum originale penitus & irreparabiliter amiſiſſe vim ſeipſam determinandi. Si vero voluntas peccato originali ſauciata non amiſit, ut reliqui ſentiunt Doctores Catholici, aut ſaltem non irreparabiliter amiſit vim ſe ipſam determinandi, quid opus eſt gratia invincibiliter prædeterminante, ad hoc ut ſufficienter ſanetur, aut ſufficienter adjuvetur ad volendum & operandum bonum ?

Urgent : Quamvis voluntas per peccatum originale ſauciata non penitus amiſerit, aut non irreparabiliter amiſerit vim ſe ipſam determinandi ; tantam tamen inde contraxit infirmitatem, ut vim illam recuperare non poſſit, niſi per gratiam determinantem. Ergo.

Reſp. Neg. ant. Id enim gratis & perperam aſſeritur. Nam ad hoc, ut voluntas vim ſe ipſam determinandi integram & expeditam recuperet, ad ſummum requiritur gratia, quæ reſtituat æquilibrium ; hoc autem reſtitui poteſt, & reſtituitur per cœleſtem delectationem terrenæ cupiditati intenſive æqualem, adeoque viribus parem ; voluntas enim cum illo æquilibrio ſana eſt & robuſta. Voluntatem autem ſanam & robuſtam habere vim integram & expeditam ad bonum ſeſe determinandi, quis neget ? Vim certe ejusmodi habuit voluntas hominis innocentis, quia ſana & robuſta erat propter æquilibrium. Ergo etiam voluntas hominis lapſi, ſi per gratiam

terrenæ cupiditati viribus non imparem, vel etiam ſuperiorem, ſed non propterea prædeterminantem, reſtituatur in æquilibrium, & ita ſana fiat & robuſta, vim illam ſe ipſam ad bonum determinandi integram & expeditam habebit; neque, ut ſe ipſam ad bonum determinet, opus eidem erit gratia phyſice aut moraliter prædeterminante.

Accedit, quod cum dicitur, voluntatem in præſenti ſtatu egere gratia ipſam prædeterminante ad volendum & agendum bonum, id apud Catholicos non alio ſenſu accipi pi poſſit, quam quod indigeat gratia prædeterminante ad hoc ut voluntas ſe ipſam determinet, ſeu, quod idem eſt, gratia prædeterminante ad volendum & agendum bonum ex propria voluntatis determinatione. Atqui hoc ipſum non ſatis intelligitur, quin manifeſtam videtur involvere contradictionem. Ergo. *Maj.* patet: ſecus enim verum eſſet, quod conſequenter docent Calvinus, & Janſenius, voluntatem in præſenti ſtatu non ex propria determinatione, ſed ſponte tantum bonum velle & agere. *Prob. min.* Repugnat, voluntatem velle & operari bonum ex propria determinatione ſub motione gratiæ dantis poteſtatem ad unum antecedenter & inſuperabiliter determinatam. Talem autem eſſe gratiam ſeu phyſice, ſeu moraliter prædeterminantem ex dictis patet. Igitur modus iſte loquendi: gratia voluntatem prædeterminat, ut ſeipſam prædeterminet, contradictionem involvit; neque ad aliud valere poteſt, quam ad eludendam argumenti difficultatem.

Denique in ſyſtemate delectationis victricis non datur gratia vere ſufficiens præter gratiam efficacem. Illa namque prætenſa gratia ſufficiens, vel eſt delectatio cœleſtis intenſive minor terrena delectatione, vel eſt delectatio cœleſtis delectationi terrenæ intenſive æqualis. Neutrum dici poteſt. Non primum; ille namque non habet gratiam vere ſufficientem ad obſervandum præceptum, qui eſt antecedenter & inſuperabiliter prædeterminatus ad illud

trans-

transgrediendum. Atqui in hoc ſyſtemate, qui e. g. urgente præcepto charitatis, habet cœleſtem delectationem intenſive minorem oppoſita delectatione terrena, eſt antecedenter & inſuperabiliter a delectatione terrena prædeterminatus ad transgrediendum illud præceptum: delectatio namque cœleſtis intenſive minor dat tantum poſſe, non velle ipſum actum præceptum; aut ſi dat velle, iſtud adeo eſt invalidum & imperfectum, ut carnis concupiſcentiam in adverſa trahentem non vincat, niſi ſuperveniente ſuperiore & victrice ſancta delectatione. Ergo. Non etiam ſecundum: quis enim dicat illum habere gratiam vere ſufficientem, qui non aliter poteſt velle obſervare præceptum, quam poteſt homo mentis compos, quamdiu amore propriæ vitæ ſervandæ tenetur, velle ſe præcipitem dare ad exercendam libertatem, aut ob aliud ſimile motivum. Atqui in hoc ſyſtemate, qui urgente præcepto charitatis habet delectationem cœleſtem intenſive æqualem delectationi terrenæ, non aliter poteſt velle diligere Deum, quam homo mentis compos, quamdiu amore tenetur ſervandi propriam vitam, poteſt velle ſe præcipitem dare. Sicut enim cum delectatione cœleſti intenſiore & victrice non poteſt velle præceptum illud transgredi potentia ad actum reducenda, ita cum delectatione intenſive æquali aut inferiore, quam ſit oppoſita delectatio terrena, non poteſt velle obſervare præceptum potentia ad actum reducenda. Potentiam autem nunquam ad actum reducendam non eſſe veram potentiam, ſupra oſtenſum eſt. Ergo delectatio cœleſtis ejusmodi dumtaxat potentiam tribuens ad obſervandum præceptum, non dat veram & ſufficientem potentiam. Ergo non eſt gratia vere ac proprie ſufficiens. Ergo in ſyſtemate delectationis victricis non datur gratia vere ſufficiens præter gratiam efficacem.

XVII. *Tertius* denique gratiæ efficacis exponendæ modus eſt eorum, qui impugnati hactenus ſyſtematis principiis inhærentes, cœleſtem admittunt delectationem moraliter tantum victricem, quæ videlicet ſuadendo, inclinando & alliciendo voluntatem ad bonum moraliter determinet, eo fere ſenſu ac modo, quo gravis tentatio voluntatem ſibi relictam moraliter neceſſitare & ad conſenſum pertrahere dicitur. Vel certe vim & efficaciam gratiæ reponunt in multitudine & conſpiratione auxiliorum, quorum quidem ſingula fruſtrari poſſunt, omnia tamen ſimul effectum infallibiliter obtinent.

Sed neque poſtremus iſte modus, ſeu priore, ſeu poſteriore ſenſu accipiatur, magis ſatisfacit, magisque probatur, quam qui a nobis refutati ſunt hactenus.

Etenim ſi ſermo ſit de multitudine & conſpiratione auxiliorum, ea gratis admitti videntur. Nam cur Deus plura adhibeat, ubi unum ſufficit? ſufficere autem unum, negari non poteſt. Quis enim dixerit, Deum in gratiarum ſuarum inexhauribili theſauro nullam reperire gratiam, qua ſola poſſit humani cordis duritiem & pervicaciam vincere? Deinde ex pluribus illis auxiliis id unum reipſa efficax eſt, quod immediate extorquet voluntatis conſenſum. Hoc vero ipſum eſt, de quo quæritur, unde vim ſuam & efficaciam deſumat. Igitur in hac ſententia alio transfertur quæſtio, non ſolvitur.

Delectatio autem illa cœleſtis moraliter neceſſitans ad conſenſum in ſenſu expoſito non ſatis cohæret cum Divina providentia. Gratia namque efficax debet eſſe abſolute infruſtrabilis, & infallibiliter connexa cum conſenſu; cum ſit medium exequendæ voluntatis Dei abſolutæ, & inſtrumentum Divinæ providentiæ ad obtinendos infallibiliter ejus fines. Atqui gratia moraliter neceſſitans non eſt abſolute infruſtrabilis, & infallibiliter connexa cum conſenſu, cum nonniſi moraliter ad eum neceſſitet; & ſicut tentatio etiam graviſſima ad malum inclinans, ita & cæleſtis delectatio ad bonum moraliter

ter

ter alliciens effectu suo frustrari possit. Hinc Deus cognita per simplicem intelligentiam gratia moraliter determinante, non nisi moraliter certus esset de secuturo consensu, eumque propterea definire non posset, ne alioquin suam prædefinitionem exponat periculo frustrationis; cum id, quod moraliter solum certo eveniet, possit absolute, imo potentia etiam physica non evenire. Sed cognita præcise gratia efficaci potest Deus prædefinire consensum. Ergo gratia efficax nequit constitui in sola delectatione moraliter determinante.

XVIII. *Oppon.* Deus cognito per scientiam necessariam auxilio moraliter determinante, potest provide prædefinire consensum. Etenim ut quis provide agere dicatur intendendo efficaciter aliquem finem, sufficit, quod sciat, se in sua potestate habere media, quibus certo certitudine morali obtineat talem finem. Atqui Deus cognito per scientiam necessariam auxilio moraliter determinante, scit se habere in sua potestate medium, quo certo certitudine morali obtineat consensum creaturæ liberum. Ergo. *Min.* est certa. *Prob. maj.* Hoc ipso quod Deus sit moraliter certus de consensu creaturæ libero per auxilium moraliter determinans obtinendo, eum prædefiniendo non exponit prædefinitionem suam periculo frustrationis. Ergo provide prædefinit consensum. *Ant. prob.* ab exemplo in humanis. Sic nemo dixerit, quod naufrago manum aut tabulam offerens se exponat periculo repulsæ: eum namque omnibus vitæ amorem natura impressit, ut moraliter, & pene plus quam moraliter certum sit, quod homo in ejusmodi periculo constitutus oblatam sibi auxiliatricem manum sit acceptaturus. Ergo pariformiter.

Resp. Neg. maj. Rationem additam *dist.* Ut quis provide agat, providentia solum moraliter infallibili, ut agunt homines, *Conc.* providentia simpliciter infallibili, ut agit Deus, *Neg. maj.* Ad ejus *prob. dist.* pariter *antec.* Hoc ipso quod Deus sit moraliter certus &c. non exponit prædefinitionem

suam

ſuam periculo morali fruſtrationis, *Conc.* Non eam ſimpliciter exponit periculo fruſtrationis, *Neg. ant. & conſ.* Ad ulteriorem *prob. Conc. ant. Neg. conſ.* Diſcrimen petitur ex diverſitate Divinæ & humanæ providentiæ, quæ infinite inter ſe diſtant. In humanis quippe nemo cenſetur ſe exponere periculo illius caſus, qui moraliter evenire non poteſt, etſi abſolute loquendo evenire poſſet, cum ejusmodi caſus humana providentia caveri nequeant. Econtra providentia Divina, cum debeat eſſe ſimpliciter infruſtrabilis, recte diceretur exponi fruſtrationis periculo, ſi pro ſenſu compoſito prædefinitionis oppoſitum evenire poſſet quacunque demum potentia.

Urgent. Deus, cui omnes humani cordis receſſus, & affectiones perſpectæ ſunt, quique habet in ſua poteſtate media infinita, hominum corda quo voluerit adducendi, per ſcientiam neceſſariam cognoſcit, quod auxilium moraliter prædeterminans nunquam exiſtat ſine conſenſu, quamvis exiſtere poſſit. Ergo per ſcientiam neceſſariam eſt ſimpliciter certus de conſenſu ſub tali auxilio extituro. Poterit ergo abſolute & provide decernere, hominem ejusmodi auxilio ad ſe vocare ac convertere.

Reſp. Neg. ant. Per ſcientiam neceſſariam Deus ſolum cognoſcit, quod auxilium moraliter determinans nunquam exiſtat ſine neceſſitate morali ad conſenſum. Utrum autem hæc neceſſitas moralis exiſteret cum, an ſine conſenſu, hoc cognoſcit per ſcientiam conditionalium, quam opinionis hujus Aſſertores rejiciunt. Per ſcientiam igitur neceſſariam redditur ſolum ſimpliciter certus de neceſſitate morali conſenſus, non vero de ipſo conſenſu ſub auxilio moraliter prædeterminante infallibiliter extituro.

Omitto de illorum opinione hic dicere, qui gratiæ efficaciam repetunt ex congruitate quadam ſeu attemperatione auxiliorum cum hominis ingenio, indole, affectibus &c. In ea namque Congruiſtarum ſententia vel congruitas gratiæ inter-

terna esse ac infallibilis supponitur; vel tantum externa, petita ex circumstantiis adjunctis. Si interna; ex sese & natura sua efficax dicenda est, quæ antecedenter ad prævisum voluntatis consensum, certo & infallibiliter effectum suum est habitura: nec differre videtur hæc opinio ab illa, quæ efficaciam gratiæ reponit in certa & infallibili præmotione morali, quam supra rejecimus; iisdemque difficultatibus premitur & obnoxia subjacet. Si vero externa dumtaxat est illa gratiæ congruitas, ac supponit usum scientiæ conditionalium; gratia non videtur ex sese efficax, sed ex ipso voluntatis consensu in sensu Molinæ & Suarii, nec distat illa sententia ab ea, quam sequente capite expendemus.

CAPUT III.

DE
Gratia efficaci secundum doctrinam reliquorum Theologorum.

I. QUicunque Thomisticum & Augustinianum gratiæ systema, aut opiniones ejus principiis innixas perinde repudiant, ii nunc omnes gratiam non ab intrinseco & natura sua, sed ab extrinseco dumtaxat efficacem propugnant. Quod ut perspicue intelligatur, neve ambiguitas vocum obscuritatem pariat, ante omnia distinguendum esse docent inter gratiam efficacem in *actu primo*, & efficacem in *actu secundo*. Gratiam a se efficacem esse in *actu primo*, omnemque ejus virtutem a Deo unice derivari, ultro concedunt; verum eam dici posse ac debere efficacem in *actu secundo* per liberam voluntatis cooperationem atque consensum, asseverant. Hinc, cum Bellarminus lib. 1. de Grat. & lib. arb. c. 12. eam opinionem *alienam esse* dicit a *sententia Scripturarum divinarum*, distinguere non videtur inter efficaciam in actu

primo, & efficaciam in actu secundo ; ac illorum dumtaxat opinionem improbare, qui gratiam efficacem simpliciter constituunt in *assensu & cooperatione humana*, *ita ut ab eventu dicatur gratia efficax*, *quia videlicet sortitur effectum; & ideo sortitur effectum*, *quia voluntas humana cooperatur.* Hanc porro opinionem falso & nonnisi per calumniam affingi Ludovico Molinæ, insigni Societatis nostræ Theologo, qui primus in apertum prodiit, & systemati gratiæ natura sua efficacis bellum indixit, manifeste patet ex ipsius testimonio. Ita namque mentem suam aperit Lib. Concord. Quæst. 23. art. 4. & 5. disput. 1. memb. 6. *Quando audis*, *consensum nostrum efficacia reddere auxilia gratiæ*, *non ita id intelligas*, *quasi arbitrium nostrum vim aliquam aut efficaciam tribuat auxiliis ipsis*, *ut q.* 14. *art.* 13. *disput.* 40. *explicatum est. Arbitrium & influxus noster nullam vim conferunt gratiæ auxiliis ; sed potius auxilia vim & propensionem arbitrio tribuunt ad consensum eliciendum*, *arbitriumque ipsum ad id invitando*, *alliciendo*, *atque adjuvando.* Quibus profecto verbis aperte innuit Molina, hanc dumtaxat sibi mentem esse, efficacem quidem reddi gratiam in actu secundo per liberum arbitrium, non autem efficacem in actu primo, cujus vis omnis, efficacia, & efficientia a Deo Auctore profluit.

Similiter, cum dicit Molina, in arbitrio voluntatis positum esse, ut gratiam, quæ sufficiens dicitur, reddat efficacem, non sic intelligit, quasi Deus eodem prorsus affectu omnibus conferret gratiam, eamque subjiceret arbitrii libertati, pro cujus nutu reddatur efficax, vel inefficax, ita ut nullum sit discrimen inter gratiam sufficientem & efficacem ex parte Dei, sed ex parte voluntatis creatæ dumtaxat, quæ indifferente auxilio præventa, vult, aut non vult assentiri: non ita est : Gratia quippe efficax in ejus sententia habet infallibilem cum effectu connexionem antecedenter ad consensum voluntatis prævisum tanquam absolute futurum ; quia con-

confertur a Deo ex voluntate absoluta effectus. Verum illa connexio non est ex sese infallibilis & essentialis gratiæ, seu non est ipsa gratiæ natura & entitas, sed eidem dumtaxat extrinseca ; oritur enim ex speciali Dei affectu absolute decernentis actum salutarem per gratiam producendum, & ex medio, quod est scientia conditionalium, sub cujus luce Deus præ cæteris illam eligit gratiam, cui, si detur, videt consensuram esse voluntatem. Gratia proinde efficax Moliniana, quamvis natura & virtute interna non distinguatur a sufficiente, quia tamen conceditur a Deo ex speciali affectu, & in iis circumstantiis, in quibus per scientiam conditionalium novit hominem ea bene usurum, gratia, inquam, hæc alteri quoad naturam & entitatem æqualis, major nihilominus est ac dicitur in ratione doni & beneficii.

Hanc Molinæ opinionem aliis paulo verbis, sed idem quoad rem significantibus exponit Franciscus Suarez Lib. 3. *de Auxiliis divinæ gratiæ* c. 14. gratiæ vim & efficaciam repetens ex quadam ipsius congruitate, seu attemperatione ad hominis indolem, ingenium, ad varias temporis, loci, vel personæ circumstantias; quæ tamen congruitas non sit gratiæ intrinseca, sed externa, ac in eo posita, quod eo tempore ac loco, iisque in circumstantiis eam Deus homini conferat, quibus prænovit illum consensurum esse. Hinc gratia ejusmodi congrua dicitur, quia a Deo conceditur tempore opportuno, & in talibus circumstantiis voluntatem prævenit, ut quamvis ex entitate sua non sit infallibiliter connexa, tamen prout dirigitur a Deo per scientiam mediam, infallibiliter habitura sit effectum. Itaque gratiæ efficacia secundum Suarez in eo sita est, *quod Deus*, ut ipse loquitur loc. cit. *infinita sua sapientia prævidens, quod unaquæque causa, seu voluntas in omni eventu & occasione operatura sit, si in ea constituatur, quando & cui vocationi sit unaquæque voluntas assensum præbitura, si ei detur ; unde quando vult hominem convertere,*

vult etiam illum vocare illo tempore, & modo, quo novit illum consensurum. Et talis vocatio vocatur efficax, quia licet in se non habeat infallibilem effectum, tamen ut subest tali scientiæ divinæ, infallibiliter est illum habitura.

Hinc porro colligitur, Suarezianum istud ac Molinianum de gratiæ efficacitate systema, quod universa Societatis nostræ Schola cum plurimis aliis ex omni Ordine Theologis amplexa est, duobus omnino niti principiis. Primum est, Deum habere in infinita sua potestate gratias, quæ etsi intrinsece repudiabiles sint, tamen quibusdam in circumstantiis datæ certo habituræ prævidentur effectum; ita ut nulla sit voluntatis dispositio, nulla tentatio, aut concupiscentiæ vis & illecebra, cui non respondeat in infinitis misericordiæ divinæ thesauris gratia una vel multiplex, flectendæ voluntati, superandæ tentationi, vincendæ concupiscentiæ proportionata & attemperata, quam gratiam Deus dare potest, & quæ si detur in iis circumstantiis, voluntatem certo flectet, quo Deus voluerit. Alterum principium est, Deo infallibiliter exploratum esse, quid voluntas actura esset per quamcunque gratiam in quibuscunque circumstantiis, si detur hæc gratia. Ejusmodi scientia dicatur, vel non dicatur media, non curamus. Satis est, inesse Deo scientiam illam, quocunque tandem donetur nomine; id quod a nemine in dubium vocari posse videtur.

ASSERTIO UNICA.

Vis & efficacia gratiæ consistit in eo, quod detur gratia ex speciali Dei affectu, absolute decernentis actum salutarem sub directione scientiæ conditionalium.

II. PRob. Catholica quævis sententia de efficacitate gratiæ hæc duo conciliare debet, absolutam videlicet gra-

gratiæ efficacis infallibilitatem, & ejusmodi voluntatis humanæ libertatem, quæ ſit immunitas a ſimplici neceſſitate. Atqui in hac noſtra ſententia multo felicius ac convenientius, quam in alia quacunque illa duo conciliantur. Ergo. *Maj.* patet. Nam quantacunque ſit gratiæ efficacitas, de fide eſt, eam non officere libero hominis arbitrio, neque ſimplicem afferre conſentiendi neceſſitatem. Certum eſt præterea, infallibilem eſſe gratiæ efficacis effectum, cum voluntas Dei abſoluta effectu ſuo fruſtrari omnino non poſſit, id quod paſſim nobis inculcat S. Auguſtinus, ac præſertim Lib. de præd. Sanct. c. 8. ubi gratiam efficacem dicit eſſe gratiam, *quæ a nullo duro corde reſpuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Prob. *min.* Gratia, quæ datur a Deo ex intentione abſoluta effectus ſub directione ſcientiæ conditionalium, eſt infallibiliter connexa cum ipſo effectu, & non officit libertati voluntatis humanæ. Sed talis eſt gratia efficax, quam hic aſſerimus. Ergo. *Prob. maj.* quoad utramque partem.

Etenim 1*mo* Gratia iſtiusmodi eſt infallibiliter connexa cum effectu, non quidem connexione intrinſeca & ipſi gratiæ eſſentiali, ſed extrinſeca, orta ex intentione Dei abſolute decernentis actum ſalutarem, ſeu effectum ipſius gratiæ virtute producendum, & ex ſcientia conditionalium, cui ſubeſt, & ex cujus directione datur in iis circumſtantiis, in quibus prævidetur voluntatis conſenſum obtentura. Quod ſic demonſtratur: ſi Deus per ſcientiam conditionalium (quæ quidem contingens eſt, quia de objecto contingente, ſed ſumme certa ex hypotheſi quod exiſtat, quia Deum, quidquid præſcit, ſumma certitudine præſcire neceſſe eſt) ſi, inquam, Deus per ſcientiam conditionalium præſcit, talem gratiam natura ſua repudiabilem, in talibus circumſtantiis, ſi detur, ſalutarem voluntatis conſenſum expreſſuram eſſe; tanta infallibilitate obtinebit effectum ſuum gratia illa, ſi detur in talibus cir-

cumſtantiis, quanta certitudine Deus per ſcientiam conditionalium præſcit eſſe obtenturam, ſi detur. Atqui Deus id præſcit ſumma certitudine; Divinam enim ſcientiam falli abſolute repugnat. Ergo etiam ſumma certitudine & infallibilitate gratia illa obtinebit effectum ſuum. Non enim poſſet effectu ſuo fruſtrari in ſenſu compoſito ſcientiæ conditionalium, cui ſubeſt, & per quam prævidetur effectum obtentura, quin ſimul falleretur ſcientia illa; adeoque non minus repugnat, effectu ſuo fruſtrari gratiam efficacem, quam repugnet ſcientiam divinam falli. Tanta eſt ergo gratiæ infallibilitas, quanta eſt ſcientiæ illius certitudo; utraque nempe ſumma, & qua major dari non poteſt.

2do. Gratia hoc modo efficax non officit libertati. Quamvis enim voluntatem poſitive inclinet, ſive excitet, moveat, alliciat, & quandoque etiam ob magnam intenſionem vehementer impellat ad eliciendum actum ſalutarem; eo ipſo tamen quod cum ejusmodi actu ſalutari non ſit natura ſua infallibiliter connexa, ſed de ſe & quoad entitatem ſuam tam cum actu, quam cum ejus omiſſione conjungi poſſit; quodve conferatur a Deo ſub luce ſcientiæ mediæ de conſenſu voluntatis conditionate futuro, atque adeo ejus infallibilitas ſequatur voluntatis determinationem conditionate prævisam; eo ipſo, inquam, voluntas eſt antecedenter vere libera, & expeditam habet facultatem ponendi vel non ponendi actum ſalutarem, etiam in ſenſu compoſito gratiæ illius quoad ſe & entitatem ſuam ſpectatæ, qualiter conſtituit potentiam proximam agendi vel non agendi: quamvis non poſſit voluntas non agere, niſi in ſenſu diviſo ejus efficaciæ, ſed quam vere poteſt impedire; quia ſenſus diviſus efficaciæ vere eſt in poteſtate voluntatis.

Porro quod Deus nonniſi ſub directione ſcientiæ conditionalium decernat ex ſpeciali affectu actum ſalutarem per gratiam de ſe repudiabilem infallibiliter obtinendum, oſtenditur

ex

ex celebri illo loco S. Augustini Lib. 1. ad Simplicianum Q. 2. *Eorum miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur . . . Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Quibus verbis aperte declaratur, voluntatem divinam de conferenda alicui gratia efficaci dirigi a scientia, qua Deus scit, hunc vel illum modum vocandi ita ei *aptum esse, ut sequatur: sic ei congruere, ut vocantem non respuat.* Atqui hoc scit Deus per scientiam conditionalium, per quam novit, quid quilibet homo in quibuscunque circumstantiis, si in iis poneretur, acturus esset; atque adeo novit etiam, hunc determinatum hominem, si hoc ei apto vel congruo modo vocaretur, vocationem non repudiaturum, sed secuturum. Ergo voluntas divina de conferenda alicui gratia efficaci dirigitur a dicta scientia conditionalium. Atqui voluntas, quæ dirigitur a scientia conditionalium, est voluntas conferendi auxilium de se indifferens, id est, repudiabile, & quod etiam cum dissensu conjungi potest, sub quo tamen prævisus est consensus conditionate futurus. Ergo cum Deus vult & decernit actum salutarem per gratiam efficacem obtinendum, nihil aliud vult & decernit, quam conferre auxilium illud indifferens sub directione scientiæ conditionalium, per quam prævisus est consensus conditionate futurus.

Ubi præterea observandum, ex allata D. Augustini sententia legitime inferri, gratiam efficacem, ex mente S. Doctoris, quamvis de se & quoad entitatem suam sit auxilium indifferens in sensu antea exposito, esse tamen congruam, seu certo modo attemperatam voluntati humanæ. Si namque *cujus miseretur DEUS, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat;* si non ita vocaretur, quomodo ei congruit, vocantem non sequeretur. Hinc est, quod idem homo vocatus hac determinata vocatione, sequatur, qui vocatus vocatione alia non sequeretur in iisdem plane circumstantiis.

tiis. Quod nec intelligi, neque fieri poteſt ſine congruitate aliqua, quam habet vocatio hæc ad eundem illum hominem, & quam non haberet vocatio altera in iisdem circumſtantiis. Similiter ex duobus hominibus uno modo vocatis, unus venit, alter non venit; quia eadem vocatio uni eſt congrua, alteri incongrua. Et ex multis a DEO vocatis, alii ſequuntur, alii non ſequuntur; quia illi modo ſibi congruo, hi modo incongruo, licet ad ſequendum ſufficiente, vocati ſunt. DEUS quippe ſi vellet, poſſet omnes ita vocare, ut omnes ſequerentur. Unde qui non ſequuntur, non ſolum non ſequuntur, quia nolunt ſequi; ſed etiam quia non ſunt congrue vocati, quandoquidem ſequerentur, alio modo vocati. Id ipſum rurſus exprimit S. Auguſtinus loco cit. verbis illis: *Verum eſt ergo:* Multi vocati, pauci electi: *illi enim electi, qui congruenter vocati; illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati.* Igitur juxta S. Doctorem, ex multis vocatis, alii ſunt electi, alii non electi; quia alii vocantem ſecuti ſunt, alii vero non ſunt ſecuti. Secuti ſunt autem, qui congruenter vocati, non ſecuti, qui non congruenter vocati ſunt.

III. Si *quæras:* Num hæc gratiæ efficacis congruitas ſit eidem intrinſeca, an vero extrinſeca?

Reſp. Partim intrinſecam, partim extrinſecam eſſe ac dici poſſe. Intrinſeca eſt, quatenus gratia virtute ſua interna voluntatem movet, quomodo ei aptum eſt, non ſolum ut poſſit conſentire, ſed etiam ut re ipſa conſentiat: movet autem, vel quia in tali eſt ſpecie, puta quia eſt motus timoris, non amoris &c. vel quia tantam habet intenſionem &c. quæ omnia gratiæ intrinſeca eſſe quis neget? Extrinſeca autem eſt gratiæ efficacis congruitas, quatenus pendet a circumſtantiis adjunctis loci, temporis, perſonæ, cujus affectionibus, indoli, atque ingenio certa ratione attemperatur. Poſitis namque ejusmodi circumſtantiis, congrua eſt gratia, mutatis vero vel ex toto

vel

vel ex parte, congrua amplius non est: non quod circumstantiæ illæ externæ aliquid virtutis tribuant aut detrahant ipsi gratiæ, sed quod hæc illis ita attemperetur, ut voluntatis in iis positæ consensum extorqueat. Congrua igitur est gratia, cum a DEO exit tempore opportuno, & in talibus circumstantiis voluntatem prævenit, ut, quamvis non dicat virtutem aliquam cum effectu necessario connexam, qua careat gratia incongrua ex eo præcise quod incongrua est, tamen prout dirigitur a scientia conditionalium infallibiliter habitura sit effectum. Unde patet, gratiæ efficaciam repetendam esse partim ab intrinseca ipsius virtute, partim a circumstantiis externis, quibus Deus prævidit gratiam ita contemperatam, ut ab ipso misericorditer in iisdem præparata infallibiliter sortitura sit effectum.

Quibus omnibus accurate expensis, & sine omni partium studio in considerationem vocatis, haud difficulter patebit, in exposito hactenus systemate gratiæ infallibilitatem cum humanæ voluntatis libertate rectius atque commodius, quam in quocunque alio, conciliari. Atque ut ea omnia, quæ in Assertionis probationem adducta sunt, ad summaria quædam capita reducamus. Ex dictis colligitur

1*mo*, Gratiam efficacem in nostra sententia, quantum est ex se, contingenter tantum & fallibiliter movere voluntatem, quomodo ei aptum est, ut consentiat; & tamen consensum ejus summa infallibilitate obtinere.

2*do*: Gratiam de se talem esse, ut voluntas possit ei antecedenter resistere, dissentire, actus salutaris omissionem cum ea componere, impediendo ejus efficaciam; quamvis id certo & infallibiliter factura non sit pro iis circumstantiis, pro quibus gratia supponitur efficax, neque id facere possit consequenter ad scientiam divinam de consensu sub illa gratia conditionate futuro.

3*tio*: Gratiam efficacem esse medium secundum se cum effectu contingenter tantum & fallibiliter connexum, per quod

tamen DEUS summa infallibilitate operatur effectum: unde medium est exequendis decretis divinis absolutis & efficacibus sufficientissime proportionatum, sartis tectis libertatis humanæ juribus.

4to: Quod detur homini gratia efficax præ gratia mere sufficiente, id petendum esse ex speciali, gratuitaque DEI misericordia. Rationem igitur, quare detur gratia efficax, non esse, quia prævidetur voluntas consensura huic gratiæ, si detur; cum multi prævideantur bene acturi, si talis illis gratia concederetur, quibus ea tamen non conceditur. Sed ratio ultima est DEI propositum, ejusque voluntas absoluta, qua decrevit ex pura misericordia opus aliquod salutare ab homine fieri, & consequenter eligit gratiam, quam prænoscit producturam esse illud opus, si detur.

Respondetur ad Objecta.

ARgumenta omnia, quæ adversus Molinianum, & Suarezianum gratiæ systema ab Adversariis proferri solent, ex quadruplici potissimum capite repetuntur. *1mo.* ab authoritate Scripturarum. *2do.* ab authoritate Conciliorum & Patrum, cumprimis S. Augustini. *3tio.* ex rationum momentis. *4to.* ex ancipiti sorte, quam Molinæ doctrina in orbe literario subiisse dicitur. Nos e singulis præcipua dumtaxat adferemus, ne modum, ac præsentis Capitis & Dissertationis limites excessisse videamur.

Objectiones ex Scripturis.

V. O*Bjic. I.* Ea Scripturæ loca, quibus virtus gratiæ per se efficacis exprimi videtur.

Ezechielis 36. v. 27. *Dabo vobis cor novum - - Et auferam cor lapideum de carne vestra - - Et spiritum meum ponam*

nam in medio vestri: & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis. Quibus verbis Deus non prædicit, filios promissionis divinis obtemperaturos mandatis; sed promittit se facturum, ut divinis mandatis obtemperent, ut judicia ipsius custodiant &c. Atqui id non nisi de gratia natura sua efficaci intelligi potest; quod enim DEUS promittit, non ex potestate liberi arbitrii, sed ex firmo statoque divinæ voluntatis Decreto cum rei eventu connectitur. Ergo.

Esther 13. *Non est, qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel.* Ad Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistet?* Ergo gratiæ efficaci voluntas humana nunquam resistit, nec resistere potest. Atqui gratiæ, quæ natura sua efficax non est, potest resistere, & sæpe etiam resistit. Ergo.

Ad Philipp. 2. v. 13. *DEUS est, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Ergo DEUS dat non tantum posse velle bonum, sed ipsum velle & perficere. Atqui per gratiam ab extrinseco efficacem, quæ secundum se nihil est aliud, quam gratia sufficiens, datur solum posse, non ipsum velle. Ergo. *Prob. min.* Per id, quod est indifferens ad velle & nolle, DEUS non dat potius velle, quam nolle. Sed gratia sufficiens est indifferens ad velle & nolle. Ergo.

Huc spectant & illa Divinarum Scripturarum testimonia, quibus asseritur, DEUM inclinare & trahere corda hominum, operari in iis bonam voluntatem, agere nos, ut agamus, agi filios DEI Spiritu Sancto, & alia id genus quam plurima.

Resp. Hoc unum iis omnibus testimoniis confici, quod certissimum est, scilicet gratiam simpliciter necessariam esse, per quam Deus illa omnia operatur in nobis; an vero ea sit a se efficax, nec ne, nulla ratione inde colligi posse. Etenim

Illud Ezechiel. *Spiritum meum ponam &c.* vim & efficaciam gratiæ demonstrat non esse a libero arbitrio, sed a Deo Auctore profluere, quod ultro agnoscimus. Attamen

negari non potest, suas quoque habere partes in omni actu salutari & meritorio liberum arbitrium. *Ne putemus*, inquit S. Augustinus Lib. de Grat. & lib. arb. c. 15. n. 31. *nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium*, *ideo in Psalmo dicitur:* Nolite obdurare corda vestra. *Et per ipsum Ezechielem* . . . Facite vobis cor novum, & spiritum novum . . . *Meminerimus*, pergit ibidem S. Doctor, *ipsum dicere:* Facite vobis cor novum, *qui dicit:* Dabo vobis cor novum . . . *Quare jubet*, *si ipse daturus est? Quare dat*, *si homo facturus est? Nisi quia dat quod jubet*, *cum adjuvat*, *ut faciat*, *cui jubet.* Quibus verbis mentem suam manifeste exprimit Augustinus, Deum videlicet hoc sensu dare homini & velle & agere, quod eum adjuvet, ut velit & faciat. Id vero fit, non per gratiam, quæ essentialem habeat cum hominis actione connexionem; sed per gratiam, quæ tantum adjuvet, & ita adjuvet, ut eidem adjuvanti semper homo resistere possit.

Hinc patet, quid responderi debeat ad illud Apostoli ad Philip. 2. v. 13. Deus est, qui *operatur in nobis velle & perficere*, nempe movendo nos ad volendum, quomodo nobis aptum est, ut velimus, & voluntatem adjuvando, ut perficiamus. Falsum igitur est, quod gratia ab extrinseco efficax det solum posse, non velle; quamvis enim de se sit auxilium indifferens ad velle & nolle, reipsa tamen positive inclinat ad velle, seu ad consensum, & cum eo est infallibiliter extrinsece connexa. Accedit, quod Deus non solum operetur in nobis per gratiam prævenientem motus indeliberatos bonæ cogitationis in mente, ac piæ motionis in voluntate; verum etiam, cum voluntas dictis gratiæ motibus se facilem præbet, novo influxu novaque actione per gratiam cooperantem *tanquam per instrumentum*, ut ait Molina q. 14. ar. 13. Disp. 38. *in actum cum libero arbitrio efficienter concurrit & influit.*

Denique ad illud Esth. 13. & Apostoli ad Rom. 9. ℟. volun-

luntatem humanam gratiæ efficaci, quæ per voluntatem divinam ibidem significatur, resistere posse potentia antecedente præscientiam Dei de consensu conditionate futuro, quamvis resistere non possit potentia consequente. Argumentum istud perinde solvendum est omnibus, qui infrustrabilitatem gratiæ cum voluntatis humanæ libertate conciliare volunt. Quod cum Catholicorum Doctorum nemo non præstare debeat, hinc omnes fatemur, voluntatem humanam gratiæ efficaci nunquam resistere, nec resistere posse potentia consequente ad id, quod infallibiliter cum consensu connexum est, in hoc enim sita est gratiæ efficacis infrustrabilitas. Omnes item fatemur, voluntatem humanam in aliquo vero sensu gratiæ resistere posse potentia antecedente. Hoc enim ratio libertatis exigit, & Concilium Trid. docet, hominem gratiæ *posse dissentire, si velit.* Quod voluntas gratiæ efficaci nunquam resistat, nec resistere possit potentia consequente, perinde verum est in nostra sententia, ac in quacunque alia. Quod vero illi resistere possit potentia antecedente, id in aliorum sententiis infeliciter, in nostra vero commode ac recte explicari contendimus.

VI. *Objic.* 2*do.* præclarum illud Apost. testimonium ad Rom. c. 19. v. 16. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Unde Adversarii gratiam ab intrinseco efficacem evidenter demonstrari putant. Cl. Bertius Lib. XXIV. c. 9. n. 11. ita inde arguit: 1*mo.* Si auxilium divinæ gratiæ sit de se indifferens, ac indifferenter solum præmoveat voluntatem ad agendum; bona opera potius homini volenti & currenti attribuenda erunt, quam Deo gratiæ auxilium subministranti. Atqui hoc est contra expressam Apostoli sententiam. Ergo.

2*do.* Deus in ea sententia non impertitur majus gratiæ beneficium homini operanti, quam non operanti. Ergo quod ille, non item iste divinis præceptis obtemperet, adscribendum est homini volenti & currenti, ac pro nutu arbitrii sui

 com-

commune illud fluxumque auxilium determinanti ; quod rursus pugnat cum dicto Apostoli.

Resp. ad 1mum. Neg. maj. Quamvis enim auxilium illud de se indifferens sit, quia tamen positive & modo congruo voluntatem movet & adjuvat, ut velit & faciat, daturque a Deo ex intentione absoluta effectus conditionate prævisi, auxilium præcipuas ac nobiliores partes semper habet in opere bono, idque propterea non homini, sed Deo principaliter attribuitur, quod auxilium & gratiam elegerit boni operis effectricem.

Resp. ad 2dum. Neg. ant. Qui enim non operatur, is prævenientem tantum, qui vero operatur, prævenientem & adjuvantem seu cooperantem gratiam accipit : & ideo posteriorem quoque hanc gratiam accipit, quia datur ei gratia præveniens ex speciali affectu & intentione absoluta operis boni sub luce scientiæ conditionalium. Talis enim gratia, cum sit ex ipso præparationis modo infallibiliter connexa cum effectu, eadem infallibilitate connexa est cum gratia adjuvante, per quam ponitur effectus ; atque adeo est singulare beneficium, alteri, qui non operatur, neutiquam concessum.

Sed *inquit* Bertius loco cit. N. 12. & 13. Frustra Deo partes principales tribui in opere bono, si liberum arbitrium versatilem gratiam determinet ; frustraque Suarezium Lib. 3. de Auxiliis c. 9. ubi citatum Apostoli locum exponit, recurrere ad illam Gregorii Nazianz. sententiam Orat. 31. *Quia licet ipsum velle nostrum sit, non tamen nisi Deo opitulante, ac adjuvante, & principaliter operante ;* tum quod intelligi non possit, quomodo Deus *principaliter operetur*, si liberum arbitrium Dei motionem determinet ; tum quod Nazianzenus protinus subjiciat : *Idcirco non volentis, id est, non solum volentis, nec currentis solum, sed etiam miserentis Dei ; ita, quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo jure totum Deo assignatur.* Quibus verbis aperte significat S. hic Doctor,

eam

eam Apostoli sententiam ita accipiendam esse, ut totum tribuendum sit Deo, quia ipsa bona voluntas a Deo est; nec Dei gratia dat tantum posse, sed & ipsum velle.

Resp. Liberum arbitrium gratiam determinat, præmotum tamen, & adjutum ab ipsa gratia. *Conc.* secus *Neg.* Gratia igitur determinatur, & simul determinat absque omni repugnantia. Determinat, quatenus voluntatem positive inclinat ad consensum, & cum eo etiam infallibiliter extrinsece connectitur; determinatur vero, quatenus voluntas ab eadem gratia inclinata & adjuta eligit libere consensum: hoc ipso enim & concursus Dei generalis, & reliqua omnia requisita ad consensum a voluntate determinantur; in quo quid inconveniens? Merito igitur dicitur a Nazianzeno Deus per gratiam suam *principaliter operari*, *etiamsi ipsum velle nostrum sit*, & a voluntate nostra ipsa gratia in sensu antea exposito determinetur. Neque altera, quæ opponitur S. hujus Doctoris sententia obstat: hoc ipso namque quod locum illum Apostoli exponens adjiciat: *non solum volentis*, *nec currentis solum*, non excludit voluntatis cooperationem; sed hanc una cum miserentis Dei adjutorio ad opus salutare meritorium exigit: illud tamen exigit principaliter, ita ut *totum optimo jure Deo assignetur*, eo ipso quod Dei gratia det non tantum posse, sed etiam velle.

Profitemur igitur cum Apostolo, & eodem sensu, quo dicit Apostolus: *Non est volentis*, *neque currentis*, *sed miserentis Dei*: quia quod bene volumus, recte tribuitur vocanti Deo, quomodo nobis aptum est, ut bene velimus; & nobis, quod ita vocemur, tribui non potest. *Non est volentis &c.* quia non bene volumus, nisi prius vocemur, quomodo nobis aptum est, ut bene velimus; & quod ita vocemur, nullatenus a nobis dependet, sed a solo Deo, qui, cujus vult, miseretur, & miserendo sic eum vocat. *Non est volentis*, *neque currentis*, *sed miserentis Dei*; quia etsi multi vocentur, non tamen omnes veniunt, eo quod non omnium misereatur

Deus,

Deus, & ita non omnes vocet, quomodo eis aptum eſt, ut veniant. Illi proinde dumtaxat veniunt, quorum miſeretur Deus, quosve ſolos ſic vocat, quomodo eis aptum eſt, ut veniant. Sic plane Apoſtolum interpretatur D. Auguſtinus lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Quia*, inquit, *non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur, quod bene volumus; nobis vero tribui non poteſt, quod vocamur . . . Igitur* non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem. . . . Verum eſt*, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; *quia etiamſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur &c.* Quid ad hæc Bertius? Non eſt profecto, cur Suarezium arguat, quod Auguſtinianæ expoſitionis ſenſu convictus ad præſidium Nazianzeni confugiat; quandoquidem Apoſtolica illa ſententia, tam Auguſtini, quam Nazianzeni interpretatione intellecta, Suareziano ſyſtemati plurimum patrocinatur. Sed

VII. *Objic. 3tio.* Alium percelebrem ejusdem Apoſtoli locum in 1ma ad Corinth. c. 4. v. 7. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Quibus Apoſtoli verbis aperte ſignificatur, hominem non a ſeipſo, ſed a Deo ejusque gratia diſcerni. Atqui in noſtro ſyſtemate homo ſe ipſum ab alio per libertatem ſuam diſcerneret: non enim diſcerneretur ab alio per gratiam prævenientem, cum illa omnibus communis ſit, atque in omnibus eadem, nullus autem diſcernatur ab alio per id, quod eſt utrique commune; non etiam ſecerneretur per gratiam concomitantem, aut ſimultaneum concurſum, cum iſte quoque communis ſit, & operationem voluntatis non antecedat. Ergo diſcretio unius ab altero a propria voluntatis determinatione deſumitur. Poterit proinde homo gloriari, habere ſe aliquid etiam ad ſalutem conferens,

rens,

rens, quod a Deo non acceperit, contra expressam Apostoli sententiam.

Resp. Duplicem discretionis ordinem distingui oportere: Unum intentionis & æternitatis, alterum executionis ac temporis. In ordine intentionis discretio hominis fit a solo Deo misericorditer, nempe per gratuitam electionem, gratuitam prædefinitionem operum salutarium, & gratuitam præparationem ejusmodi auxiliorum, quibuscum homo, si ea dentur in tempore, opera salutaria libere exerciturus prævidetur. In ordine executionis, quæ fit in tempore, discretio hominis habetur partim per collationem gratiæ congruæ, partim per consensum salutarem. Prior discretio est rursus a solo Deo; quod enim homo vocetur congrue, effectus est solius misericordiæ DEI, qui, *cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere.* Utque plane intelligas, quod ea discretio sit a solo Deo, adverte, hominem conversum & non conversum esse prævie & in statu conditionato æquales, in quantum uterque per scientiam conditionalium prænoscitur aliquibus gratiæ auxiliis consensurus, aliis dissensurus: tum cogita, Deum secundum incomprehensibilia sua judicia uni dare illud auxilium, quod congruum ei futurum, & ab eo consensum obtenturum prævidit; alteri illud, quod prævidit incongruum, & effectu frustrandum.

Altera discretio est ab homine, sed non solo: Nam cum partialiter se ipsum discernit consentiendo gratiæ, non se discernit per libertatem suam nudam & solam, sed per libertatem ut adjutam & completam per gratiam excitantem, qua prævenitur, & movetur, quomodo ei congruit, ut consentiat. Homo enim in nostra sententia non consentit gratiæ excitanti, nisi dependenter ab ea, ut non solum præveniente & præmovente ad consensum, sed etiam voluntatem actu consentientem adjuvante & ita corroborante, ut in ipsam natura prius, quam consentiat, influat. Verum proinde sim-

pliciter manet, nos a Deo discerni; quia Deus & in æternitate & in tempore hominem prius misericorditer discernit, quam se ipsum discernat, aut discernere possit.

Porro quod discretio illa, quæ in salutari voluntatis consensu reposita est, non sit a sola gratia, docet Apostolus 1. ad Cor. c. 15. *Non ego* (solus) *sed gratia Dei mecum.* Quæ verba exponens S. Augustinus Lib. de Grat. & arb. c. 5. sic loquitur: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum: id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* Idem docet pluribus aliis locis, præsertim vero Lib. 1. ad Simplic. q. 2. cum ait: *Ut velimus, & suum esse voluit, & nostrum; suum vocando, nostrum sequendo.* Et lib. de Spir. & lit. c. 34. *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Nullatenus tamen propterea contra effatum Apostoli gloriari potest homo, *quasi non acceperit;* sed potius cum eodem confiteri: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Ille enim discernit,* ait S. Augustinus L. 2. contra duas Epist. Pelagianorum c. 7. *qui, unde discernaris, impertit.* Nescio profecto, an hæc ita recte conveniant gratiæ & vocationi illi, per quam solam hominis discretio, nihil ad id ejus arbitrio conferente, perfici ab Adversariis nostris supponitur. Neque enim video, quid arbitrium ex suo conferat, si antecedenter & insuperabiliter a gratia discernatur. Sed ut S. Augustini doctrina circa gratiam efficacem magis adhuc elucescat, ex iis omnibus S. Doctoris textibus, qui adversus systema nostrum operose congeruntur, juvat unum aut alterum hic adferre & exponere.

Objectiones ex S. Augustino.

QUæcunque ex S. Augustino adversus gratiam ab extrinseco efficacem ab Adversariis opponi solent, ad tria veluti capita revocari possunt.

VIII.

VIII. *Objiciunt 1mo.* ea testimonia, in quibus vim & efficaciam gratiæ S. Doctor repetit ab una omnipotentissima Dei voluntate. Lib. de Prædest. SS. cap. 8. *Hæc itaque gratia . . . a nullo duro corde respuitur ; ideo quippe tribuitur, ut cordis durities penitus auferatur.* Lib. de corrept. & grat. c. 14. *Volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium . . . De his enim, qui faciunt, quæ non vult, facit ipse, quod vult . . . Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Hinc exempla gratiæ reluctantium animos invincibiliter trahentis profert L. de lib. arb. & gr. c. 5. in Paulo ad fidem converso, quando persequebatur Ecclesiam, de quo ait, *ut de cœlo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* item L. 1. ad Bonifac. c. 20. in Assuero, quem Deus ex iracundia transtulit in lenitatem. Et de corrept. & gr. c. 14. in Abisai, qui David Regem excepit. Hinc denique doctrinæ Augustinianæ conclusio, quam habet S. Doctor eodem cap. 14. *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei . . . humanas voluntates non posse resistere, quoniam facit ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit.* Ex quibus omnibus constat, efficaciam gratiæ non pendere ab hominum nutu, vel ab extrinsecis circumstantiis, sed ex absoluta Dei voluntate & potestate, quæ inclinat, quo vult, hominum corda, & ei volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium.

Resp. Quis ejusmodi sententiarum sit sensus, sæpe alias per occasionem insinuatum a nobis est. Sed ut S. Doctoris mens magis adhuc in aperto constituatur, omnibus illis testimoniis nihil adversus gratiæ efficaciam, qualis a nobis asseritur, confici dicimus. Fatemur ultro, efficaciam gratiæ petendam esse ex omnipotentissima Dei voluntate; neque hoc Molinistarum ullus unquam negavit, ut falso ipsis affingit Bertius Lib. & Cap.

ſupra cit. N. 19. Quis enim Catholicorum negare id auſit, quod Scriptura diſerte adeo nos docet? Fatemur igitur, DEUM habere humanorum cordium, quo voluerit, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem. Fatemur, gratiam efficacem a nullo corde reſpui, eidem nullum hominis reſiſtere, nec reſiſtere poſſe arbitrium. Sed hæc omnia gratiæ ab extrinſeco dumtaxat efficaci, & natura ſua repudiabili recte convenire, ac de illa ſola intelligi poſſe ac debere contendimus. Nam gratia ejusmodi, quamvis de ſe infallibiliter conjuncta non ſit cum conſenſu, ſi tamen eam DEUS det ſub luce ſcientiæ conditionalium, quomodo nempe eam ſcit congruere, ut non reſpuatur, ſumma infallibilitate non reſpuitur, neque ita collata reſpui poteſt: nullæ quippe ſunt circumſtantiæ poſſibiles, in quibus DEUS infinite potens & ſapiens non poſſit gratiam cordibus quantumlibet duris dare, quomodo eis congruit, aut in quibus ex infinito gratiarum ſuarum theſauro non poſſit dare illam, quæ eis ita congruit, ut depoſita duritie, bonum velint & operentur. Hinc male ſentiunt de Omnipotentia & Sapientia Divina, qui putant cordis duritiem a Deo auferri non poſſe, niſi per gratiam inſuperabiliter prædeterminantem. Quaſi vero DEUS gratiam natura ſua repudiabilem & indifferentem non poſſit ſic attemperare cordibus etiam duriſſimis, ut eorum duritiam emolliat, & primitus auferat. Itaque juxta S. Auguſtinum, gratia efficax eſt, quæ a nullo duro corde reſpuitur, cui nullum hominis reſiſtit arbitrium &c. non quod efficax per ſe & intrinſece irreſiſtibilis ſit, aut vim habeat invincibiliter prædeterminandi; ſed quia datur a DEO, quomodo eam ſcit DEUS aptam eſſe ut non reſpuatur: tunc enim ſumma infallibilitate non reſpuitur, quia ſumma certitudine a DEO præſcita eſt non eſſe reſpuenda, ſi ita daretur.

Ad exempla, quæ objiciuntur, quod attinet; Vocatio illa S. Pauli, quam *magnam & efficaciſſimam fuiſſe* dicit Auguſtinus, ad eam pertinet ſubitam gratiæ motionem, quæ indelibe-

rata

rata est, & fit in nobis sine nobis, ut recte observat Tournelius Q. 9. de Gratia efficaci Art. 1. non vero ad eam, cui voluntas libere consentit, ac cooperatur. Utrumque divinæ in nobis motionis genus distinguit ibidem S. Doctor. In ea, quæ deliberata est, *nec gratia DEI est sola*, inquit, *nec ipse* (Paulus) *solus*, *sed Gratia DEI cum illo - - Ut autem*, pergit, *de Cœlo vocaretur*, & *tam magna* & *efficacissima vocatione converteretur*, *gratia erat sola*.

Neque obstat, quod reponit Berti N. 20. Augustinum appellare magnam & efficacissimam gratiam collatam Paulo, non solum ut vocaretur, sed etiam ut converteretur; conversionem autem non esse absque deliberatione, & liberi arbitrii cooperatione: gratiam proinde illam magnam fuisse & efficacissimam, non solum comparate ad motionem gratiæ indeliberatam, verum etiam ut pertinet ad deliberatam voluntatis operationem. Id, inquam, non obstat duplici titulo. *Primo* quidem, quia certum est, Augustinum duplicem eo loco gratiæ speciem distinguere, quarum prior se sola motionem indeliberatam, posterior unacum libero arbitrio motionem deliberatam effecerat. Per motionem ergo illam indeliberatam & vocatus & conversus est Paulus, scilicet conversione inchoata & imperfecta, quam deinde gratia unacum liberi arbitrii cooperatione perfecit ac consummavit. *Secundo*: Esto, posteriorem illam gratiam, quæ collata est Paulo ad liberam & deliberatam conversionem, efficacissimam appellaverit Augustinus; minime tamen propterea etiam modum definivit, quo ea gratia conversionem in Paulo operata est. Efficacissimam fuisse nemo nostrum diffitetur; quia cum conversione Pauli infallibiliter conjuncta fuit. Sed infallibilem illam connexionem gratiæ internam ac essentialem fuisse, ex illis Augustini verbis nequaquam probatur.

IX. *Objic. 2do*, Ea Augustini loca, quibus significatur, hominis infirmi & in peccatis concepti totum bonum opus DEO

tribuendum esse, utpote à quo est ipsa hominis cooperatio, & qui dat non solum posse, sed & velle, ac ex nolentibus volentes efficit: *Trahitur miris modis*, inquit S. Doctor L. I. contra duas Epist. Pelag. cap. 19. *ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Et Lib. de Grat. & lib. arbitr. c. 16. *Certum est nos velle, cum volumus; sed ille facit ut velimus bonum - - Certum est nos facere, cum facimus; sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Si ergo DEUS ex nolentibus volentes efficit, si ille facit ut velimus & faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati; nihil aliud intelligi potest in doctrina S. Augustini, quam id totum a DEO fieri per ejusmodi gratiam, cujus efficacia tota a DEO sit, nullatenus vero pendeat ab hominis voluntate.

Hinc solenne est S. Doctori in assignanda causa, cur unus velit, alter non velit, cur unus efficaciter vocetur, alter non item, confugere ad inscrutabilia DEI judicia, & cum Apostolo exclamare: *O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Ita enim de Dono persev. c. 9. inquit: *Ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt DEI judicia.* Et L. de Spir. & Litt. c. 34. *Si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non ita; duo sola occurrunt, quæ respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! &c.* Atqui in nostro systemate judicia DEI inscrutabilia non sunt, sed aperta: & cur unus credat, alter non credat, ratio secundum nos facilis est, & in promptu: quia nempe unus vult, alter non vult gratiæ assentiri; & quia unus movetur, quomodo ei aptum est, ut credat, alter vero non sic movetur. Id vero dicere, non ab Augustini solum, verum & Apostoli mente ac sensu est longe alienum. *Resp.*

Resp. Ita prorſus eſt, ut docet S. Auguſtinus: Deus dat non ſolum poſſe, ſed etiam velle & operari; ex nolentibus volentes efficit &c. At nego id fieri per gratiam natura ſua efficacem, & inſuperabiliter prædeterminantem; neque enim id ullibi exprimit S. Doctor. Ex nolentibus fiunt homines volentes per gratiam, ſed ejusmodi, quam Deus novit eis ſic accommodare, ut cum antea nollent, jam velint, & quidem libere, ac ſine antecedente inevitabili obligatione velint. Unde merito dicit S. Doctor, Deum homines trahere miris modis. Mirus namque profecto eſt ille trahendi modus, quo tracti homines ſumma infallibilitate trahentem ſequuntur, & tamen ſequuntur absque omni neceſſitate antecedente, ſeu quod idem eſt, absque omni inevitabili prædeterminatione.

Similiter ex S. Doctore, Deus facit, ut velimus, & faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, talem nimirum gratiam largiendo, quam quidem homo repudiare poteſt, quacum tamen efficaciſſime vult, quod bonum eſt; quia Deus eam ſic attemperat, quomodo ſcit illi congruere, ut ex propria & libera determinatione efficaciſſime velit. Recte igitur Auguſtinus, quoties quæritur, cur unus velit, alter non velit, cum Apoſtolo recurrit ad inſcrutabilia Dei judicia. Neque profecto magis aperta ſunt in noſtro ſyſtemate, quam in quocunque alio non Pelagiano aut Semipelagiano. Quamvis enim in hoc myſterium non ſit, cur unus credat, & alter non credat, ſed facilis ſecundum nos ſit ac vera ad id reſponſio: quia uterque non vocatur, quomodo ei aptum eſt, ut credat. Attamen cur, cum prædicatur Evangelium, unus vocetur, quomodo ei aptum eſt, ut credat, & alter non vocetur, in hoc enimvero myſterium eſt, in noſtra perinde ac in quacunque alia ſententia inſcrutabile. Nam ſecundum nos, ex parte illius, qui vocatur, quomodo ei aptum eſt, ut credat, nulla prorſus ratio aſſignari poteſt, cur ipſe potius ſic vocetur, quam alter; & nullam ex parte Dei aliam habemus, præter

ejus

ejus beneplacitum. Unde exclamare cogimur cum Apostolo: *O altitudo divitiarum! &c.* Neque aliud hic respondere possumus, quam quod respondit Augustinus: *Cur iste vocetur . . . ille non vocetur . . . inscrutabilia sunt Dei judicia.*

X. *Objic. 3tio.* Celebrem illum Locum ex Lib. *de Corrept. & Grat.* c. 11. & 12. in quo S. Augustinus amplum statuit discrimen inter gratiam status naturæ innocentis, & gratiam status naturæ lapsæ. Per illam dicit accepisse primum hominem *posse*, non autem *velle*, quod in ejus relinquebatur arbitrio; per istam dari *posse* & *velle;* hanc proinde esse illa potentiorem. Per gratiam medicinalem asserit hominem ideo posse, quia vult; & ideo velle, quia Deus in eo operatur, ut velit. Denique gratiam priorem sufficientem duntaxat fuisse, versatilem, libero voluntatis arbitrio permissam; gratiam vero hujus status invincibiliter voluntatem determinare ad bonum. Discrimen istud fuse prosequitur S. Augustinus Lib. & cap. cit. cujus verba jam supra recitavimus pag. 80. & 81. Atque ita denique concludit: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur . . . Fortissimo* (Adamo) *dimisit atque permisit facere, quod vellet: infirmis servavit, ut ipso donante invictissime quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent.*

Resp. Objectioni huic abunde satisfactum a nobis esse arbitror præcedentis Disser. Sect. 1. cap. 5. & Sect. 2. cap. 6. ubi repudiato Janseniano gratiæ utriusque status discrimine, pluribus exposuimus, quo sensu intelligi debeat adjutorium *sine quo non*, & adjutorium *quo*, quidve ex mente S. Augustini inter gratiam sanitatis & gratiam medicinalem discriminis intercedat.

Cæterum quocunque demum ex dictis sensu adjutorium illud *quo* intelligere placuerit, & quantumcunque per gratiam medicinalem voluntatis humanæ infirmitas indeclinabiliter & in-

insuperabiliter agi dicatur; inde tamen gratiam a se efficacem nunquam elicies. Vel enim verba illa, *insuperabiliter*, *indeclinabiliter*, in quibus maxime triumphant Adversarii, cadunt in ipsam voluntatem, vel in gratiam efficacem, ut ex sententia nostra argumentatur Tournelius q. 9. art. 1. Si primum; non gratia invincibilis & insuperabilis est, vel dici debet, cui voluntas potest dissentire, si velit; sed ipsa voluntas invincibilis & insuperabilis fit per gratiam, quia ejus auxilio roborata invicta stat & immobilis adversus omnes tentationum insultus; quem sensum indicare re ipsa videtur S. Augustinus verbis antea cit. *Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.* Si vero cadunt verba illa in gratiam efficacem; recto etiam sensu invincibilis & insuperabilis illa dici potest, non quidem natura sua & antecedenter, sed consequenter ad scientiam divinam, qua DEUS certissime novit, quid homo facturus sit, si sub gratia congrua in his vel illis circumstantiis constituatur.

Sed *inquiunt:* S. Doctor eodem Cap. 11. expresse asserit, electis non relinqui voluntatem suam. *Si in tanta*, inquit, *infirmitate vitæ hujus - - ipsis relinqueretur voluntas sua - - inter tot ac tantas tentationes voluntas ipsa succumberet; & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent.* Ergo juxta S. Augustinum, Deus electis non relinquit voluntatem suam, ut cum adjutorio gratiæ perseverent, si velint; contra vero Adamo suam reliquerat, ut, si vellet, perseveraret. At DEUM suam reliquisse Adamo voluntatem in statu innocentiæ, nihil aliud est, quam ei dedisse gratiam, quacum velle, vel non velle bonum, perseverare, vel non perseverare posset pro arbitrio. Ergo pariter, DEUM electis non relinquere voluntatem suam, nihil aliud esse potest, juxta mentem S. Doctoris, quam DEUM iisdem dare gratiam, quacum non

possunt non velle bonum, proindeque quacum non possunt non perseverare in statu justitiæ.

Hinc postquam dixisset S. Doctor, subventum esse infirmitati humanæ, ut divina gratia insuperabiliter ageretur; illico subjunxit: DEUM Adamo innocenti *dimisisse & permisisse ut faceret quod vellet: infirmis* vero *servasse, ut ipso donante, invictissime quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissime nollent.* Permisit nempe, ex mente S. Doctoris, Adamo DEUS facere quod vellet, quia velle vel non velle in ejus reliquit arbitrio. Contra vero electis non permittit facere quod velint; quia velle vel non velle non relinquit in eorum arbitrio, sed ita per gratiam eos movet ad volendum bonum, ut non possint illud non velle.

Resp. S. Doctor asserit, Deum non relinquere electis voluntatem suam: quia non solum per supernaturalem illustrationem ostendit eis, quid appetere, quid vitare debeant; sed etiam per cœlestem delectationem operatur in eorum voluntate, quomodo ei congruit, ut velit appetere, quod appetendum est, & vitare, quod vitandum est. At vero Adamo innocenti reliquit voluntatem suam; quia ad perseverandum in statu innocentiæ non aliam ei dedit actualem gratiam, quam gratiam illustrationis; neque per se, ut poterat, in ejus voluntate operatus est, quomodo sciebat ei congruere, ut vellet, & in statu innocentiæ permaneret. Et ideo addit S. Doctor, DEUM Adamo innocenti permisisse, ut faceret quod vellet; electis vero non ita permittere: quia donat illis, ut quod bonum est, velint invictissime, voluntatem illorum, non irresistibiliter, sed congrue flectendo & inclinando, atque ita congrue, ut efficaciter velit, tantoque ardore diligat, quod bonum est, ut in ejus prosecutione immobilis persistat adversus quoscunque tentationum impetus: eo namque refertur hæc vox *invictissime;* quemadmodum diximus de vocibus illis, *indeclinabiliter, insuperabiliter.*

Obje-

Objectiones ex rationum momentis.

XI. OBjic. 1mo. In hypothesi gratiæ ab extrinseco efficacis non salvatur in DEO ratio causæ primæ, primique liberi, nec supremum illud dominium, quod DEUS habet in voluntates nostras, & *omnipotentissima*, ut Augustinus loquitur, *humanorum cordium, quo placuerit, inclinandorum potestas.* Etenim

1mo: De ratione causæ primæ, primique liberi est, determinare causas secundas liberas ad agendum. Atqui in hac hypothesi non DEUS determinat voluntatem hominis ad eliciendum actum salutarem, sed potius hominis voluntas determinat omnipotentiam Dei ad concurrendum, & coefficiendum actum salutarem; cum DEUS prævie conferat auxilium, quod ex se tam cum actu, quam cum ejus omissione componi potest.

2do. De ratione pariter supremi DEI Dominii est, posse cujusvis hominis voluntatem, quantumcunque pertinacem atque rebellem, ad se convertere eidem conferendo gratiam efficacem. Atqui id in hypothesi nostra non posset: quia cum auxilia gratiæ ex se efficacia non sint, nec essentialiter connexa cum consensu, fieri potest, ut voluntas aliqua prævideatur omnibus omnino ejusmodi auxiliis dissensura. Ergo.

Resp. ad 1mum: Dist. maj. De ratione causæ primæ, primique liberi est, determinare causas secundas liberas ad agendum determinatione, quæ causis secundis liberis accomodata sit, *Conc.* secus *Neg. maj.* In hypothesi, quam propugnamus, voluntas nostra, quemadmodum supra diximus de gratia, & determinatur simul & determinat, quin ullum inde sequatur inconveniens. Determinatur nempe a DEO, sed determinatione sibi conveniente & accomodata: determinat simul omnipotentiam divinam, sed determinatione subordinata DEO tanquam causæ primæ, primoque libero. Determinatur, inquam, voluntas nostra, quatenus non solum ipsam agendi virtutem a

DEO habet, paratamque ad concurrendum omnipotentiam, sed & gratiæ auxilium ab eo accipit, de se quidem indifferens, attamen positive inclinans ad consensum, simulque prævisum infallibiliter conjungendum cum consensu, & ex intentione ac voluntate consensus absoluta collatum. Determinat autem omnipotentiam divinam voluntas nostra, in quantum dominativa suorum actuum potestate a DEO accepta libere consensum elicit; eo ipso namque omnia prærequisita, sibi a Deo liberaliter & indifferenter oblata & præparata determinat ad coefficiendum consensum. Determinat, inquam, non viribus naturæ, sed virtute gratiæ tum excitantis, tum adjuvantis & cooperantis.

Neque obstat, quod ideo gratia concurrat, quia voluntas determinat: nam to *quia* hic non significat determinationem voluntatis priorem esse concursu gratiæ, sed indivisam ab illo, soli tamen voluntati immediate liberam. Neque etiam officit, quod determinatio voluntatis ad consensum non procedat immediate a DEO, sed ab ipsa voluntate, utpote quæ sola se immediate libere determinat ad consensum. Nequit enim una eademque determinatio esse duobus agentibus immediate libera, proinde nec potest a DEO immediate procedere elective, seu immediate libere. Procedit nihilominus a DEO immediate effective; quia DEUS ad illam efficaciter concurrit tum ut causa universalis per concursum ordinarium, tum ut Author supernaturalis per gratiam excitantem, adjuvantem, & cooperantem. Qua ratione ita salvatur ratio causæ primæ & secundæ, primi & secundi liberi, ut ab omni Pelagianorum, aut Semipelagianorum errore quam longissime recedatur.

Resp. ad 2dum: Dist. maj. De ratione supremi DEI Dominii est, posse hominis cujusvis voluntatem, quantumcunque pertinacem atque rebellem ad se convertere, in præsenti hypothesi & hac providentia, in qua nullus est homo, qui prævisus non sit alicui saltem auxilio indifferenti consensurus, *Conc. maj.* posse quamvis voluntatem convertere etiam in alia hypothesi,

in

in qua hominum aliquis prævideretur diſſenſurus omnibus omnino auxiliis indifferentibus, *Neg. maj.* ſic *Diſt. min. Neg. conſ.* Quod Deus in moderna providentia quemvis hominem, ſalva ejus libertate, atque adeo per mera auxilia de ſe indifferentia convertere, & ſimiliter quemvis ſub auxiliis pariter indifferentibus obdurare poſſit, certum nobis faciunt luculenta ea de re & Patrum, & ipſius Scripturæ teſtimonia. Ex omnibus proinde hominibus, qui in hac providentia extiterunt, aut extituri ſunt, nullum eſſe dicimus, qui defacto prævisus ſit omnibus gratiæ auxiliis diſſenſurus, aut omnibus conſenſurus; ſed ſingulos prævisos eſſe auxiliis quibusdam conſenſuros, quibusdam vero diſſenſuros. Quin nec poſſibilem moraliter arbitramur hominem, aut creaturam rationalem ejusmodi, quæ prævideatur omnibus omnino gratiæ auxiliis diſſenſura, quamvis etiam ſingula ſupponantur eſſe moraliter indifferentia, ſeu talia, quæ ratione ſuæ intenſionis aut aliarum circumſtantiarum nec moraliter neceſſitent ad conſenſum. Licet enim moralis iſthæc impoſſibilitas diſſentiendi omnibus fundari nequeat in ipſa auxiliorum natura, utpote quæ ſupponuntur eſſe moraliter indifferentia; fundatur tamen partim in nativa voluntatis creatæ inconſtantia & mobilitate, partim in multitudine & varietate auxiliorum, quæ cum diverſos habeant alliciendi & inclinandi modos, vix fieri poſſe videtur, ut omnia omnino effectu ſuo fruſtrentur: quia moraliter impoſſibile eſt, ut tam inconſtans, tamque verſatilis voluntas uniformiter ſemper operetur, & non aliquando ſaltem ab aliquo ex tot tamque diverſis auxiliis ad conſentiendum pertrahatur.

Utrum vero ſimpliciter, & ut ajunt, *metaphyſice* poſſibilis ſit voluntas creata tam rebellis, quæ videatur diſſenſura omnibus omnino gratiæ auxiliis: an vero potius detur neceſſitas *metaphyſica* vaga & antecedens, ut quævis voluntas prævideatur alicui ex omnibus conſenſura; non inquirimus in præſenti, quia id in earum numero quæſtionum habemus,

 quas

quas nonnullorum nimia in hoc genere diligentia, nullo alio, quam folius exercitationis fructu, in fcholas invexit.

XII. *Objic. 2do.* Si gratia natura fua efficax non fit, fed aliquo fenfu efficax reddatur per voluntatis confenfum, complura fequuntur maxime abfurda.

Et 1*mo* quidem: Deum non poffe provide conferre gratiam efficacem, nifi præconfulta hominis voluntate; neque a peccato nos mundare, nifi expectet voluntatem noftram, ut mundari velimus. Quod expreffe adverfatur definitioni Concilii Araufícani II. adverfus Semipelagianos Can. 4. ita fancientis: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem noftram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infufionem & operationem in nobis fieri confitetur, refiftit ipfi Spiritui Sancto &c.*

2*do.* Sequitur, in hominis poteftate effe, habere vel non habere gratiam efficacem; tolli proinde orationis neceffitatem: quid enim neceffe eft a Deo petere gratiam, quam in noftra habemus poteftate. Id vero eft contra communem fenfum Fidelium, efficacem a Deo gratiam conftanter implorantium. Ita S. Mater Ecclefia Deum orat Feria 4. poft Dom. 2. Quadr. *Dirige ad te tuorum corda fidelium, ut Spiritus tui fervore concepto, & in fide inveniantur ftabiles, & in opere efficaces.* Sabbato poft Dom. 4. *Ad te noftras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* In Vigilia Pentec. *Concede nobis & noftræ voluntatis pravitatem frangere &c.* Hujus generis precibus funt facra Officia pleniffima. At gratia, quæ infpirando Spiritus Sancti fervorem reddit nos in opere efficaces, quæ voluntatem etiam rebellem revocat ad obfequium, quæ voluntatis frangit pravitatem &c. quid quæfo aliud eft, quam gratia per fe effectrix, feu natura fua efficax. Hanc ergo Ecclefia a Deo poftulat, hujus proinde gratiæ neceffitatem fateamur eft neceffe.

3*tio.*

3tio. Sequitur in nostro systemate, gratiam esse voluntatis pedissequam, & libero arbitrio subjectam, quod Semipelagianum est. Item versatilem esse, & partum scientiæ exploratricis, per quam nempe Deus, ut vocet hominem efficaciter, exquirere & attendere debeat ad ejus indolem, mores, affectiones, cæterasque circumstantias congruas, in quibus illi gratiam suam largitur; quæ certe absurda sunt, & Deo, divinæque ipsius gratiæ minime consentanea.

Resp. Hæc omnia absurda falso prorsus systemati nostro imputari. Etenim

Ad 1mum Dist. assertum: Deus non confert provide gratiam efficacem, nisi præconsulta nostra voluntate, id est, nisi præcognito ejus consensu conditionate futuro, *Conc.* in alio sensu, *Neg.* Deum non conferre gratiam efficacem, nisi sub directione scientiæ conditionalium, seu nisi prævie cognoscat, quod hæc vel illa gratia sit ita apta & congrua hominis voluntati, ut eidem, si daretur, consentiret, ex ipsius etiam S. Augustini doctrina eruitur, atque illis cumprimis supra citatis verbis: *Eorum miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur.* Quod vero inde minime deducatur, Deum expectare nostram voluntatem in sensu Semipelagiano a Concilio damnato, patet ex iis, quæ jam sæpe alias diximus. Non enim expectat Deus voluntatem nostram disponentem se viribus naturæ, ut conferat gratiam excitantem; quamvis expectet voluntatem a præveniente gratia excitatam, & gratiæ viribus se disponentem, e. g. per actum contritionis ad recipiendam gratiam sanctificantem, per quam a peccatis purgamur, vel ad ejus gratiæ augmentum. Neque obstat, quod Deus conferat gratiam post consensum conditionate prævisum: nam etiam consensum conditionatum Deus non expectat tanquam meritum, ut falso asserebant Semipelagiani; imo simpliciter non expectat, quia illum ante omne divinæ suæ voluntatis decretum necessario cognoscit. Quod igitur purgemur

a pec-

a peccatis, est solius miserentis Dei, non solum, quia non nisi ejus adjutorio adipisci non possumus peccatorum purgationem, cum illam volumus; sed etiam & potissimum, quia non nisi gratuita ejus vocatione congrua volumus.

Ad 2dum. Neg. sequelam utramque. Non enim in hominis potestate est, non habere gratiam efficacem; quia is facere non potest, ne Deus eum, si velit, vocet, quomodo ei congruit, ut consentiat. Quis enim dubitet, Deum infinite sapientem & potentem, habere plures vocandi modos, quamvis ex se etiam moraliter repudiabiles, quibus hominem quemlibet vocare possit, sicut ei congruit, ut vocantem non respuat. Nec in hominis potestate est habere gratiam efficacem: nam is pariter facere non potest, ut uno potius modo vocetur, quam alio; ac proinde facere non potest, ut potius vocetur modo congruo, quam incongruo. Quod igitur ad obtinendum infallibiliter voluntatis nostræ consensum Deus eligat gratiam congruam, bonique operis effectricem, hoc speciale & gratuitum est beneficium, pro quo, cum id accepimus, gratias debemus Deo, & ut deinceps etiam accipere mereamur, instanter imploranda nobis est divina misericordia. Hoc nempe gratiarum genus a Deo postulat S. Mater Ecclesia, cum Deum orat, ut rebelles hominum ad se propitius compellat voluntates, ut eorundem pravitatem frangat, ut inspirato Spiritus Sancti fervore reddat in opere efficaces &c.

Ad 3tium Resp. Ea omnia esse falsa. Primum quidem: quia ideo Semipelagiani gratiam pedissequam voluntatis faciebant, quod crederent eam non dari gratis, sed aliquem semper præire bonum liberi arbitrii usum, quem subsequeretur gratia illius intuitu collata, & ad opus salutis promovendum necessaria. Quem nos errorem cum omnibus Catholicis detestamur, & cum illis profitemur, gratiam gratis conferri, & in omni effectu suo voluntatem nostram prævenire. Duplex gratiæ efficacis effectus hoc loco distingui potest: unus est, ex-

excitare & movere voluntatem, quomodo illi aptum est ut consentiat; alter voluntati consensum elicienti cooperari. In utroque dicimus voluntatem a gratia præveniri. Primum certe effectum præstat gratia independenter ab omni libertatis exercitio, & ante omnem actum voluntatis deliberatum: igitur voluntatem prævenit. Secundum effectum simul quidem tempore & indivisibiliter operatur gratia cum voluntate deliberate agente; sed natura prius operatur gratia, & voluntatem causalitate prævenit: quia hæc non consentit, nisi dependenter a gratia ad consentiendum ipsam actu elevante, adjuvante, & movente quomodo illi aptum est ut consentiat. Unde gratia voluntatem applicat ad consensum, & in eum influit natura prius, quam ipsa voluntas, quam immediate afficit. Hinc gratia respectu consensus est causa superior, principalis, applicans, præmovens; voluntas vero est causa inferior, subordinata, applicata, præmota, adeoque in omnibus præventa.

Perperam item arguitur, gratiam efficacem, qualem hic defendimus, esse versatilem. Hæc quippe vox, *versatilis*, primum inventa & usurpata est ab humanæ libertatis hostibus, ut veram Christi gratiam, si fieri posset, in contemptum adducerent, & aliam falsam, videlicet necessitantem commendarent. Quod si tamen illi per gratiam versatilem nihil aliud intelligant, quam gratiam, quæ nec necessitet, nec insuperabiliter prædeterminet voluntatem ad consensum, sed ex se componi possit cum dissensu, & a voluntate etiam moraliter repudiari; quo sensu gratia, statui naturæ innocentis propria, fuit versatilis, non repugnabimus, gratiam efficacem in sententia nostra esse gratiam versatilem, ab ipsa tamen voce, ne cuiquam offendiculo simus, abstinendum arbitramur.

Denique falso asseritur, gratiam ab extrinseco efficacem esse partum scientiæ exploratricis. Scientia namque conditionatorum, per quam Deus in danda gratia efficaci dirigitur,

non magis est scientia exploratrix, quam scientia mere possibilium, seu simplicis intelligentiæ, aut scientia aliquando existentium, quæ est scientia visionis. Neque enim necesse est, Deum laborare in investigandis veritatibus conditionalibus, aut inquirendis modis, quibus movere possit voluntates hominum, quomodo illis congruit, ut motioni obtemperent; cum clare & distincte, summaque certitudine cognoscat, quid cujuslibet hominis voluntas libere actura esset sub quacunque conditione possibili, omnesque modos possibiles, quos habet in thesauris omnipotentiæ suæ ad movendum sive congue sive incongrue quemvis hominem quovis tempore & quibuscunque circumstantiis possibilibus. Quod si igitur Deus in danda gratia efficaci attendit ad indolem, genium, affectiones & alias ejusmodi circumstantias hominis, cui dat gratiam, id non facit ex aliqua necessitate, nam si vellet, voluntatem hominis prædeterminaret insuperabiliter; sed ex providentiæ suæ suavitate, ut videlicet hominem moveat, quomodo illi aptum est, ut velit & operetur bonum; moveat, inquam, relinquendo illi expeditam facultatem non volendi bonum etiam in sensu composito motionis, adeoque moveat efficaciter illæsa prorsus arbitrii libertate; quod fieri non posse dicimus, nisi gratiam suam conferat sub directione scientiæ conditionalium. Sed tædet jam rebus toties recoctis refellendis diutius immorari.

XIII. *Objic.* 3*tio.* Systema scientiæ conditionalium non magis consulit libero hominis arbitrio, quam quævis alia hypothesis gratiæ ab intrinseco efficacis. Modus insuper ille conciliandi gratiam efficacem cum voluntatis creatæ libertate novus est, ac facilis. Ergo rejiciendus. *Prob.* per partes.

Etenim 1*mo.* Gratia efficax, ut a Deo decernitur sub directione scientiæ mediæ de consensu conditionate futuro, est principium antecedens consensum absolutum, simulque infallibiliter cum eo connexum. Sed tale principium tollit liberta-

tem

tem consensus absoluti. Ergo. *Prob. min.* Stante tali principio voluntas non potest in statu absoluto omittere consensum. Ergo necessario consentit.

2*do*. Illa doctrina vel eo solo titulo in Theologia admittenda non est, quod sit nova, & veteribus Theologis, sanctisque Patribus ignota, præsertim S. Augustino, quem in controversiis de Gratia consulendum docuerunt unanimi consensu summi Pontifices. Atqui talis est doctrina tradens modum illum conciliandi libertatem hominis cum divina gratia, quem nos adhibemus. Ergo. *Maj.* patet. Quia, ut in Tractatus hujus proœmio nos ipsi monuimus *Regula* 2. novitas, quæ in cæteris rebus grata esse solet, eadem in iis, quæ ad Religionem spectant, merito suspecta est & odiosa; juxta illud Vincentii Lirinensis in Commonitorio, *falsum, quod recens inventum. Min.* vero *prob.* ex proprio Molinæ, qui doctrinæ illius auctor est, ejusque sequacium testimonio. *Hæc nostra*, (ita Molina ipsemet confitetur Lib. Concor. q. 23. art. 5. membr. ult.) *ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædestinatione, a nemine, quem viderim, hucusque tradita est.* Fonseca, qui cum in eandem sententiam eodem circiter tempore scripsisset Tom. 3. Metaph. c. 2. q. 4. Sect. 8. pariter de hac doctrina ita subjungit: *Neque quisquam erat, qui hoc pacto libertatem arbitrii cum divina præscientia aut providentia . . . conciliasset.* Vasquez in 1. par. S. Thomæ Disp. 67. a. 4. non diffitetur eam veteribus Theologis fuisse ignotam. *De hac*, inquit, scientia sub conditione, *nihil omnino disputarunt, ac meminerunt.* Plura sunt ejusmodi alia scientiæ mediæ Assertorum testimonia, quibus aperte dicitur, doctrinam hanc esse novam, veteribus incognitam, unius privati Scriptoris ingenio natam &c.

3*tio*. Concordia gratiæ efficacis cum libero arbitrio intellectu difficillima est, ut docet S. Augustinus, qui quæstionem hanc solvere se non posse, & ad inscrutabilia Dei judicia

 re-

recurrendum esse, candide profitetur Lib. de Grat. Chr. c. 47. n. 52. Ergo modus ille, quo hæc controversia nullo negotio exponitur, falsus est, & rejiciendus.

Resp. Neg. omnes universalis illius argumenti propositiones. Ut vero satisfiat singulis, quæ in illius probationem adducta sunt.

Ad 1mum. Dist. maj. Gratia efficax &c. est principium antecedens, attamen impedibile a voluntate creata, *Conc. maj.* Non impedibile, *Neg. maj.* Sic *Dist. min.* *Neg. conf.* Ad *prob. Dist. ant.* Stante tali principio, non potest voluntas in statu absoluto omittere consensum potentia consequente ipsum consensum conditionate futurum, *Conc. ant.* potentia antecedente, *Neg. ant.* Potest enim potentia antecedente impedire consensum conditionate futurum, & facere, ut prævideatur dissensus conditionate futurus. Similiter *Dist. conf.* Ergo necessario consentit necessitate consequente, *Conc.* necessitate antecedente, *Neg. conf.* Eadem est responsio, si dicatur, decretum Dei seu voluntatem absolutam, qua decernitur gratia ex efficaci intentione consensus, esse principium antecedens consensum absolutum, simulque essentialiter cum eo connexum. Est namque principium antecedens, sed pariter impedibile a voluntate creata, quia pendet a scientia media de consensu conditionate futuro, proinde non minus atque ipsa scientia media a voluntate creata impediri potest. Quamvis igitur, stante ejusmodi Dei voluntate ac decreto non possit voluntas dissentire in statu absoluto, potentia consequente & pro sensu composito hujus decreti, potest tamen dissentire potentia antecedente, & pro sensu diviso ejusdem decreti, idemque decretum potest per dissensum a se dividere, atque adeo, non frustrare quidem, sed impedire. Unde patet discrimen inter decretum ejusmodi, & physicam Thomistarum prædeterminationem, quæ simpliciter, ut diximus, inimpedibilis est a voluntate creata, ac præterea necessario ad consensum prære-

qui-

quiritur tanquam principium ipsius immediatum. Cum econtra decretum Dei, quale a nobis admittitur, & impediri possit, & principium sit duntaxat remotum, quia solius auxilii causa; item per accidens præsuppositum, poterat enim idem auxilium in alia providentia conferri per decretum aliquod indifferens.

Si *dicas:* Decretum ejusmodi est soli Deo immediate liberum. Ergo voluntas illud impedire non potest, vel certe non aliter, nisi impediendo scientiam mediam de consensu; proinde duntaxat in statu conditionato, non vero in statu absoluto, sicut ipsam scientiam mediam potest tantum impedire in statu conditionato. Ergo adhuc tollit libertatem in, & pro statu absoluto. *Resp. Dist. ant.* est soli Deo immediate liberum, libertate tamen pendente, & partialiter constituta per scientiam mediam de consensu, *Conc.* secus *Neg. ant. Dist.* etiam *cons.* Ergo voluntas creata illud impedire non potest immediate, *Conc.* mediate, impediendo nimirum ipsam scientiam mediam, a qua pendet, & per quam partialiter constituitur libertas divina, *Neg. cons.* Porro ipsam scientiam mediam de consensu potest voluntas creata impedire etiam in statu absoluto, non quidem *formaliter*, ut dicitur, & directe, sed arguitive & indirecte, in quantum nimirum spectata potentia proxima, quæ in statu absoluto manet quoad entitatem suam indifferens, potest dissentire, atque ita determinare dissensum conditionate futurum, per quem impeditur scientia media de consensu, & decretum quod ab eadem dirigitur. Verum uberior ad ejusmodi oppositiones responsio maxima parte pendet ex iis, quæ in Tractatu de Deo, ejusque scientia tradi solent.

Ad 2dum Resp. Modus, quem nos adhibemus, in concilianda humana libertate cum efficacia gratiæ, novus quidem est quoad methodum, quoad explicationem & sensum verborum, sed novus non est quoad sensum & rem significatam. Nova est methodus, quæ Mysterium illud explicat per certum de-

decretorum divinorum ordinem, distinctionem, & usum scientiarum DEI in præparanda, decernenda, & conferenda gratia efficaci. Sed novitatem istam nobis male objiciunt Adversarii. Quis enim nescit, novissimam esse appellationem gratiæ *physice prædeterminantis*, Calvinumque primum omnium usurpasse vocem gratiæ *se ipsa efficacis?* Alia nempe methodo Theologi nunc tractant fidei controversias, quam olim Augustinus, cæterique Patres; an idcirco damnandi? In Theologis non methodus, sed dogmatum novitas reprehenditur. *Fas est*, inquit Vincentius Lirin. Commonit. 1. c. 3. *ut prisca illa cœlestis Philosophiæ dogmata processu temporis limentur, poliantur: sed nefas ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur.* Et c. 27. *Intelligatur, te exponente, illustrius, quod ante obscurius credebatur - - eadem tamen, quæ didicisti, doce; ut cum dicas nove, non dicas nova.* Quodnam autem novum dogma asseruit Molina, cæterique scientiæ mediæ Defensores? Ostendant Adversarii; nosque dogmata, quæ in eo systemate defenduntur, antiqua esse, a Patribus tradita, a Conciliis definita, & in scripturis fundata ostendemus.

Incognitam fuisse S. Augustino, cæterisque Patribus ac veteribus Theologis methodum hanc, non diffitemur. Sed quid tum? Jam confessi sumus novam esse methodum scholasticam; sed principia, quibus ea nititur, & singula veluti membra, ex quibus coalescit, ex S. Augustino desumpta esse, haud operosum foret ostendere, si ita res exigeret. In illis certe S. Doctoris verbis, quæ jam sæpe laudavimus, ex Lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Cujus miseretur, sic eum vocat* (DEUS) *quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat;* His, inquam, verbis totum systema nostrum velut in suo germine contineri, non ex vano asserimus. Si namque verba illa accuratius pensitentur, quid aliud significant, nisi DEUM, cum decernit justificationem alicujus hominis, eligere eam gratiam, quam novit habituram effectum, si detur; seu, quod idem est, Deum

uti

uti ſcientia conditionalium ad præparationem vel electionem gratiæ, quæ effectum prædefinitum infallibiliter habitura eſt. Quamobrem ſyſtema noſtrum quoad ejus principia incognitum non fuit S. Auguſtino.

Ad 3tium: Reſp. Obſcuritatem & difficultatem ſyſtematis Theologici ipſum male commendare. Quod aliunde per revelationem & Eccleſiæ definitionem certum eſt, obſcurum ſit licet, credere oportet. Sed methodus ſcholaſtica, ideo excogitata, ut fidei dogmata in ſpeciem oppoſita concilientur, ſi myſterium ipſa ſit myſteriis credendis obſcurior aut non clarior, merito rejicitur; quia proponitur ab iis, ad quos non pertinet nova myſteria credenda proponere. S. Auguſtinum quod attinet, eidem cum Pelagianis & Semipelagianis congredienti merito perdifficilis ſemper viſa eſt ad explicandum concordia gratiæ efficacis cum arbitrii libertate; quia difficile eſt revera concipere, quomodo gratia ſumma infallibilitate voluntatem ad conſenſum permoveat, & tamen voluntas ſub motione gratiæ expeditam habeat facultatem conſentiendi, vel non conſentiendi pro arbitrio. Id vero multo facilius atque felicius in noſtro, quam in quocunque alio Theologorum circa gratiam ſyſtemate explicari poſſe contendimus, quin propterea diffiteamur, nos quoque multas nec leves pati difficultates, quas propoſuimus hactenus, & pro viribus etiam reſolvimus.

Objectiones ex ancipiti ſorte, quam Molinæ doctrina tum Romæ in Congregationibus de Auxiliis, tum univerſo Orbe litterário ſubiiſſe dicitur.

XIV. OBjic. 1mo ex P. Hyacintho Serry S. Ordinis Prædicatorum, qui ſub larvato nomine Abbatis Auguſtini le Blanc anno 1700. Lovanii edidit Hiſtoriam celebratiſſimarum illarum Congregationum *de Auxiliis*, in qua diſputationem ab exordio reſumens, oſtendere nititur, Librum *de Concordia* Ludovici Molinæ, ſtatim ac in publicam lucem prodiit, va-

variis per Academias Catholicas censuris perstrictum fuisse, Romæ cumprimis, in dictis Congregationibus *de Auxiliis*, quæ sub Clemente VIII. & Paulo V. per novem integros annos habitæ sunt; omnesque Censores seu Consultores, paucis admodum exceptis, in damnationem Molinianæ doctrinæ conspirasse. Eo denique rem adductam fuisse, ut Clemens VIII. jamjam in Molinam pronuntiaturus esset sententiam, nisi morte præoccupatus fuisset. Paulum vero V. ejus Successorem, qui resumptis Congregationibus ipse adesse voluit, cum post accuratum & longum examen Molinam a Censoribus constanter damnari cerneret, Bullam seu Constitutionem in eum parari jussisse; sed cum nonnulla tunc accidissent, quæ mentem ejus alio avocarent, Constitutionem jam paratam in aliud magis opportunum tempus distulisse. Molinam proinde, quamvis publicam a Sede Apostolica notam non habuerit, destinata tamen in eum sententia, & gravi Romanorum Censorum judicio oneratum ad hoc usque tempus mansisse.

Resp. Quam narrationes ejusmodi fidem mereantur, quam fallaci tota Augustini Le Blanc Historia nixa sit fundamento, res est in vulgus jam nota. Non est proinde, cur nos iis excutiendis ac refellendis diutius immoremur, præsertim cum id jam abunde præstitum sit, non solum a P. Levino Meyer sub nomine Theodori Eleutherii in amplissima Historia controversiarum de Auxiliis Antverpiæ edita an. 1705. in qua prior Historicus falsi redarguitur ac plene confutatur; sed & ab aliis Viris gravissimis, ac ab omni partium studio alienis. Inter quos legi meretur Author anonymus, qui in eleganti opusculo, quod inscripsit, *Disquisitiones in Novam Congregationum de Auxiliis Historiam*, invictis argumentis ostendit, 1*mo*. nullam esse fidem adhibendam iis omnibus monimentis, quibus ad faciendam fidem usus est Augustinus Le Blanc. 2*do*. Nihil in ea causa a Pontifice & Judicibus fuisse, vel etiam secreto, ac privatim constitutum.

Ad

Ad quod cuilibet cordato Viro persuadendum sufficere deberet Decretum Innocentii X. emissum ea de re an. 1654. die 23. Aprilis: cujus hæc sunt verba: *Cum tam Romæ, quam alibi circumferantur quædam asserta Acta manuscripta, & forsitan typis excusa, Congregationum habitarum coram felicis recordationis Clemente VIII. & Paulo V. super quæstione de Auxiliis divinæ gratiæ, tam sub nomine Francisci Pegnæ, olim Rotæ Romanæ Decani, quam Fr. Thomæ de Lemos Ordinis Prædic. aliorumque Prælatorum & Theologorum - - Nec non quoddam Autographum, seu exemplar assertæ Constitutionis ejusdem Pauli V. super definitione prædictæ quæstionis de auxiliis, ac damnationis sententiarum Ludovici Molinæ S. J. eadem Sanctitas præsenti hoc Decreto declarat ac decernit, prædictis Actis assertis - - & Autographo prædictæ assertæ Constitutionis Pauli V. nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu a quocunque alio allegari posse vel debere: sed super quæstione prædicta observanda esse Decreta Pauli V. & Urbani VIII.* Quibus quidem Decretis cautum est (quod idem postea novo Decreto cavit Innocen. X. & Innoc. XII.) ne Theologi, ubi de divinis Auxiliis disputant, aliqua erroris, aut alterius censuræ nota sese invicem perstringant, sed intra Christianæ modestiæ fines conclusi, ea in suis opinionibus tuendis libertate utantur, quam Ecclesia concedit. Quod certe ab Augustino Le Blanc minime observatum esse cernimus; ut proinde non solum Molinæ, ac universæ Societati JESU, sed quod multo deterius est, ipsi Sedi Apostolicæ, summorumque Pontificum Decretis injurius haud immerito revincatur. Nulla igitur fides habenda est omnibus illis Actis, quæ circumferuntur sub titulo Historiæ Congregationum de Auxiliis; adeoque nullius ad probandum sunt ponderis, quæcunque inde contra scientiam mediam, & ab ea pendens Gratiæ systema, argumenta facti deduci possunt.

Quin potius, si non fabulosæ ejusmodi narrationes, non monimenta a Sancta Sede proscripta, non Acta ab Auctoribus conficta, quos factionis alterius studium, alterius odium excœcavit, si, inquam, non hæc, sed ipse rerum eventus, & ea, quæ disputationes illas consecuta sunt, nec non certissima Summorum Pontificum testimonia perspicue expendantur, palam fiet, tantum absuisse Clementem VIII. & Paulum V. a damnanda Molinæ doctrina, ut in eandem potius uterque, ille quidem sub vitæ suæ finem, hic vero sub Disputationum exitum, inclinaverit. Illud notum est, Clementem VIII. cum Censoribus non crederet, aliquanto ante mortem tempore librum de Concordia per se ipsum examinasse, inter legendum summa diligentia advertisse loca omnia, in quibus Pelagianos maxime insectatur Molina; apposuisse iis notas, quæ memoriam levarent, & ut, cum opus foret, ea reperire facilius posset. Unde conficitur, Clementem VIII. tunc temporis a probanda Cognitorum censura, qua Molina ut Semipelagianus damnabatur, multum absuisse. Ea namque omnia loca, quæ appositis notis signaverat, & ad quæ attendi volebat Pontifex, eo tendunt fere omnia, ut Molinam, ejusque doctrinam ab omni suspicione vindicent.

Similiter Paulum V. adduci non potuisse, ut Patres e Societate damnaret, ipse rei eventus satis demonstrat. Nulla quippe habita ratione eorum sententiæ Censorum, qui illos damnari volebant, sententiam in eos dicendam non censuit: exemplar Bullæ, seu verum sit, seu suppositum, ab ipsis digestum, inane & inutile esse voluit: dimissi ex utraque parte disputantes sine judicio ac sententia, & redire jussi ad sua: utrisque perinde prohibitum adversarios dictis incessere, & oppositam doctrinam ulla notare censura. Unde non temere, nec sine magna verisimilitudine inferimus, Clementem VIII. paulo ante mortem; Paulum vero V. post disputationes Societati favisse, multoque magis ad physicam prædeterminationem

ex-

extinguendam, quam ad lædendam Molinæ doctrinam propendisse.

XV. *Objic. 2do.* Decreta duarum toto orbe Clarissimarum Academiarum, Lovaniensis & Duacenæ; quarum prior anno 1587. altera vero anno insequente 1588. notissima gravissimaque censura perstrinxit Lessium, & Hamelium, cæterosque gratiæ indifferentis Defensores. Horum *sententia*, inquit Sacra Facultas Lovaniensis, *Scripturis illudit*, *Patrum testimonia in sensus alienos detorquet*, *humanæ rationis corruptioni applaudit . . . gratiam Dei libero arbitrio subjicit*, *ac ejus pedissequam facit; in summa, a Pelagio non satis procul abscedit &c.* Fusiorem adhuc & acriorem censuram tulit Facultas Duacena.

Resp. Dictas censuras Adversariorum causæ minime patrocinari. Eæ quippe constructæ fuere opera Baji & Asseclarum ejus, ut satis probat Levinus Meyer Lib. 1. & amplius adhuc comprobant Propositiones ab eodem ex Belgicis illis censuris excerptæ. Sed si Scriptoris hujus authoritas suspecta forsan est Adversariis, audiant Jansenium ipsum, qui primo Libri 3. Capite præfigit hunc titulum; *Ostenditur nullum dari adjutorium*, *quin simul efficax sit*; & in fronte totius disputationis collocat authoritatem Censurarum Belgicarum; & *omnium apertissime*, inquit, *hoc tanquam S. Augustini doctrinam docuerunt duæ celebres Facultates Lovaniensis, & Duacena.* Et Melchior Leydeker, celebris Calvinista, Thesi 52. propugnata Ultrajecti die 26. Junii 1680. æque laudat Jansenium, & censuras Belgicas: *Cordatiores*, inquit, *illis Papæ adulatoribus (qui Bullam contra Jansenium admiserunt) fuere Lovanienses, qui in sua perstiterunt mente; eoque vehementius invecti sunt in Jesuitas, omnium perturbationum causas. Nec defuerunt in hunc usque diem in Universitate Lovaniensi Doctores, qui Jansenio faverent, quidquid impotens Papa fulminaverit.* Utique necdum erant obliti Viri docti Antecessorum suorum Censuræ, contra

oborientes præcedenti Sæculo 1586. *Lessianas, seu Jesuiticas Theses iterum confirmatæ anno* 1613. *quam Censuram probaverat Jansenius, quæque totius adeo Janseniani voluminis approbationem continebat, uti Jesuitarum condemnationem.* Hæc Leydeker. Triumphent jam, per me licet, Adversarii in Censuris ejusmodi, quæ Jesuitarum quidem condemnationem, sed cum Janseniani voluminis approbatione continent, quas commendant Jansenistæ & Calviniani, quarum authoritate ipse nititur Jansenius.

Hæc tamen, inquit laudatus Meyer lib. 1. c. 24. & nos cum ipso, dicta nolimus iis Lovaniensis & Duacenæ Universitatis S. Theologiæ Doctoribus, quales hodie sunt plurimi, ut ipsa Facultas pene tota, qui omnia Pontificum decreta ex æquo ponderantes, ejuratis palam Baji, & Jansenii erroribus, doctrinam Censuræ Lovaniensis ac Duacenæ, & *Justificationis*, quam addiderant Lovanienses Censuræ suæ adversus Apologiam a PP. Societatis J. conscriptam, vel non probant ex toto, vel iis interpretationibus exponunt, ut a Baji & Jansenii sensu se protestentur recedere. Duacensis certe Academia recentior nova Censura anni 1722. & iterum anni 1724. improbat & reprehendit Censuram antiquam Majorum suorum anni 1588. quia difformem doctrinæ Constitutionum Apostolicarum, & veneno Janseniano infectam. *Non est* (verba sunt recentioris Censuræ) *quod Novatores exprobrent, nos Duacenos aliter loqui, & sentire de gratiæ sufficientia, ejusque distributione, nec non de voluntate Dei salvandi omnes, & morte Christi pro omnibus, quam Majores nostri in famosa Censura contra Lessium. Nam Jansenius L.* 3. *de Grat. c.* 1. *Majorum nostrorum Duacensium Censuram anni* 1588. *sicut & Lovaniensium ejusdem fere temporis impense laudat, easque ceu bases suarum hæresum præmittit.* Enumeratis deinde præcipuis Capitibus, in quibus antiqua illa censura cum erronea Jansenii doctrina convenit, ita recentiores Duacenses prosequuntur: *In hoc*

hoc peccarunt Majores nostri, sicut & Jansenius . . . Quædam in eorum Commentariis audemus reprehendere &c. Viderint rursus Adversarii, quantum in Lovaniensi, & antiqua Duacensium censura, quam nobis objiciunt, præsidii habeant.

Nec obstat, quod Belgicæ hæ duæ Censuræ a Sede Apostolica damnatæ non fuerint, quamvis id instanter postulaverint Jesuitæ. Id, inquam, non obstat: quia nondum tunc plene res ea definita erat, nec Jansenii adhuc doctrina surrexerat. Sufficit ad rem nostram, quod censuræ illæ, qua parte Lessii doctrinam, ut peregrinam, offensivam, periculosam notant, fuerint Mandato Sixti V. per Nuntium Apostolicum vetitæ promulgari, atque suppressæ. Sufficit, quod Roma denegaverit approbationem censurarum Belgicarum a Deputatis Lovaniensibus nonnullis petitam; & quatuor Censorum Romanorum ex Ordine Prædic. judicium, quo dictæ censuræ absolvebantur, a Pontifice, & Cardinalibus approbatum non fuerit. Sufficit denique, hanc fuisse Congregationis conclusionem, ut constat ex Archivii S. Officii Extractis, die 7. Junii 1679. nihil esse respondendum Oratoribus, qui eam approbationem flagitaverant: qua in eadem Congregatione eodem anno die 20. Dec. decretum fuit; *quod absque expressa licentia Sanctitatis Suæ, vel Sacræ Congregationis ad dictam impressionem Censurarum Belgicarum nullo modo deveniant, & quatenus opus sit, Internuncius invocet brachium sæculare, ut pareant.*

XVI. *Objic.* 3tio cum Laurentio Berti Lib. XIV. c. X. Nova Molinæ placita, non solum Lovaniensibus, apud quos a Leonardo Lessio, & Joanne Hamelio eodem quo in Hispania tempore vulgari cœperant, sed & Salmanticensi in Hispaniis Academiæ adeo displicuisse, ut celeberrima Universitas, nullo contradicente, censuerit erumpentem in scholas opinionem severiori temeritatis nota suffocandam & comprimendam. Post hæc autem Molinæ doctrinam constanter continuisse se domesticos inter parietes, externos Defensores nonnisi aliquos ab in-

institutis majorum suorum degeneres adinvenisse; contrariam vero exceptam esse ab omnibus fere Ordinibus Regularibus, atque Theologis ætatis cujuslibet præclarissimis. Ipsam Societem JESU eidem universim non adversari: sed prædeterminationi physicæ, aut gratiæ per se efficaci aperte savisse Bellarminum, Canisium, Toletum, aliosque clari nominis in Ordine nostro Doctores: nec defuturos deinceps gratiæ per se efficaci, quamvis eam oppugnent cæteri, Scriptores Societatis, qui suscipiant ejus causam.

Resp. Salmanticensis Academiæ censura frustra ab Adversariis Societati objicitur, eam quippe nondum proferre ausi sunt. Id autem exemplar, quod nunc extat, si accuratum est, ut nullus est dubitandi locus, nemo mirari debet, quod dum tot apocrypha jactitant, hoc non ostenderint. Nullus certe in eo Articulus, cui non libenter Molina, & omnes e Societate subscribant; ut proinde nemo eorum, qui probe norunt, quid senserit Molina, adeo iniquus rerum æstimator futurus sit, ut Molinam ea censura damnari existimet, si propositiones, quas illa continet, accurate pensaverit.

Sed quidquid sit de Universitate Salmanticensi, huic opponi possunt reliquæ omnes Hispaniæ, & Lusitaniæ Academiæ, quæ Romanorum Consultorum Judicium, utprimum illud Pontifici oblatum, ac vulgatum est, unanimi consensu non improbavere modo, sed & impugnavere: In Lusitania Inquisitio Generalis, cujus contradictorium, ut ajunt, pro Molina Judicium extat; In Hispania Complutensis, Siguntina, Hispalensis Academiæ, quæ suum super libro *de Concordia* suffragium Pontifici miserant; omnes Valisoletani Professores, plerique Toletani, Granatenses, Cæsar-Augustani, aliique reliquarum Regni Academiarum Magistri; Religiosi quoque Ordines omnes doctrinam, quam vix editus in lucem *Concordiæ* liber continebat, unanimi prope consensu adoptarunt, ac sibi quisque certatim vindicarunt. Benedictini suam dicebant, & ab Anselmo

mu-

mutuatam; Augustiniani tanquam haustam ex Parentis sui Augustini fontibus repetebant, velut in fundum proprium & avitum postliminio involantes; Franciscani, Cistercienses, Trinitarii, Carmelitae, & ii, quos Minimos vocant, Theologiam hanc sanam & incorruptam, & ad explicandum Catholicum dogma aptissimam mirati & amplexi sunt. Id ex ipsorummet testimoniis & litteris authenticis eo tempore Romam datis ostenditur solide ac eleganter in laudato supra Opusculo *Disquisitionum in novam Historiam &c.* Part. 2. c. 7.

Lusitaniæ, & Hispaniarum exemplum secuta est reliqua Europa universa, ut ibidem prosequitur sequentibus Capit. Author anonymus, & aliunde vel mediocriter in litteraria historia versatis ignotum esse non potest. In Gallia certe Sorbonæ Doctores, antequam in lucem prodiisset Molinæ liber, ejus, Societatisque doctrinam de Gratia & prædestinatione amplexi sunt; cujus rei egregia & sempiterna visuntur etiamnum in Duvalii, Isamberti, Gamnasæi, Illustrissimorum hujus Academiæ luminum libris monimenta. Idem factum in Italia ab Academia Bononiensi, quæ eodem tempore sententiæ Dominicanorum Censuram edidit, cui Doctores subscripsere viginti, ac inter eos duo Ordinis Eremit. S. Augustini; quæ ad Pontificem missa est. In Lotharingia a Mussipontana Academia; in Germania ab Episcopis & Doctoribus plerisque; ab Academiis Viennensi, Ingolstadiensi, Dilingensi, Herbipolensi, Moguntina, Trevirensi; quarum omnium Litteræ & Censuræ disputationum tempore ad Pontificem itidem missæ adhuc supersunt.

Quæ cum in publica luce sint posita, atque ipsi etiam Bertio ignota esse non possint; qui dicere poterat Vir Cl. Molinæ, & Societatis doctrinam domesticos inter parietes sese continuisse, externos autem defensores nonnisi paucos, eosque a Majorum suorum institutis degeneres adinvenisse?

Societatis Doctores quod attinet, de Bellarmino ex ejus operum recognitione, ab ipso facta annis septem ante mortem

pie

pie obitam, & Tom. 2. Controv. subnexa, satis constat ad convincendos sinceræ veritatis studiosos, eum prædeterminationibus physicis, gratiæque de se efficacis systemati nunquam adhæsisse: cum ibi confirmet omnia, quæ in prioribus editionibus habet contra prædeterminationem physicam, & Societatis sensu explicet; quæ in ejus Operibus a quibusdam affectu prædeterminativo occupatis accipiuntur in favorem physicæ prædeterminationis. Idem de Petro Canisio demonstrat Henao n. 1246. ex appendice ad summam doctrinæ Christianæ adjecta, *de hominis lapsu & justif.* c. 5. *de natura & legis imbecillitate*, ubi in quadam ejus editione legit Henao plurima PP. testimonia, quibus probat Canisius, indifferentiam voluntatis humanæ in sensu composito gratiæ, exclusa qualibet necessitate, & determinatione antecedente. De Toleto & aliis idem ostendunt Fasol. Leonar. Hen. Philaleth. n. 17. & seqq.

Sed esto, pauci aliqui fuerint ex Ordine nostro Doctores, qui, eo præsertim tempore, quo Molinæ placita nondum plene vulgata, neque, constituta adhuc *Ratione Studiorum*, a Societate approbata fuerant, terminis ac locutionibus subobscuris adversæ sententiæ videri possunt favisse; an ideo integra non stabit doctrinæ Societatis authoritas? cum satis constet, eam cæteros e suis omnes, & externorum innumeram Doctorum turbam, Academias plurimas & integras, Ordines Religiosos bene multos, ex omnibus prope Europæ Gentibus Præsules & Antistites, Lusitanos, Hispanos, Gallos, Italos, Lotharingos, Belgas, Germanos, suis velut in castris recensere, qui omnes illius causam apud Pontifices susceperunt, in eaque tuenda in hunc usque diem constanter persistunt.

Utrum deinceps futuri sint, quod postremo ominatur Bertius, Societatis Scriptores, qui Gratiæ per se efficacis partes suscipient, nobis divinare non licet: persuasum tamen habemus, non defuturos, qui id faciant, plurimos, ubi primum systematis illius Defensores gratiæ efficaciam cum libero hominis arbitrio felicius, quam fecerunt hactenus, conciliaverint. DIS-

DISSERTATIO TERTIA.

DE
Gratiæ actualis Distributione.

HIs pertractatis, quæ ad necessitatem, vim & agendi modum divinæ gratiæ visa sunt pertinere; id superest, ut de universalitate ejus & distributione paulo pressiore stylo disseramus. Quantum enim pateat gratiæ adjutorium, utrum omnibus præsto sit ad salutem æternam consequendam, ampla quidem ac perdifficilis est quæstio; sed cum ejus plena solutio pendeat ex sincera, quæ in DEO est, salvandi omnes homines voluntate, & ex oblatione sanguinis ac mortis Christi pro eorum salute, de his autem differere non sit proprium hujus loci; ea dumtaxat, quæ præsens spectant institutum, quam breviter fieri poterit expendemus: Utrum nempe omnibus justis dentur gratiæ sufficientes ad mandata DEI servanda? An dentur etiam peccatoribus quibuscunque ad conversionem? Num & infidelibus præsto sint, ut ad fidem adduci possint? Denique an infantibus quoque absque Baptismo decedentibus provisum sit de mediis ad salutem sufficientibus?

CAPUT I.

Utrum omnibus justis detur gratia sufficiens ad servanda præcepta Divina.

I. JAnsenius Lib. 3. de Grat. Chr. c. 13. negat omnibus adesse gratiam, qua præceptorum observantia possibilis fiat; imo hanc non tantum infidelibus & injustis, sed fidelibus quoque & justis respectu quorumdam mandatorum divinorum deesse contendit; atque inde infert primam illam inter damnatas propositionem: *Aliqua DEI præcepta hominibus ju-*

stis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. Fluit nempe erronea hæc doctrina ex falso principio delectationis relative victricis. Hæc namque omnia, inquit ipse Jansenius loco mox cit. *plenissime, planissimeque demonstrant* (quæ videlicet de delectatione victrice dixerat) *nihil esse in S. Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse præcepta quædam &c.* quæ cum gratia parva, seu gradibus inferiore justis relative ad præsentes eorum vires impossibilia sint.

Errori huic prælusit Lutherus, atque Calvinus, eorumque gregales omnes, dispari tamen causa & ratione in eum inducti. Docent namque etiam cum gratia maxime efficaci impossibilia esse justis Dei mandata, ob eam scilicet concupiscentiæ labem, quæ sanctissimis quoque eorum operibus semper adhærescit adeo, ut illa ipsa opera sint peccata, tametsi justis non imputentur, propter superfusam, qua teguntur, Christi justitiam. Qui error damnatus fuit a Tridentino Sess. VI. Can. 18. & 25. & alio loco a nobis opportunius refelletur, ubi videlicet sermo erit de Justificatione. Nunc ergo contra Jansenium potissimum, negantem justis urgente præcepto semper adesse gratiam, quæ relative ad præsentem eorum concupiscentiam pares ipsis conferat vires ad præceptum illud observandum, sit sequens

ASSERTIO.

Nulla præcepta sunt justis impossibilia; sed semper adest gratia vere ac proprie sufficiens, qua eorundem observatio possibilis fiat.

II. PRob. 1mo. ex Scripturis: Matth. c. 13. Christus Dominus loquens de lege sua, inquit: *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Quæ verba pertinent saltem ad justos,

ſtos, & aperte ſignificant, illis dari gratiam, quacum poſſint, ſi velint, ſuave mandatorum divinorum jugum portare. Et S. Joan. Epiſt. 1. c. 5. teſtatur, quod *mandata ejus gravia non ſunt;* quod dici cum veritate non poſſet, ſi vires & auxilia gratiæ neceſſaria non ſuppeterent ad mandata illa ſervanda, quæ hominibus impoſita ſunt. Plurima ejusmodi alia occurrunt teſtimonia, quibus Scriptura jam teſtatur, juſtos a Deo non derelinqui, niſi Deum ipſi dereliquerint; jam Dei erga juſtos charitatem ac dilectionem commendat; jam certam ipſis ſpem facit, ſingularis Dei protectionis ac providentiæ, ut poſſint tentationes ſuperare, & vitam æternam conſequi. Sic Pſal. 36. v. 24. & ſeq. *Cum ceciderit, non collidetur; quia Dominus ſupponit manum ſuam . . . Non vidi juſtum derelictum.* Eccl. 2. *Quis permanſit in mandatis ejus, & derelictus eſt.* Et c. 34. *Oculi Domini ſuper timentes eum: protector potentiæ & firmamentum virtutis.* Denique Apoſtolus 1. ad Cor. 10. *Fidelis Deus, quia non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis; ſed faciet cum tentatione proventum.*

III. *Prob. 2do.* ex Concilio Trid. quod Seſſ. VI. Can. 11. ſic ſtatuit: *Nemo temeraria illa, & a Patribus ſub anathemate prohibita voce uti* (debet) *Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet &c.* Et Can. 18. anathemate percutit, qui *dixerit Dei præcepta homini etiam juſtificato eſſe ad obſervandum impoſſibilia.*

Fruſtra hic reponitur a Janſenianis: Concilium damnare duntaxat dictum paulo ante Lutheri & Calvini errorem, quo aſſeritur, ideo mandata Dei eſſe impoſſibilia homini juſto, quia concupiſcentia inquinat etiam ſanctiſſima ipſius opera, ita ut ſint peccata. Fruſtra id, inquam, reponitur: quia Concilium duplicem Novatorum illorum errorem duobus diſtinctis Canonibus anathemate percellit. Can. 25. Seſſ. 6. dicit anathema docentibus omnia juſtorum opera eſſe peccata: *Si quis in quolibet bono opere juſtum ſaltem venialiter peccare di-*

xerit . . . anathema sit. Quod solum Lutherum, & Calvinum spectat, qui novum illud & absurdissimum dogma invexerant. Canone vero 18. verbis cit. damnantur, quicunque dixerint, deesse justis gratiam, qua mandata Dei possibilia fiant. Et hoc maxime declarant rationes, quibus Concilium c. 11. confirmat doctrinam Catholicam. *Quia*, inquit, *Deus jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis. Quia mandata ejus gravia non sunt. Quia sua gratia semel justificatos non deserit.* Quæ certe non militant, nisi contra errorem, de quo hic agimus: qui cum subinde fuerit a Jansenio renovatus, a Concilio Trid. jam prædamnatus est. Nam Lutherani & Calvinistæ admittunt gratiam efficacem, quam solam agnoscunt, non deesse prædestinatis, & nihilominus concupiscentiam & bona eorum opera volunt esse vera peccata, quamvis ipsis non imputentur.

Accedit, quod Concilium Trid. cum dicit Can. [illegible]. *Nemo temeraria illa & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti* debet, errorem damnet, jam a Patribus Milevitanis Synodo II. Can. 3. proscriptum his verbis: *Placuit, ut quicunque dixerit gratiam Dei, in qua justificamur per JESUM Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit.* Atqui hoc Canone non proscribitur Lutheri & Calvini error Patribus Milevitanis incognitus, nec a quoquam ante istos hæreticos excogitatus; sed alter error damnatur, quem post Lutherum & Calvinum tuitus est Jansenius: eo namque Canone mens Synodi Milevitanæ est, repellere calumniam Pelagii, qui Catholicos infamat, quasi vellent Dei præcepta esse impossibilia, eo quod solis naturæ viribus impleri non posse contenderent: supponit igitur ea per gratiam impleri posse. Ergo eundem hunc, & non alium errorem damnat etiam Concilium Trid. laudata Sess. 6. Can. 11.

IV.

IV. *Prob. 3tio.* ex Summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. solemnibus & ab universa Ecclesia receptis Constitutionibus, quibus ea Jansenii propositio: *Aliqua Dei præcepta &c.* damnatur 1*mo* ut temeraria; quia est contraria communi Catholicorum sensui. 2*do* ut blasphema; quia derogat Dei justitiæ & fidelitati in promissis. 3*tio* ut hæretica; quia pugnat contra verbum Dei & definitionem Ecclesiæ. Ejus porro propositionis sensus in principiis Jansenii non alius esse potest, quam quod justi absente gratia efficaci, non possint cum sola gratia parva relative majorem actualem, qua urgentur, concupiscentiam superare, ac præceptum adimplere ob virium inæqualitatem. Ergo sensu contrario judicat Ecclesia, justos illos ex gratia, non inferiores, sed pares vires habere, quibus possint vel mediate vel immediate suam actualem vincere concupiscentiam, ac præceptum implere.

At, inquiunt: Jansenius Lib. 3. de Grat. Chr. c. 15. duplicem distinguit impotentiam præcepti implendi: *Una est*, sunt verba Jansenii, *ex defectu alicujus, quod non potest quantumlibet magna voluntate, hoc est, quantumlibet fortiter volendo, suppleri. Talis est impotentia illius, qui caret Breviario ad Horas, quas ignorat, recitandas - - De tali impotentia verissimum est, quod Deus non jubet impossibilia - - Altera impotentia est, quæ ex defectu ipsius voluntatis seu volitionis oritur, quæ si adesset, quanta adesse debet, præceptum facillime impleretur - - Hæc impotentia non faciendi nullo modo excusat eum, qui non implet, quod præcipitur; posset enim implere, si vellet.* Postremam hanc duntaxat, non primam illam impotentiam in aliquibus justis reperiri Jansenius profitetur.

Sed quæso: Numquid ad implendum præceptum tam necessaria est gratia actualis, quam ad recitandas horas, quæ ignorantur, necessarium est Breviarium? Quis hoc negabit, nisi Pelagianus? Ergo si qui caret Breviario, Officium recitare non potest, & ideo excusatur, si illud non recitat: quo-

modo qui caret gratia relative sufficiente & necessaria, præceptum implere poterit; & si illud non impleat, cur æque non excusabitur?

Nec valet cum Jansenio dicere: velit, & fortiter velit, & præceptum impletum est. Id enim non minus ridiculum & illusorium videtur, quam si de non habente Breviarium dicerem, *recitet Officium, & fortiter recitet.* Quis enim dubitet, justum, si vellet ac fortiter vellet, præceptum impleturum esse? At in circumstantiis gratiæ parvæ non potest velle, nec fortiter velle, & quidem absque sua culpa; quia caret delectatione cœlesti superiore & indeliberata, quæ in ipsius potestate non est, & sine qua nec velle, nec fortiter velle potest.

Non juvat etiam reponere, gratiam parvam in doctrina Jansenii victricem fore, si voluntas minus resisteret. Quia voluntas secundum Jansenium non potest non resistere delectationi gratiæ inferioris, quando prævenitur ab opposita delectatione terrestri superiore. Neque enim superare potest majorem concupiscentiam, nisi vel augeatur gratia, vel minuatur concupiscentia; neutrum autem est in potestate voluntatis, sed solius Dei. Quapropter si voluntas gratiæ minus resisteret, eo ipso gratia non amplius foret parva, & inferior, sed major & superior opposita terrestri delectatione.

V. *Probatur 4to* ex S. Augustino, cujus plurima sunt & succulenta ea de re testimonia. Primum ex iis locis petitur, in quibus generatim docet, nemini impossibilia esse ad observandum Dei mandata; sed semper adesse justis præsertim gratiam saltem orationis, qua possint uberius Dei auxilium impetrare. Sic lib. de Nat. & Grat. c. 43. *Deus*, inquit, *impossibilia non jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Quæ verba Concilium Trid. sua fecit. Et cap. 69. addit: *Eo ipso, quo firmissime creditur, Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.*

mus. Lib. 1. de diversis quæst. ad Simplic. q. 1. *Hoc restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam, cum voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam possit implere.* Denique in Psal. 56. v. 1. loquens de præcepto dilectionis: *Neque*, inquit, *imperaret hæc Deus, ut faceremus, si impossibile judicaret, ut hoc ab homine fieret.* Atqui in doctrina Jansenii Deus homini præciperet, quod homini esset, & impossibile judicaret, ut ab homine fiat. Quomodo enim posset implere præceptum dilectionis, aut aliud Dei mandatum? Viribus naturæ? at hoc esset cum Pelagio sentire. Viribus gratiæ? at quomodo, si omni gratia vere sufficienti eum destitutum Jansenius supponit?

Aptissime igitur Auctor Libri de Fide contra Manich. sive S. Augustinus, sive Evodius, seu quisquis alius sit, c. 10. *Quis non clamet, stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere; & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere? Et has injustitias & iniquitates, miseri non intelligunt, se Deo adscribere.* Et Vega exposit. Concil. Trid. l. 11. c. 13. *Ipsum*, inquit, *lumen naturale nobis a Deo inditum - - ipsa naturæ nostræ vis & conscientia satis nobis esse potest ad expugnandum hunc errorem. Quæ namque fuit gens unquam tam barbara, quis hominum tam stolidus & stupidus, ut putaret, se in culpa esse, propter ea, quæ vitare non posset? &c.*

Respondent Janseniani, quod homo, quamvis nunc sit impotens ad observanda præcepta Dei, non desinat tamen esse culpabilis propterea, quod hæc impotentia sit pœna peccati originalis, & homini lapso voluntaria, saltem voluntate capitis, nempe Adami. Cum ergo sua culpa impotentem se reddiderit ad observanda præcepta, juste punitur, si ea non observet. Ita Jansenius Lib. 3. de Grat. Chr. c. 14.

Sed contra: ut homini imputetur ad culpam, si non faciat id, quod ei præcipitur, satis non est, quod ejus impoten-

tentia sit pœna, & ei voluntaria voluntate capitis; sed requiritur, ut propria voluntate in talem impotentiam sese conjecerit, & cum possit a se talem impotentiam excutere, nolit: secus posset etiam Deus homini præcipere, ut vivat sine passionibus & concupiscentiæ motibus, aliisque vitæ humanæ miseriis, quibus peccando voluntarie voluntate capitis se obnoxium fecit; & si ita non vivat, æternis ipsum pœnis plectere: quo quid ineptius dici potest? Ad quod uberius declarandum, liceat similitudine uti ab humanis petita. Si servus a Domino suo iter aliquod aggredi jubeatur, is vero propria voluntate se in foveam conjiciat; juste quidem punietur a Domino, quod culpabiliter se impotentem reddiderit ad prosequendum sibi demandatum iter; neque minus puniri mereretur, si media sibi data aut oblata ad emergendum e fovea, negligeret vel contemneret. Sed si Dominus nolit eum e fovea extrahere, nec ullum medium ad exeundum offerre; certe non nisi tyrannice posset illi præcipere, ut iter cœptum prosequatur, & nisi fecerit, pœnam eidem intentare. Similiter cum homo peccando in foveam lapsus, impotens aliena voluntate factus sit ad prosequendum æternæ salutis iter per observantiam mandatorum; esto ipsum Deus possit punire, uti defacto punit, tum ob talem culpam, tum etiam si gratiam, qua fiat potens observare præcepta, sibi oblatam respuat, aut contemnat. Sed si Deus nolit gratiam ei, qua fiat potens, conferre, sed ipsum in sua impotentia relinquat, non poterit nisi crudeliter & injuste obligare ipsum, ut viam mandatorum percurrat, & nisi percurrat, punire.

Non minus clare mentem suam explicat S. Augustinus Lib. 3. de libero arbit. c. 19. ubi respondens homini conquerenti de pœnis, quas in præsenti corruptionis statu patitur; sic eundem alloquitur: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis quærere, quod ignoras - - - Nulli enim hominum ablatum est utiliter scire, utiliter quærere, quod inutiliter ignorat; & humiliter confitendam esse imbecilli-*

tatem, ut quærenti & confitenti ille subveniat, qui nec errat, dum subvenit, nec laborat. Nulli ergo hominum ablatum est auxilium, quo petere & impetrare possit, ut ab eo tollatur ignorantia, & imbecillitati subveniatur, ad vitanda peccata per accuratam legis observantiam.

Non aliud tam claro huic testimonio respondent Janseniani, nisi quod Libri illi *de libero arbitrio contra Manichæos* conscripti fuerint ante exortam hæresim Pelagianam, quo tempore Augustinus de necessitate ac virtute divinæ gratiæ nondum exacte informatus fuerat.

Sed non negabunt, S. Doctorem gratiæ notitia plene imbutum fuisse, cum libros *de Retractatione* conscripsit. Videant ergo Lib. 1. *retractat.* c. 9. ubi percensitis iis, quæ in tribus libris *de libero arbitr.* dixerat, tantum abest, ut doctrinam in illis traditam retractet, ut potius eandem confirmans N. 6. dicat: *Ecce tam longe antequam Pelagiana hæresis extitisset, sic disputavimus, velut contra illos disputaremus.* Sed errant hic Janseniani: neque enim inter Augustinum & Pelagianos controversia erat, an homo lapsus posset servare mandata; sed unde posset: an ex viribus naturæ, an ex viribus gratiæ? Primum Pelagiani, alterum asserebat Augustinus. Hinc c. 43. de Nat. & Grat. contra Pelagium postquam dixisset: *Non igitur Deus impossibilia jubet &c.* ita subjungit: *Jam nunc videamus, unde possit, unde non possit. Iste dicit: voluntate non est, quod natura potest. Ego dico: voluntate quidem non est homo justus, si natura potest; sed medicina poterit, quod vitio non potest.*

Respondetur ad Objecta.

VI. OBjiciunt Janseniani 1mo, ea Christi verba Joan. 6. v. 43. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et v. 66. *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Unde sic argumentantur: Utro-

que hoc Scripturæ versu significari efficacem gratiam per se clarum est. Atqui ita significatur gratia efficax, ut ejus simul necessitas exprimatur, ad hoc ut quis possit ad Christum venire. Ergo sine gratia efficaci nihil, quod ad salutem pertineat, fieri potest. Ergo justis sola sufficiente gratia instructis impossibilia erunt præcepta divina.

Resp. Istis Scripturæ locis non aliud, quam universim gratiæ ad quodcunque opus salutare necessitatem demonstrari. In primo quippe versu verbum *trahere*, ut exponit ipsemet S. Augustinus Lib. I. contra duas Epistolas Pelagian. ad Bonifac. c. 19. significatur gratia, quæ præveniat, non quæ sequatur voluntatem, ut opinabantur Pelagiani; quæcunque tandem sit ea gratia, seu efficax, seu sufficiens, quod Augustinus ibi non determinat, cum id ad scopum suum non pertineret, & solius gratiæ voluntatis necessitatem contra hæreticos illos demonstrandam suscepisset. Similiter alterius versus verba illa, *nisi ei datum fuerit*, recte intelliguntur generatim de necessitate gratiæ prævenientis, sine qua homo nihil boni potest. Etenim rursus ex S. Augustino Lib. I. ad Bonif. c. 3. ipsis Adversariis fatentibus, eodem modo intelligi debent verba Christi v. 66. *Nemo potest venire ad me, nisi ei fuerit datum a Patre meo;* ac illa v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit ipsum.* Atqui postrema hæc intelligi necessario & unice non debent de gratia efficaci, sed recte intelligi possunt de gratia præveniente omnino necessaria ad quemlibet pietatis actum, ut ostendit S. Doctor loco supra citat. Ergo &c.

VII. *Inst.* Concilium Trid. cum dicit Sess. VI. Can. 11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis*, manifeste supponit, justos in iis aliquando circumstantiis esse, in quibus non possunt observare mandatum. Ergo contingit aliquando, justum sola gratia sufficiente instructum, absente efficaci, non posse observare man-

mandatum. Ergo recto sensu dici poterit, mandatum tunc ipsi esse impossibile ad observandum.

Resp. Dist. ant. Concilium supponit, justos aliquando non posse proxime & immediate observare præceptum, *Conc.* non posse mediate, impetrando videlicet uberius Dei auxilium, *Neg. ant. Dist.* etiam *conf.* Ergo contingit aliquando, justum sola gratia remote sufficiente instructum, non posse observare mandatum proxime & immediate *Conc.* non posse simpliciter, nec quidem mediate & remote *Neg. conf.* Propterea dicit Concilium: *Deus - - - jubendo monet facere, quod possis, & petere quod non possis.* Porro, ut quis dicatur vere posse observare præceptum potentia relativa, satis est, quod gratiam habeat remote sufficientem, cujus ope petere & impetrare possit uberius, & proxime sufficiens divinum præsidium ad actu implendum præceptum. In systemate autem Jansenii, vigente superiore cupiditate ab orando retrahente, nulla est in justo potestas relativa ad orandum, quia nulla gratia ne remote quidem sufficiens: adeoque præcepti observatio plane impossibilis ipsi est, non tantum immediate ac proxime, sed etiam mediate, & remote.

Urg. S. Petrus, cum Dominum negavit, caruit omni gratia etiam remote sufficiente ad vincendam tentationem, & implendum præceptum de Domino tunc confitendo. Ergo. *Ant. prob.* ex SS. Patribus, præsertim Chrysostomo, qui Hom. 72. in Joan. *Casus*, inquit, *Petri non frigiditate, sed superni auxilii derelictu contigit.* Hom. 31. in Epist. ad Heb. *Illa negatio non tam erat socordiæ & negligentiæ, quam ex eo, quod Deus eum deseruerat.* Et ex S. August. Lib. de corr. & grat. c. 9. *Avertit ab illo faciem Dominus, & factus est conturbatus.* Et Serm. 124. de tempore, nunc 79. in appendice. *Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum? - - - Ideo B. Petrum paululum Dominus subdeseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine gratia Dei prævalere.*

 Resp.

Reſp. Neg. ant. Ad *prob.* dico, SS. Patres loqui vel de gratia ſpeciali, qua deſtitutus Petrus Dominum negavit, quamvis ſufficientem haberet ad illum confitendum: vel certe de gratia proxime ſufficiente, quacum absque ulteriore auxilio potuiſſet in illis circumſtantiis Dominum confiteri; licet non caruerit gratia, quacum orare poterat, & orando impetrare auxilium proxime ſufficiens. Patribus namque familiare eſt, ſimpliciter dicere, quod homo caret gratia ad obſervandum præceptum neceſſaria, quando non habet auxilium proxime ſufficiens, licet remote ſufficiens habeat. Certe S. Auguſtinus in ipſo loco ex Serm. 124. nobis objecto (ſi tamen ſermo ille eſt S. Auguſtini; nam a nonnullis ut dubius rejicitur, & alteri auctori adjudicatur) dicendo, Deum *paululum ſubdeſeruiſſe Petrum*, aperte ſignificat, Petrum non fuiſſe orbatum omni gratia ad vincendam tentationem idonea, ſed ſolum caruiſſe gratia, quæ ad id proxime ſufficeret, ita ut remote ſufficientem habuerit, nempe gratiam orationis, qua ulterius ſibi auxilium impetrare poterat; non tamen impetravit, quia hac orandi gratia uti neglexit.

VIII. *Objic. 2do.* plurima S. Auguſtini teſtimonia, quibus ſignificari volunt, juſtos aliquando ex præſente gratia non poſſe certa quædam mandata obſervare. Nos unum vel alterum proferemus, ex quibus cæterorum ſolutio patere poterit.

Lib. de Grat. & lib. arbitr. c. 17. n. 33. *Qui ergo vult*, ait, *facere Dei mandatum & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit & robuſtam.* Serm. 97. de diverſis, cap. 4. *Volumus, o Domine! volumus, & non poſſumus: aut forte nec volumus, premente ſarcina gravamur, & nolumus.* Tract. 34. in Joan. n: 9. de volentibus quoque implere mandata, ait: *Surge & ambula: forte conaris ambulare, & non potes, quia dolent pedes.* Lib. de perfect. juſtit. poſtquam

Cœ-

Cœlestio contendenti præcepta debere esse possibilia, pluribus respondit; demum c. 4. docet impotentiam implendi quædam mandata oriri ex pœna præcedentium, sive originalis, sive actualium peccatorum, *sub quibus*, ait (pœnis) *positi, vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere.*

Resp. Omnibus istis testimoniis nihil aliud evinci, quam quod in responsione ad priorem objectionem jam indicavimus, justos interdum ex præsente gratia non posse immediate ac proxime aliqua Dei mandata implere: quo tamen non obstante possunt per orationem uberius impetrare auxilium, quo roborati, ea præcepta adimpleant; quod sufficit ad hoc, ut quis dicatur vere posse observare præceptum, etiam potentia relativa. Hanc porro orandi gratiam semper adesse justis agnovit Augustinus, ut vel ex iis ipsis locis, quæ hic objiciuntur, fit manifestum. Etenim cit. Lib. de Grat. & lib. arb. c. 17. verbis illis, *jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam &c.* intelligit voluntatem gratia remote sufficiente præditam, per quam obtineri possit voluntas *magna & robusta.* Quod magis adhuc declarat cit. Serm. 97. ubi sic pergit: *Tu dixisti: sine me nihil potestis facere. Propter hoc imploramus Dei auxilium.* Et paulo post: *Ut hoc possis, implora eum, sine quo nihil facere potes.* Similiter Tract. 34. in Joan. citato, verba illa *non potes* S. Doctor intelligit de impotentia homini libera, quæ ut vincatur, præsto adest gratia Christi. Ita namque ait: *Piger surge, via ipsa* (Christus) *ad te venit, & te de somno dormientem excitat.* Et paulo ante: *Ergo modo faciamus, sequamur Dominum; solvamus compedes, quibus impedimur sequi &c.* Denique idem est Augustini sensus Lib. de perfect. justit. ubi hominem claudo comparat, qui sanari potest, si ad medicum confugiat; sicut justus potest tentationem superare, si Dei præsidium, ut potest, suppliciter implorare velit. Hinc c. 4. ejusdem libri agnoscit quidem im-

potentiam implendi quædam mandata ex peccato originali derivatam, sed quæ per gratiam Christi Mediatoris deponi possit. *Jam, inquit, pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem. Unde ad Deum fides clamat: de necessitatibus meis educ me.* In quibus omnibus vides, Augustinum ubique supponere, præsentem illam cuilibet homini, multo magis justis, orationis gratiam, qua possunt suppliciter divinam opem implorare, ad vincendam illam impotentiam, resistendi tentationibus, & mandata Dei servandi.

Neque obstat alter ejusdem S. Doctoris locus ex Lib. 1. ad Simplic. q. 2. ubi ait: *Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, & pene nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus &c.* Hinc enim non evincitur, ipsam etiam orationis gratiam justis aliquando simpliciter negari. Etenim 1*mo* S. Doctor generatim loquitur de gratuita orationis gratia omnibus hominibus necessaria. Nos vero hic loquimur speciatim de justis, quibus talem gratiam ad orandum sufficientem non deesse contendimus. 2*do*. Justi non semper orant, ut oportet, & quantum oportet, ut uberius auxilium a Deo impetrent: sed eorum culpa est, quod ita non orent, cum habeant ex gratia sufficientes vires ad orandum. Unde S. Augustinus loco cit. ait quidem orationem nostram aliquando *tepidam, frigidam, ac pene nullam esse*; at non ait deesse gratiam, per quam oratio possit ardentior & fervidior fieri.

IX. *Objic.* 3*tio*. Licet mandata Dei dicantur quibusdam justis impossibilia, id tamen nonnisi improprie & in sensu latiore accipi debet. Quapropter, inquiunt Janseniani, prima propositio inter quinque famosas merito in se proscripta fuit, quia indefinita est, ac significat, justis aliqua mandata Dei esse ad observandum simpliciter impossibilia, quod falsum est.

Prob. 1*mo*. Quia Jansenius impossibilitatem, de qua loquitur in prima sua Propositione, difficultatem appellat. 2*do*. Quia

Quia non negat cum impotentia illa remanere physicam ad bonum facultatem. 3tio. Nec eam impotentiam dicit oriri ex defectu virium in gratia, sed ex resistentia cupiditatis. Ergo improprie, & in sensu latiore accipi debet impossibilitas illa, de qua prima Jansenii Propositio.

Resp. Neg. ant. Damnata namque fuit propositio illa in sensu Jansenii: at secundum illum aliqua Dei præcepta sunt justis simpliciter & in sensu proprio impossibilia, quia nullam habent veram & relativam potentiam ea observandi. Hinc

Ad 1mam *prob. Resp.* Jansenium quidem, ut asperitatem rei lenitate vocabuli temperaret, impossibilitatem illam difficultatem appellasse; verum ita, ut semper contenderet, a gratia parva superiorem oppositam cupiditatem, a qua justorum quorumdam voluntas inevitabiliter prævenitur, & invincibiliter ad peccandum determinatur, superari nullatenus posse. Quapropter illa difficultas apud ipsum est vera impotentia; non quidem absoluta, sed relativa.

Ad 2dam prob. Resp. ea mera esse verba, ad errorem duntaxat involvendum accommodata. Nam facultas illa physica ad bonum vel est nudum arbitrium voluntatis, vel quædam gratia, tametsi parva? Nudum voluntatis arbitrium, quamvis sit physica facultas capax recipiendi gratiam, si tamen solum fuerit, physice incapax est boni supernaturalis. Gratia vero illa parva est quidem in se absolute considerata principium effectivum actionis bonæ, relative tamen ad majores cupiditatis vires, non tantum actionem illam bonam nunquam elicit, sed nec elicere potest: atque hæc est vera impotentia, quæ ex systemate delectationis superioris necessario consequitur. Hinc

Ad 3tiam prob. Fateor quidem, impotentiam illam oriri ex resistentia cupiditatis: sed voluntas in illis circumstantiis non potest non resistere minori gratiæ, propter delectationem terrenam indeliberatam superiorem, qua tunc rapitur, & de-

ter-

terminatur ad malum. Manet ergo tunc vere ac proprie impotens observandi præceptum divinum.

X. *Inst.* Jansenius non negat justis possibilia esse DEI mandata per gratiam sufficientem Thomisticam; hanc enim nullibi expresse rejicit: imo Lib. 3. de Grat. Chr. c. 1. sublata æquivocatione nominis, profitetur, quod si per gratiam sufficientem intelligatur ea, *quæ satis est*, *ut homo dicatur posse operari*, *quamvis aliud adhuc necessarium sit*, ex parte Dei auxilium, *ut defacto operetur*, profitetur inquam, sibi de hujusmodi gratia sufficiente controversiam non esse, qualem *fortasse non difficulter Augustinus admisisset.*

Idem profitentur Jansenii defensores. Nam Abbas de Bourzeis in scripto quod dicitur, *In nomine Domini*, quod an. 1649. editum est, expresse sic habet: *Quod identidem advertendum censeo*, *ne qua hic Thomistarum gratiæ sufficienti*, *quam admitto lubens*, *fiat injuria.* Et Arnaldus in Scripto suo, cui titulus, *Dissertatio de Gratia efficaci*, non semel aut bis, sed multo frequentius declarat, se gratiam sufficientem sensu Thomistico admittere. Et sane Janseniani vel ab ipso controversiarum exordio, sæpissime contestati fuerunt, se circa gratiam sufficientem cum Thomistis sentire, solamque se excludere a justis gratia efficaci destitutis potentiam junctam cum actu; aliam vero quamlibet perfectissimam, completissimamque etiam relative ultro se admittere, modo tamen concedatur, eam, si sola fuerit, nunquam in actum erumpere.

Resp. Jansenium nullibi expresse admisisse gratiam sufficientem Thomistarum, quod tamen necessarium foret, ut ab errore primæ Propositionis vindicaretur: imo eam exclusisse, quoties, cohærenter ad sua principia, infert, debiliorem delectationem cœlestem necessario cedere delectationi terrenæ superiori. Thomistæ quippe censendi sunt agnoscere, per gratiam suam sufficientem veram ac propriam adimplendi præcepti potentiam conferri voluntati etiam relative ad cupidita-

tem

tem oppositam ardentiorem. Quod in principiis S. Augustini Jansenio parodoxum videtur. L. 4. de Grat. Chr. c. 15.

Jansenii Discipulos & Defensores quod attinet, jam diu est, ex quo ii, ementito Thomistarum nomine ac usurpatis illorum locutionibus, Ecclesiæ turpiter illudunt. Potentia namque ab actu sejuncta, quam unam fingunt se cum Thomistis removere a justo gratia efficaci destituto, non tantum non conjungitur cum actu, quod ajunt Thomistæ, sed nec conjungi potest, quod iidem negant. Nihil quippe juxta illos deest justo hujusmodi ex parte potentiæ, seu ex parte actus primi, sed tantum ex parte actus secundi. Econtra in systemate Jansenii deest actus primus & secundus; quia deest superior delectatio, quæ simul primum & secundum actum largitur, hoc est, ipsum posse & agere. Quapropter potentia illa ab actu sejuncta, in doctrina Jansenii, nec est, nec dici potest relativa: quia potentia hæc est ipsamet superior delectatio, secundum quam ex Jansenio necesse est voluntatem operari. Non ita apud Thomistas, secundum quos gratia sufficiens veram & expeditam etiam relative ad cupiditatem ardentiorem superandam confert potentiam, tametsi sola actum non obtineat, sed requiratur præterea efficax gratia, seu præmotio physica, ad hoc ut sufficiens gratia exeat in actum.

Utrum vero iste gratiæ sufficientiam exponendi modus idoneus sit, & num gratiam sufficientem Thomisticam a gratia parva Jansenii sufficienter discernat, expendimus jam alibi. Neque hic quærimus, qua ratione potentia relativa, quam in gratia sufficiente respectu cujuslibet oppositæ cupiditatis superandæ agnoscunt Thomistæ, & Catholicorum quivis agnoscere debet, in actum erumpat; an sola sine novo ex parte Dei auxilio, an cum illo duntaxat novo auxilio; neque quid ex parte voluntatis necessarium sit, ut uberius Dei auxilium impetrando, potentiam illam in actum reducat. Non pertinet istud ad dogma fidei, sed ad ejus explicationem, quam variam

variis scholæ opinionibus, salva fide, Ecclesia permittit. Hoc unum in præsentiarum contendimus, doctrinam Jansenii, qua statuit gratiam sufficientem nihil aliud esse, quam inferiorem actuali concupiscentia delectationem, ipsi proinde vincendæ imparem, omnino adversari dogmati Catholico, contra errorem primæ Propositionis definito.

Consectarium

XL. EX dictis facile colligitur, non alium esse sensum primæ Propositionis Jansenianæ, quam quem retulimus: non posse proinde erroris suspicionem declinari, nisi sensus Jansenio plane contradictorius conceptis verbis admittatur; hoc est, nisi agnoscatur, justis, urgente præcepto, volentibus ac conantibus secundum præsentes quas habent vires, adesse gratiam, parem ac sufficientem actuali eorum cupiditati reprimendæ, & præcepto seu immediate seu mediate adimplendo. Quæcunque aliæ primæ Propositionis interpretationes, quæ a Jansenistis ultro adoptantur, errorem non tollunt, sed tegunt duntaxat atque dissimulant. Frustra ii asserunt, se gratiam sufficientem sensu Thomistico libenter amplecti, gratiam se agnoscere, cui voluntas ad impletionem præcepti ita disponitur, ut nisi validior concupiscentia obstaret, fortiusque voluntas obsisteret, gratias uberiores Deus largiretur. Incassum prædicant, esse in justo etiam sub ipsa dominante concupiscentia, expeditam ad bonum facultatem. Frustra impotentiam implendi præcepti, temperato ac emollito nomine impotentiæ moralis aut difficultatis appellant. Hæ namque, & quæcunque ejusmodi aliæ loquendi formulæ in speciem Catholicæ ad nihil valent aliud, quam ut earum veluti involucro primæ Propositionis error tectus delitescat. Neque enim aliam exprimunt ad bonum potentiam, quam absolutam, & spectata in se natura gratiæ; non vero relativam, seu ta-

lem

lem, quæ poſſit actualem ac præſentem concupiſcentiam reprimere, ipſumque quod actu urget divinæ legis præceptum ad obſervandum poſſibile reddere.

CAPUT II.

An etiam peccatoribus omnibus fidelibus conferantur auxilia ſufficientia, tum ad converſionem, tum ad vitanda peccata, & divina præcepta ſervanda?

I. Ante omnia diligenter obſervandum eſt, non de fidei dogmate, ſed de mera Scholæ opinione, tam in præſenti, quam in iis quæ ſequuntur Diſſertationis hujus Capitibus agi. Hoc enim unum fides hic ſtatuit, juſtis non deeſſe gratiam, qua poſſibilia ipſis ſint Dei mandata. De ſolis juſtis loquitur Concil Trident Seſſ. 6. c. 11. & Can. 18. de ſolis etiam juſtis actum eſt in prima ex quinque famoſis Propoſitionibus Janſenii. Quanquam igitur certiſſimum illud habeamus, nemini mortalium Dei mandata ad obſervandum plane impoſſibilia eſſe, atque omnibus aliquam gratiæ menſuram eum in finem liberaliter a Deo diſtribui; fides tamen de ſolis juſtis pronuntiavit. Quapropter dum de aliis hominibus quæſtio inſtituitur, peccatoribus videlicet & infidelibus, an iis quoque omnibus dentur, proxime vel remote auxilia ſufficientia ad omnium præceptorum obſervantiam, & ad æternam ſalutem conſequendam, non omnino inter ſe conſentiunt etiam Catholici Doctores.

Quidam in præſenti quæſtione gratiam dupliciter conſiderari debere ajunt. 1mo in præparatione, quatenus videlicet præparatur a Deo, atque offertur. 2do in executione & applicatione, quatenus reipſa homini applicatur, & in eo recipitur. Primo modo, dicunt, gratias ſufficientes nemini omnino denegari; quia Deus illas pro omnibus præparat,

omnibus quantum est ex se offert ac exhibet. At secundo modo negant eas omnibus concedi; quod non omnibus auxilia sufficientia defacto applicentur, aut in omnibus recipiantur; sed nonnulli actuali eorundem applicatione & receptione priventur, in pœnam peccati sive personalis, sive originalis saltem. Quod maxime contingere autumant infidelibus, & peccatoribus excæcatis ac obduratis.

Alii econtra, & nostro quidem judicio veritati multo proximius, asserunt, omnibus omnino hominibus, etiam peccatoribus excæcatis ac obduratis, infidelibus quoque, nedum offerri, sed re ipsa conferri, & applicari auxilia sufficientia, queis seu proxime & immediate, seu remote saltem & mediate, mandata implere & salutem æternam consequi possint. Cui proinde sententiæ potius subscribendum videtur. Sed de infidelibus sequenti Capite, in præsenti vero de fidelibus duntaxat peccatoribus dicemus.

ASSERTIO PRIMA.

Peccatoribus omnibus fidelibus, non solum præparantur, sed re ipsa conferuntur gratiæ sufficientes, tam ad conversionem, quam ad vitanda ulteriora peccata, servandaque præcepta divina, quæ imputabiliter transgrediuntur.

II. PRob. 1ma Assertionis pars ex Scripturis, quæ peccatores ad conversionem & pœnitentiam identidem invitant & adhortantur. Ezech. 33. v. 11. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis.* 2. Petri 3. v. 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Quæ certe intelligi debent saltem de peccatoribus nondum obduratis, quibus proinde gratia ad conversionem sufficiens deesse non potest; cum

Deus

Deus nolit eos perire, ſed econtra ſincere velit eos converti, & idcirco patienter agat cum illis, illosque iterum atque iterum adhortetur ad pœnitentiam. Quod non faceret, ſi privaret eos omni auxilio ad id ſufficiente.

Hinc S. Auguſtinus enarr. in Pſal. 102. illa Davidis verba, *Miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multæ miſericordiæ*, exponens ſic ait: *Quid tam longanimum? quid tam multum in miſericordia? Peccatur, & vivitur; accedunt peccata, augetur vita: blaſphematur quotidie, & facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos. Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam; vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per Lectorem, vocat per Tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis &c.* Igitur juxta S. Doctorem peccatores per gratias tum exteriores multiplices, tum interiores, ſine quibus exteriores inutiles forent, ad pœnitentiam invitat miſerator & miſericors Dominus.

III. Ad alteram aſſertionis partem probandam ſerviunt inprimis ea Scripturæ, Conciliorum, & Patrum teſtimonia, quibus generatim aſſeritur, nemini impoſſibilia eſſe ad obſervandum Dei mandata, ſed quoties opus eſt, adeſſe gratiam ſaltem orationis, qua poſſit uberius Dei auxilium impetrari, ad vitanda peccata, divinamque legem obſervandam neceſſarium. Teſtimoniorum hujusmodi nonnulla ſuperiori Capite adduximus: quibus inſigne illud Auguſtini adjici poteſt ex Lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 6. *Dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum, quo fiat quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe.* Et enarr. in Pſal. 56. *Si conſideras infirmitatem tuam, deficis ſub præcepto, confortare in exemplo, ſed etiamſi exemplum ad te multum eſt, adeſt ille qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.* Igitur ex mente S. Doctoris Deus nec præcipit, nec

 præ-

præcipere poteſt aliquid impoſſibile. Ergo nullus hominum eſt, qui divina præcepta ſervare non poſſit. Ergo omnibus adeſt auxilium, ſaltem remote ſufficiens ad ea ſervanda, adeoque ad vitanda peccata.

Dixi, ſaltem remote ſufficiens: quia frequenter accidit, ut qui urgentur præcepto, vel tentatione, non habeant auxilium, quocum proxime poſſint præceptum implere, vel ſuperare tentationem: habent tamen tunc auxilium, cujus ope impetrare poſſint majores ac proxime ſufficientes vires ad præceptum implendum, & tentationem ſuperandam. Hinc illud S. Doctoris lib. de Gr. & lib. arb. c. 16. *Ideo jubet aliqua* (Deus) *quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus.* Ubi præterea obſervandum occurrit cum Bellarmino Lib. 2. de Gr. & lib. arb. c. 7. interiorem gratiam excitantem non ſemper neceſſariam eſſe homini ad vitandum peccatum, ſed aliquando ſufficere, ſi vel tentatoris vires minuantur, vel tentationis occaſio removeatur, vel aliquis terror injiciatur, vel aliquid aliud æque aut magis alliciens objiciatur &c. Cum ergo dicimus auxilium ad vitanda nova peccata ſufficiens peccatoribus ſemper præſtari, intelligendum eſt, id Deum præſtare, modo per interiorem gratiam excitantem, vel immediate vel ſaltem mediate ſufficientem, quoties ſcilicet ſine illa novum peccatum vitari non poteſt; modo tentationem cohibendo, peccandi periculum removendo, terrorem aliquem injiciendo, aut aliud æque vel magis alliciens offerendo &c. Illuſtre doctrinæ hujus teſtimonium habemus rurſus in S. Auguſtino Lib. 50. Hom. 23. ubi ſic loquitur: *Regebam te mihi, ſervabam te mihi, ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit, & ut ſuaſor deeſſet ego feci; locus & tempus defuit, & ut hæc deeſſent ego feci. Affuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non conſentires, ego terrui. Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admiſiſti.*

Re-

Respondetur ad Objecta.

IV. *OBjic. 1mo.* Ea potissimum de causa asseritur, omnibus peccatoribus fidelibus gratias vere sufficientes a Deo concedi, quia secus transgrediendo præcepta divina non peccarent imputabiliter, seu, ea transgressio ipsis in culpam imputari non posset. Sed hæc ratio satis firma non videtur; quia docet expresse S. Augustinus, quasdam esse transgressiones, quæ caveri non possunt, & tamen vera sunt peccata. Lib. 1. retract. c. 15. *Qui cogenti cupiditati*, ait S. Doctor, *bona voluntati resistere non potest; & ideo facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Igitur ex S. Doctore, qui cogenti cupiditati resistere non potest, & ideo præcepta justitiæ transgreditur, nihilominus peccat, & reus est transgressionis præceptorum illorum. Sed qui cogenti cupiditati resistere non potest, & ideo præcepta justitiæ transgreditur, non habet auxilium sufficiens ad vitanda peccata, & præcepta justitiæ servanda. Ergo ex S. Doctore, qui cogente cupiditate agunt contra præcepta justitiæ, imputabiliter præcepta justitiæ transgrediuntur, quamvis sine auxilio sufficiente ad non transgrediendum necessario.

Resp. Neg. min. Ad probationem ex loco S. Augustini depromptam dico, eum, qui cogenti cupiditati non potest resistere, & ideo facit contra præcepta justitiæ, carere duntaxat auxilio proxime sufficiente, atque adeo revera peccare, & præcepta justitiæ transgredi culpabiliter; quia non caret auxilio remote sufficiente, nempe gratia orationis, quacum impetrare potest uberius auxilium, quo dominium cupiditatis amoveatur. Unde impotentia cui subjacet, eum excusare non potest, quia sub ea libere manet, cum possit sese eximere, divinum auxilium implorando. Hanc esse mentem S. Doctoris patet ex eo, quod statim subjicit: *Quapropter peccatum sine voluntate esse non posse verissimum est.* Et paulo post: *Quan-*

Quantum eſt quod valet voluntas ſub dominante cupiditate, niſi forte ſi pia eſt ut orat auxilium? In tantum enim libera eſt; quia in tantum liberata eſt, & in tantum appellatur voluntas. Igitur homini, qui cogenti cupiditati reſiſtere non valet, & ideo agit contra præcepta juſtitiæ, horum præceptorum transgreſſiones ſunt ad imputabilitatem ſufficienter voluntariæ & liberæ; quia voluntas illius libera & potens eſt ad orandum auxilium, quo refrænetur cupiditas ita, ut dominari & ad malum cogere deſinat.

V. *Objic. 2do.* Peccata ignorantiæ committuntur ſæpe ab hominibus abſque auxilio ſufficiente ad ea ſervanda. Atqui ejusmodi peccata imputantur homini ad culpam. Ergo. *Maj.* patet; quia non raro committuntur ab hominibus putantibus, non ſolum ſe non male, ſed recte juſteque agere. *Min. prob.* ex Concilio Dioſpolitano, quod inter alios Pelagii articulos etiam iſtum proſcripſit: *Oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non eveniunt ſecundum voluntatem, ſed ſecundum neceſſitatem.* Mens igitur Concilii hæc videtur fuiſſe, ea quæ fiunt ex ignorantia & neceſſitate, quæ caveri non poſſunt, ad culpam nihilominus imputari.

Reſp. Diſt. maj. Peccata ignorantiæ culpabilis committuntur abſque auxilio ſufficiente, *Neg. maj.* ignorantiæ inculpabilis, *Conc. maj.* Ignorantia culpabilis eſt ea, quæ poteſt & debet tolli. Peccata autem, quæ fiunt ex ignorantia, quæ poteſt tolli, adeoque ad quam tollendam homo ſufficiens habet auxilium, dici non poſſunt fieri ſine auxilio ad ea evitanda ſufficiente; non quod actu peccanti ex ignorantia ſemper adſit auxilium ſufficiens ad eam tollendam, ſed quod nunquam ſic peccet, quin antea adſuerit auxilium ſufficiens ad depellendam ignorantiam, & ea depulſa cavendum poſtea peccatum; quod proinde ab homine ideo imputabiliter committitur, quia auxilio ad tollendam ignorantiam idoneo uti noluit, aut neglexit. Judicium porro illud erroneum, quo homines

ex

ex ignorantia culpabili peccantes sibi non raro persuadent, se juste recteque agere, non potest illos a culpa excusare; quia hoc ipsum judicium & persuasio culpabilis est; justeque ob antecedentem suam socordiam privantur auxilio, quo persuasio hæc impediri, & judicium corrigi posset.

Eadem cum proportione est responsio ad probationem *min.* Concilium nempe Diospolitanum hoc unum statuit contra Pelagium, ignorantiam, quæ naturali lumine vinci non potest, sed per gratiam, ad culpam imputari; quia in potestate hominis est, per orationem impetrare gratiam, qua dissipentur tenebræ mentis nostræ: Pelagiani namque eam tantum ignorantiam culpabilem esse volebant, quæ naturæ viribus depelli posset. Quæcunque igitur fiunt ex ignorantia per gratiam vincibili, ea, si mala fuerint, ad culpam merito imputantur.

VI. *Objic.* 3*tio.* S. Augustinus loquens de gratia sufficiente, quæ Adamo innocenti ad servanda mandata Divina data fuit, docet, in præsenti statu eam non dari omnibus, sed quibusdam dari ex pura misericordia, aliis vero juste denegari in pœnam peccati originalis. Ita namque habet Lib. de corr. & gr. c. 11. *Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est: Quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.*

Idem cum Augustino sentiunt S. Prosper Carmine de ingratis c. 11.

Dic, unde probes, quod gratia Christi
Nullum omnino hominem de cunctis, qui generantur
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit?

Et S. Fulgentius Lib. 1. de veritate prædest. c. 14. *In cujus gratiæ largitate quidam non leviter errant, existimantes, eam omnibus æqualiter dari.* Ergo non omnibus peccatoribus adest auxilium sufficiens ad vitanda peccata.

Resp. S. Doctor cum adjutorio illo, quod Adamo innocenti datum fuit ad perseverandum in statu innocentiæ, comparat non qualecunque adjutorium, quod nunc datur ad vitanda peccata & mandata servanda; sed illud solum, quod electorum proprium est, & quocum electi non tantum possunt permanere, sed etiam infallibiliter permanent in statu justitiæ. Adjutorium istud dicit non dari omnibus, sed solis electis, & ex pura misericordia, cum nemini debitum sit; aliis vero, quibus non datur, juste negari, & in pœnam peccati originalis, propter quod etiam omnibus potuit non dari. Unde quibus non datur, quod, postquam justificati sunt, non perseverent in statu justitiæ, jure merito illis ad culpam imputatur; tum quia hoc adjutorio ob suam aliquam culpam carent, tum quia non desunt ipsis aliæ gratiæ, quibuscum permanere possent, & permanerent, si vellent. Locus ergo S. Augustini nobis objectus non est ad rem; non enim loquitur de adjutorio sufficiente, quod ad vitanda peccata, & servanda mandata divina omnibus dari contendimus.

SS. Prosper, & Fulgentius negant omnibus dari gratiam fidei perfectæ, ac justificationis: vel certe negant omnibus dari gratiam sufficientem in sensu Semipelagianorum, id est, omnibus æqualiter dari, ut ait S. Fulgentius; aut dari propter aliquod initium fidei, quod sit ex solis naturæ viribus. Idem sensus est S. Augustini, cum ait Epist. 217. alias 107. ad Vitalem, *gratiam non omnibus hominibus dari.*

ASSERTIO SECUNDA.

Etiam peccatores excæcati & obdurati non omni penitus destituuntur auxilio gratiæ sufficientis, & necessariæ ad conversionem.

VII. PRob. primum ex testimoniis S. Scripturæ superius N. 2. allatis, quæ huc referri possunt. Quibus ad-

de

de illud Pauli ad Rom. c. 2. v. 45. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei.* Quibus verbis totam impœnitentiæ causam in cor peccatoris obstinati refundit Apostolus, cum Deus illum sua benignitate ad pœnitentiam adducit, utique gratiæ suæ auxilia eidem præstando, quibus ad pœnitentiam conari possit. Quis enim inter peccatores Pharaone obstinatior? *Ego*, inquit Deus Exod. 7. v. 3. *indurabo cor ejus.* Et v. 13. *Induratum est cor Pharaonis:* & tamen divinæ gratiæ ad pœnitentiam eum adducentis lumina eidem identidem adfuere. Quid enim indicant voces illæ Pharaonis Exod. 8. v. 28. *Ego dimittam vos.* Cap. 9. v. 27. *Peccavi etiam nunc, Dominus justus: ego, & populus meus impii*, aliæque similes, nisi gratiam Dei, nedum exterius per signa, sed interius cor durum & obstinax tangentem, ut emolliri posset, si voluisset: sed ille abusus fuit, ut magis cor suum induraret. Quemadmodum & Judas Domino illuminante pœnitentiæ motum conceperat; sed cum currere debuisset ad Christum, sperans ab ipso misericordiam, cucurrit desperatus ad laqueum, ut observat S. Augustinus Enar. in Psal. 145.

Scripturæ accedunt Concilia. Lateranense IV. sub Innoc. III. cap. *Firmiter de Fide Catholica* statuens, peccatum hominis prolapsi post Baptismum per pœnitentiam *semper* posse reparari. Trident. Sess. 14. Can. 1. damnans eum, qui negaret Sacramentum pœnitentiæ a Christo institutum esse pro fidelibus, *quoties* in peccata labuntur, Deo reconciliandis. penonense in Decretis Fidei c. 15. *gratiam semper esse in promStu, nec momentum quidem præterire, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset &c.*

Consentiunt Patres apud Bellarminum, & alios. Unum aut alterum hic nobis sufficiet D. Augustini, & D. Thomæ testimonium.

S. Augustinus enarr. in Psal. 6. n. 8. in illa Pauli verba ad Rom. 1. v. 18. *Dedit illos Deus in reprobum sensum*, ita differit: *Ea est cæcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur; sed non penitus, cum in hac vita est. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit .... Hujus igitur iræ inchoatio est, quam in hac vita patitur quisque peccator. Timens itaque diem judicii laborat, & plangit .... & ideo non dixit: extinctus est, sed turbatus est ab ira oculus meus &c.* Duplicem hic S. Doctor mentis cæcitatem distinguit: unam perfectam & consummatam, quæ nomine tenebrarum exteriorum in Scriptura venit, & alterius vitæ est, qua peccator penitus extra Deum est, divina luce privatus in totum, & qua extinctus est oculus ejus, ne amplius æternam lucem cernere possit. Alteram solum inchoatam, qua peccator *ab interiori Dei luce secluditur, sed nondum penitus;* & hæc est hujus vitæ, in qua qui in pœnam peccatorum excæcatur, non est extra Deum penitus, quia identidem a Deo illustratur, judicii extremi cogitatione concutitur, & plangit: ideoque oculus ejus ab ira non extinctus est, sed solum turbatus.

Idem prorsus docet S. Thomas 3. p. q. 86. art. in corp. *Dicere, quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est.* Primo *quidem*, *quia per hoc tolleretur libertas arbitrii.* Secundo, *quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri potest cor cujuscunque pecatoris ad pœnitentiam.* Unde sic arguo: Erroneum est, ex mente D. Thomæ, asserere, quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit. Sed dicere peccatoribus excæcatis deesse omne auxilium gratiæ, est dicere, quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere fructuose non possit: quia sine omni gratia nemo potest, nedum pœnitere, sed nec ad pœnitentiam conari,

nec

nec eam velle, aut serio desiderare, ut definitum est contra Pelagianos, & Semipelagianos. Ergo.

Et Quæst. 24. de verit. Art. 11. Ubi pariter distinguit duplicem obstinationem; unam perfectam, qua dæmones sunt obstinati; & alteram imperfectam, qua aliquis potest esse obstinatus in statu viæ: *dum scilicet habet aliquis ita firmatam voluntatem in peccato, quod non surgant motus ad bonum, nisi debiles. Quia tamen aliqui surgunt ex eis, datur via, ut præparentur ad gratiam.* Cujus rationem reddens ait: *Quod aliquis homo in statu viæ non possit esse ita obstinatus in malo, quin ad suam liberationem cooperari possit, ratio patet ex dictis; quia & passio solvitur, & reprimitur, & habitus non totaliter animam corrumpit; & ratio non ita pertinaciter falso adhæret, quin per contrariam rationem possit abduci.*

VIII. Neque dicas, Doctorem Angelicum nihil aliud iis locis velle, quam quod Deus paratus sit dare omnibus etiam obstinatis auxilia sufficientia; non vero quod omnibus re ipsa defacto det, obduratione sua obicem ponentibus. Vel ad summum, quod Deus illis non deneget exteriora quædam gratiæ auxilia, quales sunt exhortationes, correctiones, & similia.

Contra namque est, quod D. Thomas loco mox cit. dicat, nullum posse esse ita obstinatum in malo, quin surgant in eo aliqui motus ad bonum, licet debiles; quin ad sui liberationem cooperari possit &c. Motus igitur illi ad bonum, quamvis debiles, potestas cooperandi liberationi a peccato, debent esse a gratia, non mere extrinsece oblata, sed revera interius collata; ne cum Pelagianis dicatur, posse hominem per solas gratias exteriores salutariter operari. Ergo si ex mente D. Thomæ, nullus est peccator in hac vita obstinatus, quin in eo surgant aliquando aliqui motus ad bonum, quibus cooperari possit ad sui liberationem; nullus est, cui auxilia ad sui conversionem sufficientia, nedum offerantur, sed re

ipsa non conferantur; quibus si obicem non posuerit, gratiam uberiorem remissivam peccati consequatur.

Quæ tamen non ita intelligi debent, quasi vero gratia ad conversionem sufficiens peccatoribus excœcatis semper & omnibus momentis adesset; sed quod concedatur certis temporibus, prout Deus vult. Negari namque vix potest, quædam esse tempora, quibus peccatores obdurati carent omni gratia sufficiente ad resurgendum a peccato. Propterea Psaltes Regius Psal. 94. hortatur peccatores: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Dicit *hodie;* quia non semper, nec quotidie interna vox Spiritus S. pulsat aures cordis nostri, sed certis tantum temporibus; quod cumprimis de peccatoribus obstinatis verum est. Hinc cum Concilium Senonense Decreto supra laudato docet, nec momentum quidem præterire, in quo Deus non stat ad ostium, & pulset; cum aliqua moderatione intelligi debet: quod videlicet gratia adsit omnibus momentis, quibus urget tentatio, quæ superari, aut obligatio alicujus præcepti, quod adimpleri non potest sine gratiæ interioris adjutorio.

Respondetur ad Objecta.

IX. OBjic. 1mo. Obcœcatis deesse auxilia sufficientia probant complura Scripturæ loca. Inprimis illud Eccl. c. 7. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit;* quæ considerans S. Isidorus L. de summo bono c. 13. *Nonnulli*, inquit, *ita despiciuntur a Deo, ut deplorare mala sua non possint, etiamsi velint:*

2do: Joan. 12. v. 39. de Judæis excœcatis dicitur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.* Si non poterant credere, quia excœcati oculis, & indu-

durati corde ; ergo nullam receperunt gratiam , per quam possint credere & converti.

3tio. De Pharaone Exod. 9. v. 12. legitur : *Induravit Dominus cor Pharaonis.* Et v. 16. *Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Ex quo concludit Apostolus ad Rom. 9. v. 17. *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat ;* subtrahendo videlicet omne interioris gratiæ subsidium, ut habeat, unde virtutem suam ac potentiam manifestare omnibus possit.

4to. De Esau ad Hebr. 12. v. 17. habetur : *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.* Et de Antiocho 2. Machab. 9. v. 13. *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.*

Resp. ad 1mum. Verba illa Ecclesiastis probant dumtaxat, inutilem fore correctionem respectu cujusvis peccatoris, nisi Deus interius aspiret ; quod verissimum est. Vel certe accipienda sunt, non quod absolute corrigi non possit, sed quod difficile sit corrigi peccatorem obduratum : quo sensu cap. 1. v. 15. ejusdem Libri Ecclesiastes ait : *Perversi difficile corriguntur.* Isidorus autem vult, despectos a Deo deplorare mala sua non posse potentia solum consequente, cum supponat, eos posse velle deplorare. Dantur ergo etiam obcœcatis, si non semper , saltem interdum auxilia , quibus in eis excitetur voluntas aliqua pœnitendi ; sed quia , ut superius dictum est ex S. Thoma, motus hujusmodi debiles sunt, & eorum obstinatione suffocantur, potentia consequente non possunt.

Ad 2dum Resp. Judæi excœcati non poterant credere eo sensu, quo Christus quibusdam invidis jam dixerat Joan. c. 5. v. 44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis ?* Nimirum nec isti, nec illi proxime, & cum ejusmodi impedimento credere poterant ; sed cum penes illos esset tale im-

impedimentum removere, remote poterant credere. *Non poterant credere*, inquit S. Augustinus Tract. 53. in Joan. *non quia mutari in melius homines non possunt; sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere.* Judæi ergo quia excœcati, carebant auxilio efficaci, & in pœnam etiam sufficiente ad proxime credendum, non tamen carebant auxilio sufficiente ad deponendam obstinationem & aperiendos oculos: unde remote saltem poterant credere; quo auxilio si bene usi fuissent, collatum eis fuisset etiam auxilium sufficiens ad proxime credendum.

Ad 3tium Resp. Deus Pharaonem posuit, ut ostenderet in ipso suam virtutem & potentiam, post prævisam nimirum ipsius malam voluntatem ac obstinatam malitiam. Non enim Deus induravit Pharaonem positive *impertiendo malitiam*, ut loquitur Augustinus Epist. 194. sed negative tantum, *non impertiendo misericordiam;* atque prævisa mala ipsius voluntate, eam Deus mire convertit ad virtutis suæ & gloriæ manifestationem, illa patrando prodigia, quæ summam ejus potentiam manifestarent.

Ad 4tum Resp. Tam Esau, quam Antiochus habuerunt auxilium saltem remote sufficiens ad agendam veram pœnitentiam; sed ex prava voluntate egerunt pœnitentiam falsam, neque exauditi sunt, quia male petebant. Antiochus videlicet gravi plaga in corpore percussus orabat, ut dolori solatium, non ut peccatis remedium impetraret. Esau vero deflebat ablata sibi primogenita, non peccata, quibus cœlestem iram in se concitaverat; & ideo mirum videri non debet, si neuter illorum a Deo exauditus est.

X. *Objic. 2do.* S. Augustinus Expositione quarumdam propos. ex Epistola ad Rom. de Pharaone dicit: *Quod ergo tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de supplicio veniebat. . . . Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non po-*

poterat ; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduretur priori infidelitate. Ergo in eo posita est induratio, ut omnis ab indurato gratia retrahatur, cujus defectu libera non erat hæc Pharaonis inobedientia.

Et lib. de perfect. justit. c. 19. loquens S. Augustinus de homine servante præcepta, ait: *Quasi non debeat Deo agere gratias, quia præcepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis hæc velle non posset.* Ergo supponit aliquos ita excœcatos, ut omni omnino lumine veritatis sint destituti.

Denique Lib. 1. Operis imperfecti: *Quis porro volens cæcus est corde, cum nemo velit cæcus esse vel corpore?* Quibus verbis S. Doctor probat, cœcitatem & indurationem non esse voluntarias.

Resp. Locum illum Augustini de Pharaone, si secundum sensum obvium accipiatur, nimium probare; videtur enim significare, quod induratus non amplius imputabiliter peccet, quod nec Adversarii admittunt, nec S. Augustinus docuit, qui Tract. 53. in Joan. monet, non esse excusanda peccata Judæorum excœcatorum, Christo dicente: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Videndum igitur est, quo sensu hæc scripserit S. Augustinus. Nimirum, ita scripsit ex errore Semipelagianorum, quo tunc adhuc occupatus erat, existimans, initium fidei, piumque credulitatis affectum esse a sola natura, ac ita necessario præire gratiæ divinæ, ut nisi præcesserit, nulla prorsus sequatur gratia: non præcessit autem in Pharaone. Ergo Pharao induratus caruit omni gratiæ auxilio, sed ex mente Semipelagianorum; credere proinde non potuit, nec obtemperare præceptis Dei. Ergo ejus peccata imputanda sunt primæ ipsius infidelitati, ex qua juxta Semipelagianos necessario sequuntur posteriora peccata; quem errorem S. Augustinus, orta Pelagianorum hæresi detestatus est: ac proinde genuina S. Doctoris sententia circa præsen-

tem doctrinam eruenda non est ex ejus expositione in Epist. ad Rom. sed ex posterioribus ejus libris, præsertim ex supra laudato libro in Psalmos. Dicendum itaque videtur, & obstinatam inobedientiam, & infidelitatem imputatam fuisse Pharaoni; sed magis infidelitatem, quam inobedientiam, quia infidelitas, in qua obstinate voluit perdurare, & quam deponere poterat, ipsum indignum reddidit ulteriori auxilio, quo posset proxime obtemperare.

Ad alterum Augustini locum ex lib. de perfect. justit. *Neg.* S. Doctorem ibidem supponere, aliquos ita excoecatos, ut omni omnino veritatis lumine sint destituti. Solum namque supponit contra Cœlestium Pelagianum, contra quem ea scribebat, hominem implentem mandata Deo gratias agere debere, quia mediante ipsius lumine ea implet, quo si penitus destitutus esset, hoc velle non posset. Cæterum nullum etsi excœcatum, dum est in hac vita, omni lumine privari expresse docet loco supra laudato enarr. in Psal. 6. *Ea est cæcitas mentis: in eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur; sed nondum penitus, cum in hac vita est.*

Denique ut satisfiat etiam illis S. Doctoris verbis ex libro I. Operis imperf. *Quis volens, cæcus est corde, &c.* duo in peccato spectanda esse, docet S. Thomas in Caput I. Epistolæ ad Rom. ipsummet actum malum, ad quem directe se determinat peccator; & pœnam, quæ actum malum consequitur, scilicet privationem gratiæ sanctificantis, cœcitatem mentis, indurationem, ac tandem æternam damnationem Pœnam autem non vult peccator, nisi indirecte & quatenus vult causam; quia est pœna gravissima, ipsius inclinationi maxime repugnans. Ergo nullus directe vult esse cœcus corde, sed indirecte tantum; quod non impedit, quo minus ipsa cœcitas sit absolute voluntaria, & peccatum, ut expresse docet S. Doctor eodem Lib. I. Oper. imperf. his verbis: *Si peccatum*

tum

tum non esset, injuste coargueretur (cœcus) *arguitur autem juste, ubi dicitur*, Pharisæe cœce &c.

XI. *Objic.* 3*tio*. Obduratio fit per subtractionem gratiæ. Sed non quævis subtractio gratiæ est induratio. Ergo induratio est subtractio omnis gratiæ. *Maj.* est certa. *Min.* etiam patet; si enim obdurato aliqua solum uberior ac specialis gratia retraheretur, nihil esset discriminis inter obduratum, & quemvis alium peccatorem non induratum; imo inter peccatorem & justum, quem Deus interdum uberiore gratia privat.

Resp. Quemadmodum varii sunt ac multiplices in gratia concedenda gradus, ita & in eadem deneganda. *Paulatim*, ait S. Bernardus Lib. 1. de Consid. c. 2. *in cordis duritiem itur.* Unde male omnino comparantur, quantum ad illam gratiæ subtractionem, obdurati cum non obduratis, aut peccatores cum justis, inter quos latum omnino est discrimen. Quo tamen non obstante etiam induratis non omne penitus gratiæ interioris beneficium denegatur; sed tantum gratiæ cujusdam specialis, qua proxime & immediate possint vitare peccata, & tentationes superare.

Sed *inquies*: Nunquid Jerem. 51. v. 9. Angelorum Custodum nomine dicitur: *Curavimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam.* Unde concludit D. Thomas 3. contra Gen. c. 162. quandoque peccatores excœcatos & obduratos privari, *non solum infusione gratiæ, sed etiam exteriori custodia*, scilicet Angelorum.

Resp. Peccatores induratos quandoque ita deseri in morte in pœnam præcedentium peccatorum; nunquam autem penitus deseruntur in vita. Esto namque Angeli Sancti eos non juvent semper & in omnibus, juvant tamen eos saltem ad obstinationis depositionem, & veram conversionem. Ita S. Thomas in 2. Sent. dist. 11. q. 1. ar. 4. ad 1. in præcitatum Jeremiæ locum ait: *Dicendum, quod hoc intelligitur esse vox An-*

mortis periculum, ſolent remedia reſpuere, nullamque amplius ſui curam gerere. Ita & peccatores cum audierint facilem eſſe delictorum veniam, de remedio parum ſolliciti, & 5 in ſuis iniquitatibus veluti conſopiti vivunt; aut ſi dici ſibi intellexerint, iniquitatum menſuram in aliquibus obduratis eſſe completam, nec a Deo gratiam ulterius expectandam; haud difficulter ſibi perſuadent, ſe ex illo eſſe numero, laxantque habenas cupiditatibus ſuis, quas prius timoris & ſpei freno utcunque continebant. Quare Prædicator imitetur ſapientem medicum, qui ægroto, quem ſanum cupit, ita exponit morbi periculum, ut nunquam ſpem ſalutis adimat. Peccatores etiam ſceleſtiſſimos inter ſpem & timorem contineat. In veniæ ſpem erigat, deprædicando Divinam miſericordiam, quæ gratiæ ſuæ auxilia nunquam iis, dum vivunt, penitus ſubtrahit: ſed timore ſimul concutiat, admonendo de brevitate vitæ, & finis ipſius incertitudine; unde merito ipſis timendum, ne ultimum illud peccatum, quod patrarunt, niſi ab illo reſipuerint, futurum ſit illud, ob quod in ſua obduratione morituri æterna pœna plectendi ſint. Ita D. Gregorius Hom. 12. in Evang. *Quia*, inquit, *poſt peccata Deus pœnitentiam ſuſcipit, ſi ſciret quisque de præſenti ſæculo, quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuiſſet. Sed qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam poſſumus prævidere.*

CAPUT III.

Utrum infidelibus omnibus Deus, non ſolum præparaverit, ſed etiam actu conferat gratias ſufficientes, quibus ad fidem, & ad ſalutem adduci poſſint?

I. NOn movetur hic quæſtio de iis, qui *poſitive* infideles ſunt; hoc eſt, qui annuntiato ſibi Evangelio non credi-

diderunt, quorum proinde culpa est, quod infidelitate laborent. Sed de infidelibus duntaxat *negativis*, qui de Christo nihil audierunt, quibus propterea infidelitas illa ad culpam non imputatur. *Quomodo* enim *credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* ad Rom. 10. v. 14.

Neque etiam quæstio est, utrum quolibet tempore, aut singulis momentis dentur infidelibus ejusmodi gratiæ sufficientes; vel tales illæ sint, quibus proxime ac immediate fidem obtinere possint: id enim nemo Theologorum unquam asseruit.

Sed quæritur duntaxat, utrum infidelibus *negativis* opportuno tempore, & loco Deus aliqua gratiæ interioris auxilia tribuat, quibus remote saltem & mediate ad fidem & salutem pervenire possint?

ASSERTIO.

Infidelibus omnibus, etiam iis, qui laborant infidelitate negativa, datur pro loco, & tempore gratia sufficiens ad fidem, & salutem.

II. TAnta est inter istam de infidelibus, & præcedentem de peccatoribus controversiam affinitas, ut argumentorum & testimoniorum, quæ paulo ante adducta sunt, pars maxima ad præsentem Assertionem transferri possit.

Probatur nihilominus singillatim 1*mo* ex Apostolo, qui ad Timoth. c. 2. sic loquitur: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes . . . pro omnibus hominibus . . . hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus JESUS, qui dedit redemptionem semetipsum*

pro

pro omnibus. Unde hæc duo conficiuntur: *1mo* Deum velle, ut omnes absolute ad veritatis agnitionem perveniant, & salventur; & hoc ideo juxta Apostolum, quia est Deus omnium, & pro omnibus mortuus est Christus. Atqui est Deus omnium, & Christus est mortuus pro omnibus absolute, etiam illis, qui de Evangelio nihil audierunt, & audituri sunt unquam; quam propositionem ad veritates in Scriptura revelatas pertinere, suo loco ostendemus. Ergo Deus vult, ut omnes absolute, etiam infideles negativi ad veritatis agnitionem veniant, & salventur. *2do* hanc Dei voluntatem non esse in Deo sterilem, & otiosam complacentiam, sed esse decretum adhibendi idonea media ad finis intenti executionem, hoc est, conferendi singulis auxilia sufficientia. Ergo si Deus illa infidelibus non conferat, non videtur sincere, & quantum est ex se velle, ut illi ad veritatis agnitionem perveniant, & salvi fiant. Idem Apostolus ad Rom. 1. v. 20. *Invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt &c.* Potuerunt igitur Gentiles illi ex innata, aut ex rebus creatis ducta Dei notitia Deum glorificare, & ad ejus cultum excitari; ita *ut inexcusabiles sint, quia cum cognovissent eum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Excusari autem illi possent, si omni interiore Christi gratia fuissent destituti. Certum namque est, cognitionem Dei per creaturas, aut aliam similem exteriorem gratiam, nisi interior Spiritus S. illustratio & motio accesserit, nihil posse ad glorificandum Deum, & gratias agendas, seu ad actum bonum veræ pietatis eliciendum. Nam glorificare Deum, & ei gratias agere, sunt opera pietatis, quæ sine prævenientis gratiæ interioris adjutorio haberi non possunt. Cum igitur Apostolus dicat, Gentiles illos inexcusabiles fuisse, supponit, illos non tantum externa cognitio-

tionis Dei per creaturas, sed interiore etiam vera & proprie dicta aliqua gratia instructos fuisse.

III. *Prob. 2do.* ex Patribus. S. Augustinus Expos. 1. in Psal. 18. *Non est*, inquit, *qui se abscondat a calore ejus: Cum enim Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis, & ipsam enim penetravit Dei calor.*

S. Prosper, vel quiscunque alius author sit librorum de vocatione gentium, sententiam nostram disertis verbis tuetur Lib. 2. pluribus locis. Sic autem scribit c. 17. *Nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit . . . quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur.*

S. Thomas q. 14. de verit. art. 11. ad 1. sic respondet: *Si aliquis nutritus in sylvis, vel inter bruta animalia, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni & fuga mali, certissime est credendum, quod ei Deus per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Id ipsum S. Doctor confirmat Lect. 3. in cap. 10. Ep. ad Rom. ubi addit: *Hoc ipsum quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum.* Supponit ergo D. Thomas, etiam iis, qui nihil audierunt de Evangelio, adesse auxilium sufficiens, quo possint facere quod in se est, scilicet convertendo se ad Deum auctorem naturæ; quod si faciant, moveatur ad eos illuminandos per fidem. Ergo infideles etiam ii, qui laborant infidelitate negativa, pro loco & tempore accipiunt media ad salutem idonea, quibus si recte uterentur, uberius a Deo auxilium obtinerent, quo ad fidem & ad salutem pervenire possent.

IV.

IV. *Prob. 3tio.* eadem ratione Theologica, ex qua asseruimus superius, & justis, & peccatoribus fidelibus conferri gratias sufficientes ad vitanda peccata & observanda mandata divina. Quia nempe Deus impossibilia non jubet, neque ullus peccat in eo, quod cavere nullo modo potest. Atqui infidelibus Dei mandata impossibilia erunt, & peccabunt in eo, quod cavere nullo modo possunt, si ipsis non dentur gratiæ sufficientes. Neque enim mandata Divina, ea præsertim, quæ vel ex objecto, vel ex circumstantiis ardua sunt ac difficilia, possunt sine gratia observari, neque sine illa peccata caveri possunt. Ergo si nulla infidelibus detur gratia sufficiens, & mandata ipsis erunt impossibilia, & peccabunt in eo, quod cavere nullo modo possunt, non secus ac justi, aut peccatores fideles, si omni ejusmodi gratia destituerentur.

Respondetur ad Objecta.

V. OBjic. 1mo. ex Scriptura: Act. 14. v. 15. Deus dicitur, *in præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas.* Et c. 16. v. 6. Paulus & Timotheus *vetantur a Spiritu S. loqui verbum Dei in Asia.* Ergo nulla hominibus istis gratia sufficiens concessa fuit.

Apostolus Ephes. c. 2. v. 12. Gentiles ad fidem conversos sic alloquitur: *Eratis illo in tempore sine Christo . . . promissionis spem non habentes, & sine Deo vero in hoc mundo. Nunc autem in Christo JESU &c.* Et c. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Unde sic arguitur: Quod fuerunt Ephesii, antequam ad fidem per Pauli prædicationem converterentur, id nunc sunt infideles negativi. Atqui Ephesii in eo statu nullas habuerunt gratias ad salutem sufficientes: erant namque tenebræ, sine Christo, sine Deo, sine ulla promissionum spe. Ergo &c.

Resp. ad 1mum. Neg. conf. Quia Deus dicitur dimisisse ingredi gentes vias suas, quatenus ad eas non misit Patriarchas & Prophetas, nec legem scriptam dedit illis, adeoque non iis impertivit specialia illa gratiæ beneficia, quæ contulit in Abrahamum & ejus posteritatem; sed inde non sequitur, subtractam fuisse illis omnem gratiam sufficientem: contrarium certe sat clare significat Paulus, cum ait Act. 14. c. 1. Deum non sine testimonio apud gentes semetipsum reliquisse. Et c. 17. gentes potuisse Deum quærere & invenire, ex creaturis, & variis divinæ providentiæ effectibus salutarem ipsius notitiam sibi comparando. Quod autem Act. 16. dicatur Paulus & Timotheus prohibitus fuisse, ne Evangelium prædicarent in Asia; inde solum infertur, tunc temporis Asiaticis concessam non fuisse gratiam proxime sufficientem ad amplectendam Christi fidem: quo tamen non obstante, habere potuerunt, & pro loco ac tempore habuisse dicendi sunt gratiam remote sufficientem.

Ad 2dum eadem est responsio, illos videlicet, qui sunt in tenebris infidelitatis, qui nullam habent Christi Salvatoris notitiam, qui non Deum, sed idola colunt, qui ignorant promissiones a Deo factas de vita æterna &c. non habere quidem gratias proxime sufficientes; habere tamen tempore opportuno gratias remote sufficientes, quibus adjuvarentur, si vellent, ad habendam salutarem Dei cognitionem, & ad Deum sic cognitum invocandum. Quod si facerent, procuraretur illis Evangelii prædicatio, aliaque ad credendas fidei veritates idonea auxilia subministrarentur.

VI. *Objic. 2do* ex S. Augustino L. 1. ad Simplic. q. 1. *Incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit credere DEO.* L. de gestis Pelagii c. 14. n. 34. *Fides initium est, unde bona opera incipiunt.* L. de prædest. SS. c. 17. n. 12. *Fides ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera.* Ergo fides est omnium gratiarum prima, ante quam, & sine qua nullæ aliæ dan-

dantur. Atqui infideles fidem non habent; ergo nec ullam gratiam.

Resp. Dist. conf. Fides est omnium gratiarum prima, *qua juste vivitur*, & ad justificantem gratiam homo proxime disponitur, *Conc.* Est prima gratia simpliciter & absolute, sine qua nihil omnino boni fieri potest, quo remote saltem ac mediate disponamur ad fidem & gratiam justificantem, *Neg. conf.* Hinc merito proscriptae sunt duae istae Propositiones inter Quesnellianas, 26. & 27. *Nullae dantur gratiae, nisi per fidem. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.* Dantur enim praeviae quaedam ad fidem dispositiones, quae procul dubio sunt a gratia; quae tamen nondum sunt ipsamet fides, ad quam ducunt & praeparant, quas Augustinus vocat *inchoationes fidei.* Cum igitur locis citatis ait, fidem esse primam gratiam, qua caeterae impetrantur; legenti manifestum fit, eum loqui de gratia, quae sit proxima & immediata dispositio ad justificationem, quam etiam Concilium Trid. Sess. 6. c. 8. vocat *humanae salutis initium, fundamentum & radicem omnis justificationis.* Quo sensu merito asserit S. Doctor, fidem in Christum explicitam & perfectam esse primam gratiam, nempe justificationis & salutis immediate ac proxime obtinendae; tametsi alias gratias & fidem agnoscat non ita perfectam, quae ad perfectiorem disponat ac praeparet. Fides igitur inchoata, & primae gratiae respectu illorum, quibus non praedicatur Evangelium, sunt eae, quibus intellectus eorum illustratur, ad cognoscendum per creaturas Deum, eumque summe bonum ac justum esse, rerum omnium Dominum ac provisorem sapientissimum, adeoque delictorum vindicem, & remuneratorem virtutum: ex qua salutari cognitione Dei sufficienter excitantur, Deo gratiam suam promovente, ad salutarem illius timorem, ad inchoatam illius dilectionem, ad implorandum auxilium, aliaque pietatis opera ex inchoata illa dilectione exequenda. Doctrinam hanc tradit Bellarminus l. 2. de gr.

& lib. arb. c. 8. *Possunt*, inquit *Gentiles*, *quibus nondum Evangelium est prædicatum, cognoscere per creaturas Deum esse, & proinde possunt a Deo per gratiam prævenientem excitari, ad credendum de Deo, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit: & ex tali fide excitari possunt, eodem dirigente & adjuvante Deo ad orandum, & eleemosynas faciendas, & eo modo impetrandum a Deo majus fidei lumen, quod Deus per se, vel per Angelos, vel per homines facile communicabit.*

Sed *inquies:* Augustinus citato Lib. de prædest. SS. c. 8. diserte asserit, *Fidem, & inchoatam, & perfectam donum Dei esse, quod quibusdam datur, quibusdam non datur.*

Resp. Fides etiam inchoata non omnibus datur, quia non omnes illa gratia bene utuntur, quæ conceditur, ut ad fidem se disponere, atque ad eam pervenire possint: datur tamen omnibus fides inchoata quoad posse saltem remotum.

VII. *Objic.* 3*tio*. Si etiam infidelibus negativis dentur gratiæ sufficientes, quibus ad fidem adduci possint, si illis bene uti voluerint, imputabitur ipsis ad culpam, quod non credant Evangelio, nec servent præcepta legis positivæ divinæ; proinde nulla erit ignorantia fidei invincibilis. Sed hoc admitti non potest. Ergo. *Maj.* patet; quia infidelitas & ignorantia, ad quam vitandam datur gratia sufficiens, est vincibilis. *Min.* etiam est certa. Propterea in Bajo damnatum fuit, quod ignorantia mysteriorum nostrorum in infideli negativo non sit solum pœna peccati, sed & peccatum.

Resp. Neg. sequel. maj. Quia infideles negativi, dum resistunt gratiæ remote sufficienti, ne levissime quidem suspicari possunt, quod sit aliquod Evangelium, cujus notitia in pœnam resistentiæ illius privandi sint; vel quod sint aliqua legis positivæ divinæ præcepta, quæ servari oporteat. Unde quod non credant Evangelio, nec præcepta legis positivæ divinæ servent, ipsis voluntarium non est, adeoque ad culpam imputari non potest. Duplex proinde ignorantia &

in-

infidelitas hoc loco diſtingui debet. Una pure *negativa*, quam quis non vitat, quia non poteſt; & hæc vitium quidem eſt naturæ corruptæ, malusque habitus ex peccato relictus & ad peccatum inclinans, ſicut & concupiſcentia; ſed peccatum non eſt, nec verti in culpam debet ei, qui neſcit, & non credit, quia ſcire & credere non poteſt, quamvis auxilium remote ſufficiens habeat ad ſciendum & ad credendum: ejusmodi namque auxilio diſſentiens non prævidet, nec prævidere poteſt, ſe propterea privandum notitia & fide myſteriorum noſtrorum, atque adeo inde ſecuturam impoſſibilitatem ſciendi atque credendi. Altera ignorantia dicitur *privativa*, qua quis ſcire & credere potuit non ſolum remote, ſed & proxime ac immediate, & ignorantiam ac infidelitatem vincere; ſed noluit, vel ſaltem neglexit: & hæc peccatum eſt, eique ad culpam imputatur. Ita S. Auguſtinus expreſſe docet in Epiſt. 105. nunc 194. ad Sixtum c. 6. contra Pelag. ubi poſtquam diſtinxit in infidelibus ignorantiam negativam & invincibilem, qui ideo non crediderunt, quia non audierunt; & dixit, hos de peccato eſto non omni, de infidelitate tamen excuſationem habituros, ſubjungit: *Ipſa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.*

CAPUT IV.

An vere dici poſſit, etiam parvulis absque Baptiſmo decedentibus dari media ad ſalutem ſufficientia?

I. UT propoſita quæſtio reſolvatur facilius, advertendum eſt, quod, cum varia & multiplicia ſint media, quibus homines ad ſalutem æternam conſequendam divinitus adjuvantur, illa cenſeri debeant ad ſalutem ſufficientia, quæ

secundum proprium cujusque statum ad finem illum consequendum apta sunt. Porro, quamvis infantes ante rationis usum ex se ipsis nullos virtutum actus exercere valeant, quibus ad finem illum ultimum tendant, capaces tamen sunt recipiendæ gratiæ sanctificantis, qua veluti nuptiali veste induti ad cœnam nuptiarum Agni admitti possint. Quæ quidem gratia secundum legem ordinariam non alio modo ipsis infunditur, quam per Baptismum, quem cum non nisi cum alterius ministerio suscipere queant; sequitur, media illa ad salutem sufficientia, quæ parvulorum statui conveniunt, in eo differre ab aliis mediis, quæ cuilibet adulto congruunt, quod hæc pendeant a libera acceptatione & consensu recipientis, qui gratias interiores, aliaque salutis consequendæ media sibi oblata potest, si velit, recipere vel repudiare; illa vero, quæ infantili statui apta sunt, non pendeant a libero infantum consensu, cujus ii incapaces sunt, sed a voluntate & ministerio aliorum, qui media illa ipsis applicare possunt, ac debent. Illis igitur infantibus de salutis remedio sufficienter Deum providisse censendum est, quibus Baptismus adultorum duntaxat culpa non applicatur, aut applicari non potest: quemadmodum contingit, cum infans genitorum culpa in utero materno præfocatur; vel in lucem editus, nihilominus sine Baptismo decedit, eorum, quorum procurare interest, socordia ac negligentia. Unde S. Prosper L. 2. de vocat. gent. c. 23. *Non irreligiose*, inquit, *arbitror credi*, *neque inconvenienter intelligi*, *quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem*, *quæ semper universis est impensa nationibus: qua utique si eorum bene uterentur parentes*, *etiam ipsi per eosdem juvarentur:* est quippe istud commune salutis remedium omnibus paratum & oblatum, ex ea, quæ in Deo est, vera & sincera salvandi omnes voluntate, licet adultorum culpa istis *paucorum dierum hominibus* applicari non possit.

De

De illis proinde duntaxat hic controversia est, qui vel in utero materno vi sola naturæ extinguuntur; vel jam nati, defectu aquæ, aut alia quacunque de causa, nulla humana industria & diligentia baptizari possunt. Dicine de istis merito potest, quod Deus non tantum velit illorum salutem, ac medium ad eam obtinendam illis præparaverit, sed etiam de illius applicatione sufficienter providerit; cum medium ejusmodi, quamvis ex se sufficiens, ita tamen dispositum maneat, ut nulla humana diligentia possit infantibus applicari? En status præsentis quæstionis! quæ quidem ad solvendum perdifficilis est, magnaque contentione agitatur in Scholis, ac Theologos in oppositas sententias distrahit, ut solet, quando Scriptura clara non est, nec Traditio manifesta, nec succurrit Ecclesiæ definitio; quemadmodum accidit in hac controversia.

ASSERTIO.

Infantibus omnibus absque Baptismo decedentibus, sive id ex parentum culpa, sive alia quacunque de causa eveniat, salutis media non modo præparavit Deus, sed etiam de illis applicandis sufficienter, quantum est ex parte sua, providit.

II. PRob. assert. gravissimo illo Apostoli testimonio, quo supra pro infidelibus usi sumus, ad inferendum ex sincera Dei omnes homines salvandi voluntate, & oblatione sanguinis Christi pro omnibus, universalem in omnes & singulos sufficientium gratiarum influxum. Dicit nempe Apostolus 1. ad Timoth. 2. v. 4. universaliter, & sine ulla restrictione, quod Deus *vult omnes homines salvos fieri.* Ergo nec parvuli sine baptismo decedentes ab illa universali voluntate excluduntur. *Nunquid* enim *homines non sunt* (parvu-

vuli) *ut non pertineant ad id quod dictum est*: omnes homines vult salvos fieri? ita egregie S. Augustinus l. 4. contra Julianum c. 8. Neque obstat, quod Paulus addit: *& ad agnitionem veritatis venire*, cujus parvuli sunt incapaces. Nam & hi, dum ad Baptismum veniunt, ad veritatis agnitionem suo modo accedunt, habitu scilicet, non actu; recipiunt enim sanctificantem gratiam, quæ est radix fidei: quia, ut rursus D. Augustinus l. 1. de peccat. mer. & rem. c. 27. in illis idem est baptizari, quod credere. Et si post Baptismum moriantur, veniunt ad veritatis agnitionem etiam actu; quia per Baptismum perveniunt ad Regnum cœlorum, ubi est actualis & intuitiva cognitio veritatis, ut docet S. Doctor l. 4. contra Julian. c. 8.

Id ipsum evincit ratio, quam Paulus ibidem adjicit: *Unus enim*, inquit, *Deus*, *unus & mediator Dei & hominum homo Christus JESUS*, *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Cum igitur ipse sit unus omnium Deus, qui homines ad æternam salutem ordinavit, ad ipsum etiam pertinet habere curam de omnibus. Et cum post hominis lapsum unicus sit Mediator Dei & hominum, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, ex vera & sincera salutis ipsorum voluntate; nec Deus sit magis adultorum Deus, quam parvulorum, sicut nec Christus magis Mediator illorum, quam istorum; æquum est, ut Deus salutem velit etiam parvulorum, & pro his quoque Christus sese obtulerit Mediatorem.

Porro otiosa non est in Deo (ut pariter supra pro infidelibus arguebamus) hæc salvandi omnes voluntas, nec sterilis oblatio sanguinis Christi pro eorum salute; ergo virtute illius omnibus, etiam parvulis, Deus præparavit media salutis necessaria, ac de illis applicandis sufficienter, quantum est ex se, providisse censendus est. Quod nisi ita esse dicamus ac sentiamus, vix ulla solida ratione tueri poterimus, quod tamen tanquam certissimam doctrinam tueri & defendere quilibet

bet debet, Deum velle omnes homines salvos fieri, Christumque pro eorundem salute sanguinem fudisse. Hinc quotquot generalem illam Dei voluntatem, & Christi oblationem impugnant argumento & exemplo illorum infantium, qui omni ope destituti, seu in utero materno, seu in lucem editi, citra genitorum, aliorumque culpam, absque Baptismo moriuntur; cum hæc duo conciliare non possint, coguntur dicere, ea Scripturæ verba, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, de adultis dicta esse; & hæc, *Christus pro omnibus mortuus est*, intelligi duntaxat debere de sufficientia, magnitudine, & virtute pretii sanguinis Christi: quæ interpretatio, præterquam quod Novatoribus non parum favere, & constantem Catholicorum doctrinam de Christi morte pro omnibus, ob generalem Dei salvandi universos voluntatem, infirmare videatur, admitti non potest propter rationes paulo ante adductas. Quibus accedat ratiocinium, quo usus est S. Augustinus contra Julian. l. 4. c. 8. Deus ex sua benevolentia vult salutem omnium adultorum, quamvis ex his aliqui sint peccatores & reprobi, ut superius dictum est. Ergo multo magis vult salutem omnium parvulorum, quamvis ex his aliqui sint absque Baptismo decessuri & damnandi. Alioquin benevolentior esset erga homines impiissimos, quam erga innocentissimos, & ab omni labe peccati actualis immunes: *Intolerabilior*, ait S. Doctor, *sequetur absurditas. Isto enim modo benevolentiorem facis Deum omnibus impiissimis, & sceleratissimis hominibus, quam innocentissimis & purissimis ab omni labe peccati.* Ne ergo ejusmodi absurdum admittatur, dicendum est universim, neminem omnino a generali illa omnes homines salvandi voluntate, & morte Christi pro omnibus exclusum esse, atque adeo omnibus, quod consequens est, etiam parvulis quacunque demum de causa absque Baptismo decessuris de salutis medio, quantum est ex parte Dei, sufficienter provisum.

Sed quomodo, *inquies*, sufficienter provisum est, si isthæc salutis media nulla humana industria infantibus procurari possint?

Resp. Deum media eorum statui apta & congrua, & ex se ad salutem sufficientia eatenus præparasse, ac de illis applicandis providisse, quatenus Baptismi Sacramentum pro illis æque ac pro omnibus aliis instituit, & præterea destinavit Ministros Baptismi, quorum opera hoc Sacramentum ipsis conferri posset: disposuit etiam causas naturales, quarum vi & efficacia fieret, ut in lucem ederentur; præceptum insuper genitoribus & aliis imposuit, ut in lucem editos baptizarent, aut baptizari curarent. Quod si ex incuria parentum, aut ministrorum culpa, aut defectu causarum naturalium inter se concurrentium, seque invicem impedientium, contingat, eos non baptizari, nihil aliud inde sequitur, quam quod Deus extraordinario aliquo providentiæ suæ modo illis non adsuerit, ut ejusmodi effectus impediret.

Respondetur ad Objecta.

III. OBjic. 1mo. Si Deus sincere vellet omnium parvulorum salutem, eisque sufficienter providisset de remedio Baptismi, deberet removere impedimenta obstantia, & efficere, ut Baptismus ipsis defacto applicari posset: qui enim vere & sincere vult finem, vult etiam, si potest, removere obstacula, quæ talis finis consecutionem impediunt. Atqui id non fit respectu illorum infantium, quibus sive in utero matris extinctis, sive in lucem editis, absque ulla parentum culpa, solo Deo nolente, remedium salutis applicari non potest: de quibus S. Augustinus L. de dono persev. c. 12. n. 31. *Plerumque*, ait, *festinantibus parentibus & paratis Ministris, ut Baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur.* Et Epist. 194.

194. alias 105. n. 32. *Quid dicam*, inquit S. Doctor *de inopinatis & repentinis innumerabilibus mortibus, quibus sæpe etiam religiosorum Christianorum præveniuntur & Baptismo præripiuntur infantes; cum e contrario sacrilegorum & inimicorum Christi, aliquo modo in Christianorum manus venientes, ex hac vita non sine Sacramento regenerationis emigrant?* Nulla hic occurrit culpa parentum, vel ministrorum; quia *festinantibus parentibus & paratis ministris*, non datur infanti Baptismus: & *sæpe etiam religiosorum Christianorum* infantibus denegatur. Ergo.

Resp. Dist. maj. Si Deus sincere vellet omnium parvulorum salutem, voluntate absoluta & consequente, attentisque omnibus circumstantiis; deberet removere impedimenta obstantia &c. *Conc. maj.* Si Deus velit omnium salutem sincere quidem, sed voluntate solum antecedente, conditionata, & respiciente eorum salutem præcisam a circumstantiis, *Neg. maj.* Ad hoc, ut Deus ex sincera salvandi omnes voluntate censeatur sufficienter omnibus providisse de remedio salutis, satis est, quod omnes salvos velit voluntate antecedente, quæ conditionata est, & aliquid supponit ex parte hominis, liberam videlicet ipsius, si adultus fuerit, gratiæ cooperationem; vel, si infans, diligentiam parentum, aut certas quasdam causarum secundarum circumstantias & dispositiones, quæ lege quadam naturæ mortem infanti prius non inferant, quam possit ipsi per Baptismum subveniri. Ad hanc autem voluntatem antecedentem salutis non pertinet removere impedimenta obstantia; quia Deus ut Provisor generalis imperturbare non tenetur eam, quam semel sapientissime constituit, causarum secundarum dispositionem. Cum ergo conditio requisita ex parte hominis & causarum secundarum defuerit, Deus voluntate duntaxat consequente, nimirum vel parentum negligentiam, vel eum causarum secundarum cursum, qui mortem infantis exigit, non vult illum per Baptismum salutem obtinere;

tametsi voluntate generali & antecedente salvum velit, eique de salutis remedio sufficienter providerit. Neque enim infans sic decedens minus salvus esse potest, imo multo magis, quam peccator adultus, qui impœnitens in amentiam incidit. An vero quia Sacramentum Pœnitentiæ in illo statu recipere non potest, dicemus Deum ipsi non præparasse tale remedium, aut de eo applicando sufficienter non providisse, nec propterea serio ac sincere illius salutem voluisse.

Et sane quantum ad præparationem & institutionem mediorum salutis, infantes illos, qui *sive editi in lucem*, ut ait Vasquez, *cum aqua non conceditur*, *sive in utero materno vi sola naturæ morientes*, a generali Dei voluntate salvandi omnes, ne illi quidem Theologi excludunt, qui contrariam sententiam tuentur: ea namque media pro omnibus parata esse, & hoc sensu Deum omnes velle salvos fieri, ac Christum pro omnibus mortuum esse, iidem declarant ac profitentur; inprimis mox nominatus Vasquez, quem Adversarii continuo nobis objiciunt, in 1. p. S. Th. Disp. 96. c. 3. cujus hæc sunt verba: *Cæterum*, inquit, *tribus de causis dicere possumus, Christum pro omnibus parvulis mortuum esse, . . . primo, quia communis erat causa parvulorum & omnium hominum, ob quam venerat, & pro qua oravit . . . Secundo, quia juste & pie credimus, Christum non expresse denegasse ullis parvulis meritum suum, & a fructu suæ Passionis apud Patrem eos exclusisse . . . Tertio, quia non minus pie affirmare possumus, Christum . . . omnibus parvulis . . . salutem desiderasse . . . atque ita pro omnibus orasse, ut salutem consequerentur, sicut pro se, ut liberaretur a morte; sed cum ea conditione, quam orationi pro se factæ adjecit: Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Ex quibus verbis colligitur, eám fuisse Vasquezio mentem, Christum omnibus parvulis, nemine excepto, desiderasse seu voluisse salutem, voluntate antecedente & conditionata, omnibus præparasse remedium salutis assequendæ ido-

idoneum; tametsi illud omnibus non applicetur, defectu videlicet conditionis requisitæ, vel ex parte parentum, qui curam, quam deberent, non adhibent, vel ex parte causarum secundarum, quæ mortem infantis exigunt, & quarum cursum Deus impedire non tenetur. Ergo antecedenter ad illam causarum secundarum dispositionem, infantium salutem Deus voluit, & remedium salutis pro illis præparavit, licet consequenter velit eos mori sine Baptismo; quod satis est, ut Deus illorum infantium salutem serio ac sincere velle dicatur. Ita sane Vasquezium ad communiorem aliorum Theologorum sententiam adducere nonnulli conantur.

IV. *Objic. 2do.* Non casu, sed divina ordinatione causæ secundæ concurrunt, ne infantibus illis, de quibus hic agimus, Baptismus applicetur. Ergo cum Deus eum naturæ cursum instituit, in quo prævidit futurum, ut infans prius moriatur, quam ulla humana industria possit ipsi Baptismus conferri, de salutis remedio illi nequaquam sufficienter providisse videtur.

Resp. Id non casu fieri, sed Deo ordinante, non tamen tanquam causa particulari, nec eo fine, ut infans absque Baptismo decedat; sed tanquam causa generali, exequente in tempore, quod ab æterno decrevit, nimirum in pœnam peccati originalis dimittere causas secundas naturæ suæ defectibili; nec impedire incommoda, quæ inde sequuntur, puta morbos, immaturam mortem, & alia ejusmodi; quæ ubi contingunt, agnoscenda sunt Dei judicia, ut monet S. Augustinus lib. citato de dono persev. c. 12. Et eatenus verum est, quod ibidem scribit, ideo infantem sine Baptismo hinc abire; quia Deus non vult, ut detur, voluntate scilicet consequente, & in concursu causarum secundarum, in quo mors infantis naturaliter & sine miraculo, quod utique patrare Deus non tenetur, vitari non posset.

V. *Objic. 3tio* : Si Deus in pœnam peccati originalis dimittit caufas fecundas naturæ fuæ defectibili, neque impedit incommoda, quæ inde fequuntur, ut morbos, immaturam mortem, aliaque ejusmodi, quæ obftant, quo minus infantibus absque omni parentum culpa regenerationis Sacramentum miniftretur; quid vetat dicere, in ejusdem peccati originalis pœnam hanc ipfam Baptifmi gratiam infantibus illis denegari: proinde prævaricationem primi hominis, quemadmodum morborum, immaturæ mortis &c. ita non applicationis Baptifmatis caufam effe? Quo pofito, iis qui rapiuntur ante Baptifmum, de falutis remedio fufficienter provifum non eft in pœnam peccati, quod originaliter traxerunt.

Resp. Ex iis, quæ in affertionis noftræ probationem attulimus, fufficienter probari, Deum omnes homines, proinde etiam parvulos, falvos fieri velle, non tantum antecedenter, fed etiam confequenter ad contractum peccatum originale; atque adeo omnibus, nemine omnino excepto, providiffe de remedio fufficiente ad falutem per Baptifmum obtinendo: quatenus nempe non folum pro omnibus Sacramentum iftud regenerationis inftituit, juxta illud Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* verum etiam de aliis remediis remote fufficientibus profpexit; quo nomine comprehenduntur omnia illa, quæ in aliena voluntate ordinantur ad Baptifmum parvulorum, ut funt gratiæ datæ parentibus, ut pro falute filiorum orent, & faciendo quod in fe eft ipfis proximum falutis remedium, ipfam nempe Baptifmi applicationem impetrent; tum Viris Apoftolicis, ut in omnes terras excurrant, omnibusque remedium peccati originalis annuntient, & parvulis applicent; tum animarum curatoribus, ut omnem induftriam adhibeant, ne facramentalis ablutio in parvulis negligatur; tum aliis fidelibus, ut pro falute omnium, adeoque etiam parvulorum

rum orent. Quod ſi his omnibus non obſtantibus, in eo rerum curſu ac fatali diſpoſitione infantem conſtitui contingat, in qua neceſſe ſit illum ſine Baptiſmo ex hac vita eripi, nihil inde aliud ſequitur, niſi Deum, ut ſupra dicebamus, extraordinario providentiæ ſuæ modo illi non adſuiſſe, ut eum naturæ ordinem, quem tanquam Proviſor rerum omnium generalis ab æterno conſtituit, impediret. Sed de hoc argumento forſan uberius alibi, ubi nempe de divinis Attributis, & voluntate Dei ſalvandi omnes ſermo recurret. Nunc vero cum præſenti capiti, tum univerſæ, quam de gratia auxiliante inſtituimus, tractationi finem imponat D. Proſperi Carmen:

Omnibus in rebus geminum eſt opus Omnipotentis
Totum juſtitia eſt quod gerit, aut pietas:
Quæ ſimul in terris deſcendunt lucis ab arce,
Ne cuipiam parti deſit utrumque bonum.
Et quoniam cuncti auxilio miſerantis egemus,
Præcedit ſemper gratia juſtitiam.



PARS

PARS SECUNDA
DE
GRATIA HABITUALI.

CUm ad gratiam illam, per quam justi & Sancti efficimur, sive acquirendam sive conservandam, omnes omnino actuales gratiæ unice ordinentur; recte sequitur, ut excussis quæstionibus, quæ ad doctrinam de auxiliis pertinent, de habituali & sanctificante gratia non minore diligentia & cura differamus. Est hæc gratiæ species perfectissima, per quam homo unus fit cum Deo spiritus, dicente Apostolo 1. ad Cor. 6. v. 17. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Hæc est proprie gratia gratum faciens hominem Deo, quia eum facit filium Dei, fratrem Christi, membrum vivum corporis ejus, habitaculum Spiritus Sancti, abstergentis peccatorum maculas, & diligentibus Deum æternæ vitæ pignus & arrham largientis. Porro cum omnis, quæ de sanctificante gratia a Theologis tradi solet, doctrina, ad duo potissimum capita reduci possit; videlicet ad justificationem, tanquam præcipuum gratiæ istius effectum, & ad ejus fœcunditatem in bonis operibus, operumque meritis; duplex pariter Dissertatio alteram hanc Tractatus partem absolvet; quarum prior de Justificatione peccatoris, posterior de justi bonis operibus & merito futura est: utraque quæstiones præcipuas, quæ seu ad fidei dogmata, seu ad Scholæ placita pertinent, comprehendet.

DIS-

DISSERTATIO PRIMA

DE

JUSTIFICATIONE PECCATORIS.

SAcrosancta Tridentina Synodus de Justificatione loquens, ejusque diversas causas enumerans Sess. 6. c. 7. ait: *Demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua justos nos facit: qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem. Quanquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita Passionis Domini nostri JESU Christi communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ Passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis adhæret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Quæ verba compendio exprimunt totam doctrinam Catholicam, quam in hac Dissertatione stabilire elaborabimus adversus temporum nostrorum Novatores. Ostendendum itaque imprimis erit, quæ sit justificationis natura, quidve Deus per eam in cordibus eorum, qui justificantur, efficiat. Deinde, quænam ex parte hominis, ut justificetur, necessariæ sint dispositiones.

SECTIO I.

DE

NATURA, PROPRIETATIBUS, & EFFECTIBUS JUSTIFICATIONIS.

CAPUT I.

Quid ſit gratia juſtificans, quam Scholæ habitualem *recte appellant?*

I. INtima rei cujusque natura nonniſi ex proprietatibus, & effectibus, qui in ea deprehenduntur, ſeſe nobis manifeſtat. His in gratia habituali ſpectatis, genuina ejusdem notio ac definitio eruitur in hunc modum: Gratia habitualis eſt *ſupernaturale Dei donum intrinſecus inhærens per modum habitus, quo homo* formaliter *redditur juſtus, ſanctus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, & hæres vitæ æternæ:* quæ ſingula expoſitione prævia opus habent, ut quæcunque deinceps de gratia habituali dicturi ſumus, facilius intelligantur. Itaque

II. *Primo* dicitur, *Dei donum intrinſecus inhærens*, quibus verbis refellitur capitalis circa Juſtificationem Novatorum error, aſſerentium, gratiam ſanctificantem extrinſecum eſſe dumtaxat Dei favorem, quo peccata hominibus condonantur, & imputatur illis juſtitia, ſeu merita Chriſti: cum econtra Catholici omnes propugnent, dari juſtitiam inhærentem, quæ ſit Juſtificationis noſtræ *formalis cauſa*, ut ait ſupra laudata Tridentina Synodus, & a nobis paulo infra fuſius declarabitur.

III. *Secundo* dicitur, *per modum habitus*, quo ſignificatur, gratiam ſanctificantem eſſe diſtinctum quid ab actu fluen-

fluente ac transitorio, & permanenter inhærere, atque adeo vere esse, ac dici debere habitualem. Quod quamvis a nemine Catholicorum in dubium nunc amplius vocetur, non omnes tamen perinde affirmant, id ad fidei dogma pertinere. Dominicus Soto L. 2. de Nat. & Gr. c. 17. & Bartholomæus Medina 12. q. 100. art. 2. tradunt, hoc unum a Tridentina Synodo definitum esse, quod justificatio non in sola remissione, & extrinseca non imputatione peccatorum constituenda sit, sed in interna renovatione; quæ num fiat per habitum inhærentem, num per actualem motionem, nequaquam constare. Et licet Vega in supra citatum Tridentini locum afferat, spectare ad fidem, quod justificatio fiat per *habitualem*, non per solam actualem gratiam, negant tamen alii cum Estio in Dist. 26. l. 2. esse id a Synodo definitum, cum potius a vocabulo *habitus* consulto Patres Tridentini abstinuerint, ut rem expresse non definirent. Verum quamvis id expresse definitum non sit, ut fide divina credendum; negari tamen sine ingenti temeritate non potest, ut ipse fatetur Estius loco cit. Melchior Canus L. 7. de locis Theol. c. 2. & alii: ideoque firmissime teneri debet, justificationem fieri per gratiam non solum interius inspiratam, sed permanentem, & *habitualem*, ut nos pariter infra ostendemus.

Jam vero utut certum nobis ac indubitatum sit, eam gratiam, per quam justificamur, esse donum Dei intrinsecus permanenter inhærens per modum *habitus;* in quo tamen *habitus* istius natura sit posita, & quid per illum reipsa intelligi debeat, non æque compertum est.

Theologorum complures, qui Peripateticam philosophandi rationem sectati adhuc, eandem etiam ad Theologiæ scholasticæ placita traduxerunt, per gratiam *habitualem* intelligunt *formam* quandam creatam ex genere accidentium, seu

qualitatum spiritualium, quæ *entitatem* habeat a substantia, seu anima *realiter* distinctam, eique superadditam.

Verum cum qualitates ejusmodi, aut *entitates* accidentales, sive eæ spirituales, sive materiales sint, saniori Philosophiæ repugnent; neque *entium*, ut vocant, *diminutorum*, quæ propriam *entitatem* habeant, nec tamen ad prædicamentum substantiæ pertineant, ullam omnino ideam habeamus; nihilque sit, quod eorum in hac rerum natura existentiam evincat: propterea gratiam sanctificantem, nos quidem qualitatem appellamus, quam etiam *habitum* recte dicimus; sed qui a substantia spirituali, sive anima quoad *entitatem* suam reipsa distinctus non sit, sed potius ejusdem animæ habitudo quædam, mutabilis quidem, & capax incrementi, at ab ipso Spiritu Sancto inhabitante producta, & ejus quasi signaculo impressa Divinitatis imago, renovatio spiritus, & pulchritudo justitiæ; per quam Deo chari, & Dei amici vere nominamur, & sumus. Ita nempe ipsæ sacræ Litteræ justificantem gratiam signaculo cuidam æquiparant, atque illud a Spiritu Sancto effici docent, scribente Paulo ad Ephesios 1. 13. *Signati estis Spiritu promissionis Sancto*, quæ verba de Justificatione accipi a Tridentino, constat ex ejusdem Sessione VI. c. 7. ubi sic habetur: *Misericors Deus, qui gratuito abluit & sanctificat, signans & ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Patres quoque ad hunc plane modum loquuntur: Athanasius in Epist. ad Serapionem: *Spiritus sigillum est, quo signati divinæ naturæ participes efficimur.* Cyrillus in 7. cum Hermia Dialogo: *Hoc igitur, quod divinam nobis imaginem insculpit, & instar sigilli præstantiorem mundo pulchritudinem ingenerat, nonne Spiritus est?* Hieronymus in caput IV. Epist. ad Ephes. *Signati sumus Spiritu Dei Sancto, ut & spiritus noster, & anima imprimantur signaculo Dei, & illam recipiamus imaginem & similitu-*

situdinem, ad quam in exordio conditi sumus. Hoc signaculum Sancti Spiritus, juxta eloquium Salvatoris, Deo imprimente signatur. Igitur non rationi modo, sed & Scripturarum Sanctarum, ac Patrum doctrinæ accomodatius videtur dicere, habitualem gratiam esse habitudinem animæ, ipsi a Spiritu Sancto inhabitante, tanquam sigillo quodam impressam; seu animam ipsam tali habitudine affectam, & quasi materies signata impressione sigilli, signaculo Sancti Spiritus condecoratam.

Nec obstat, quod Dominicus Soto in Lib. 4. Sent. Dist. 1. q. 3. art. 1. afferat, tanquam rem certam a Concil Trid. definitum fuisse, gratiam, & qualitates infundi. Per *qualitatem* namque haud dubie intelligit tantum aliquid internum, distinctum ab actu fluente, & transitorio, quod quidem, recepto usu, *qualitas* & *habitus* nuncupatur; quanquam ab hac appellatione abstinere consulto voluerit Synodus, ne quæstioni in Scholis Philosophicis tunc temporis controversæ præjudicium aliquod afferret. Propterea mox laudatus Soto eodem citat. loco sic habet: *Qui intelligere cupit, quomodo Sacramenta gratiam conferant, id primum constituat oportet, fingendo nullam ejusmodi qualitatem esse necessariam: nam profecto Patres nunquam de illa disputare cogitarunt.* Et quis credat Viros illos sapientissimos exagitare ac dirimere voluisse quæstionem Philosophicam, prorsus inutilem in materia, de qua agebatur. Proscribendum duntaxat eo loco susceperant Novatorum errorem, quo justificatio reponebatur in externo Dei favore; & statuendum dogma catholicum, nempe justificationem fieri per interiorem spiritus immutationem, ac renovationem: hanc vero quis non clarius intelligat perfici per impressionem Spiritus Sancti inhabitantis, quam per commentitiam quamdam, nullique cognitam *entitatem*.

IV. *Tertio* dicitur gratia habitualis *donum Dei, quo homo formaliter redditur justus.* Præcipuus nempe gratiæ

istius effectus est, hominem peccatorem justificare, ut ex injusto fiat justus. Ut autem genuina justificationis notio, ac significatio ex mente Catholicorum recte intelligatur, advertendum est, vocis hujus *justificatio*, seu *justificare*, diversam in ipsis etiam Sacris Literis esse acceptionem. Etenim 1*mo* accipitur pro justitiæ declaratione, quo sensu ait Esaias 5. 23. *Qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.* 2*do*: Pro Divina Lege, qua proponuntur justitiæ præcepta, ut Psal. 118. 5. *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.* 3*tio*: Pro interna animi rectitudine ac sanctitate, ut ad Rom. 4. 5. *Credenti eum, qui justificat impium.* Quo sensu accipitur justificatio a Catholicis, ita, ut justificari idem sit, ac fieri justum per inhærentem justitiam ac sanctitatem, tanquam unicam *formalem* causam justificationis nostræ. *Unica* quippe *formalis causa*, inquit Trident. Synodus supra citata Sess. 6. c. 7. *est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur & sumus.* Quibus verbis, ut infra videbimus, configitur Sectariorum error, qui nullam propriam veramque justitiam animæ inhærentem, & eidem a Spiritu Sancto impressam admittunt; sed *forensem* tantum, id est, sitam in sola supremi Judicis declaratione, sive in remissione peccati per solam imputationem justitiæ Christi: quemadmodum vulgari apud homines sermone, justificare idem est, ac declarare, vel pronuntiare aliquem esse justum.

Quapropter insulse nugantur Hæretici quidam circa vocabulum *justificationis*, ejus naturam & significationem a Grammaticis quærentes; quod nempe hæc dictio apud Latinos Scriptores nuspiam reperiatur. Nam si etiam reperiretur, nobis profecto ratio habenda non foret significationis Grammaticalis, sed Theologicæ: neque mirum videri deberet,

quod

quod nostro sensu usurpata non fuerit ab illis, qui Dei gratiam, qua vere ac proprie justi efficimur, penitus ignorarunt. Qui vero eam per fidei lumen agnoverunt, Sancti cumprimis Ecclesiæ Patres, non alio sensu justificationem, quam quo nunc a Catholicis accipitur, usurparunt. Audiamus S. Augustinum Lib. de Spir. & lit. c. 26. *Quid est*, inquit, *aliud justificari, quam justi facti, ab illo scilicet, qui justificat impium, ut ex impio fiat justus ? .... Cum vero dictum est:* Factores legis justificabuntur, *quid aliud dictum est, quam justi justificabuntur ? Factores enim legis utique justi sunt. Ac per hoc tantundem est, ac si diceretur ... justi habebuntur, justi deputabuntur ; sicut dictum est de quodam* (Luc. 10. v. 29.) Ille autem volens se justificare : *id est, ut justus haberetur, aut deputaretur.* Igitur ex mente S. Doctoris, aliud est justificari ita, ut quis solum justus habeatur, ac deputetur ; & aliud justificari, ut quis re ipsa justus efficiatur. Priore modo justificant homines, cum nempe declarant, vel pronuntiant quempiam esse justum ; quia homines declarando, vel pronuntiando non faciunt justum, sed justum supponunt. Posteriore autem illo modo justificat solus Deus : quia nullus est vere justus, nisi justitiam a Deo habeat. Unde omnis ille, quem Deus justum declarat, revera est justus, & non ab alio est justus, quam a Deo, qui solus justos efficit ; ac proinde Deus vere facit justum, quem justum esse declarat.

V. Atque ex his, quæ dicta sunt hactenus, facile erit intelligere cætera superius allatæ definitionis membra, quibus dicitur, gratiam justificantem hominem reddere *sanctum, Deo gratum, filium Dei adoptivum, & hæredem vitæ æternæ.*

Sanctum nempe efficit : quia sanctitas est immunitas ab omni peccati labe ; hanc autem gratia justificans abstergit penitus, & ut Augustinus loquitur L. 1. contra duas Epist. Pelag. c. 12. *Omnium indulgentiam peccatorum confert*, juxta illud

lud Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Reddit præterea hominem Deo gratum, & dilectum. *Dominus* enim *diligit justos.* Psal. 145. Et Sap. 4. *Placita erat Deo anima illius.* Unde S. Hieronymus in cap. 10. Daniel. ad illa verba, *Vir desideriorum*, scribit, in alia versione haberi, *Virum desiderabilem*, eo quod *omnis Sanctus habens in se animæ pulchritudinem, amabilis & desiderabilis Domino efficitur.*

Efficit filium Dei adoptivum: quia Christo filio Dei naturali conjungit, tanquam capiti membrum eodem vivens spiritu. *Videte*, inquit dilectus Discipulus Epist. 1. c. 3. *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus.* Et Apostolus ad Rom. 8. gratiam Christi vocat *spiritum adoptionis.* Unde S. Thomas q. 114. art. 4. dicit, per eandem gratiam hominem Divinæ naturæ consortem fieri, ac in filium Dei adoptari. Ex qua adoptione, ut ibidem asserit Doctor Angelicus, sequitur jus ad vitam æternam, idque titulo hæreditatis.

Gratia itaque sanctificans constituit denique hominem hæredem vitæ æternæ. Nam *si filii*, inquit Apostolus ad Rom. 8. *& hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, hoc est, ejusdem *gloriæ cum Christo participes.* Liceat ergo, hominem gratia sanctificante a peccato mundatum compellare verbis S. Leonis Serm. 1. de Nativ. *Agnosce, O Christiane, dignitatem tuam, & Divinæ consors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis, & corporis sis membrum.*

VI. Quæres. *Utrum Gratia habitualis differat a charitate?*

Certum est, charitatem a gratia habituali nunquam esse disjunctam; proindeque illum, qui gratiam habitualem recipit, etiam charitatis habitum sibi infusum recipere. Sed controversia

troversum est, an gratia & charitas sint quid unum, an vero illarum habitus re ipsa inter se sint distincti?

Posterius affirmant complures Theologi cum Schola Thomistarum, in eam opinionem his fere argumentis adducti. 1mo. Quia Apostolus in 2. ad Cor. 13. ait: *Gratia Domini nostri JESU Christi, & charitas Dei &c.* Tridentinum vero Sess. 6. Can. 11. habet hæc verba: *Exclusa gratia, & charitate.* Particula *Et* distinctionem exprimere videtur; quæ enim sumuntur conjunctim, distinguuntur realiter. 2do. Quoniam ex Augustino Lib. de Grat. Chr. c. 26. gratia prævenit charitatem. Et c. 30. per gratiam, qua justificamur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris. 3tio. Quia principium, ut ajunt, *essendi*, distinguitur realiter a principio *operandi*: gratia autem est principium *essendi* supernaturaliter, & charitas principium *operandi* supernaturaliter. 4to. Quia effectus *formales* gratiæ & charitatis separari possunt: illa namque nos Deo gratos & dilectos efficit; hæc vero facit, ut nos Deum diligamus. Atqui fieri potest, ut quis Deo gratus sit, nec tamen Deum diligat. Igitur habitualis gratia est quid distinctum a charitate.

VII. Verum argumenta ejusmodi nos non movent, quo minus cum Bellarmino L. 1. *de grat. & lib. arb.* pluribusque aliis, contrariam sententiam tanquam probabiliorem amplectamur; qua nempe asseritur, gratiam & charitatem unum eundemque esse habitum, nec ab invicem nisi ratione, & secundum diversa, quæ præstant, officia distingui.

Suadet id *Primo* authoritas Scripturarum, quæ easdem charitati & gratiæ tribuunt proprietates. Nam gratia, ut dictum supra, nos filios Dei efficit: idem de charitate affirmat S. Joan. Epist. 1. c. 7. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* Gratia nos Deo gratos & acceptos reddit: id efficit & charitas, juxta illud Joan. 14. v. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Gratia vi-

tam ſpiritualem nobis confert: at de charitate quoque dicitur: 1. Joan. 3. v. 14. *Scimus, quoniam translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Gratia nos Deo intime conjungit: id quoque præſtat charitas. 1. Joan. 4. v. 6. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Denique gratia eſt radix omnium bonorum operum, ſemen vitæ æternæ, ac ſalutis noſtræ cauſa: at de charitate id ipſum dicitur Jacobi 1. v. 12. *Coronam vitæ repromiſit Deus diligentibus ſe.* Et Apoſtolus in 1. ad Corinth. c. 13. omnium fere virtutum actus charitati adſcribit. Igitur charitas ea omnia præſtat, quæ gratiæ ſanctificanti Scripturæ attribuunt. Ergo habitus realiter diſtinguendi non ſunt, quorum iidem ſunt effectus.

Secundò, apertiſſima hæc eſſe videtur D. Auguſtini ſententia, qui Lib. de nat. & gr. cap. ult. ſic loquitur: *Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt: charitas provecta, provecta juſtitia eſt: charitas magna, magna juſtitia eſt: charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt.* Cui accedit S. Bernardus Lib. de modo bene vivendi c. 4. *Timor ſanctus introducit in mentem hominis perfectam charitatem, perfecta autem charitas perfecta eſt ſanctitas.*

Tertio, Concilium Trid. Seſſ. 6. c. 7. quamvis ſuper hac quæſtione, cum ad fidem minime pertineat, nihil definire voluerit, ſatis tamen aperte indicavit, cui ſententiæ magis faveret. Poſtquam enim dixit, unicam formalem cauſam noſtræ juſtificationis eſſe juſtitiam Dei, *non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit*; explicans poſtea, quænam ſit illa juſtitia, ſubjungit, impium juſtum fieri, dum paſſionis Chriſti merito *per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret.* Ubi nullius alterius gratiæ juſtificantis, præterquam charitatis, mentionem facit; neque aliam, præter charitatem, *formalem cauſam* juſtificationis aſſignat: cum tamen, ut animadvertit Eſtius, cau-

fas

ſas omnes ſingillatim exponat, & præcipue de *formali* pertractet adverſus Hæreticos, qui negabant inhærentem gratiam.

VIII. Ad argumenta autem oppoſitæ ſententiæ facilis eſt reſponſio. Nam 1*mo*. particula conjunctiva *Et* non eſt ſemper ſignum diſtinctionis realis inter ea, quæ conjungit: ſæpe enim vel nullam diſcriminis rationem importat, vel ſolam diſtinctionem connotatorum. Eadem quippe gratia, quæ dicitur juſtitia, quatenus exornat animam, appellatur charitas, in quantum eam reddit Deo charam. Perperam ergo ex Tridentina Synodo, aut ex Apoſtolo opponitur particula *Et*. Synodus certe *formalem* cauſam juſtificationis, ideoque gratiam habitualem, videtur locaſſe, ut paulo ante diximus, in ipſa charitate, quæ *diffunditur in cordibus eorum*, *qui juſtificantur*. In illo autem Apoſtoli loco gratia ſumitur, interprete Eſtio, pro beneficentia Chriſti Redemptoris; ut nempe denotetur Chriſtus Dominus Auctor gratiæ, ſicut Pater, & Spiritus Sanctus. Deinde verbis illis: *Gratia & charitas Dei*, additur, *& communicatio Spiritus Sancti*. Neminem autem putem ex particula *Et* probaturum, quod gratia & charitas non ſit communicatio Spiritus Sancti. Sicut in verbis illis ejusdem Apoſtoli Epiſt. 2. ad Corinth. c. 13. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri JESU Chriſti*, *Pater miſericordiarum*, *& Deus totius conſolationis*, ex particula *Et* perperam inferretur, quod Deus non ſit Pater Domini noſtri JESU Chriſti, quod Pater miſericordiarum non ſit Deus totius conſolationis.

2*do*. Auguſtinus cum ait, quod gratia præveniat charitatem, intelligit gratiam actualem, ſine qua nemo poteſt diligere Deum. Cum vero dicit, per gratiam, qua juſtificamur, charitatem diffundi in cordibus noſtris; duplex dicti hujus ſenſus eſſe poteſt: 1*mo*, quod per gratiam juſtificantem diffundatur charitas actualis; cum enim juſtificans gratia ſit charitas habitualis, eo ipſo quo datur, cenſetur actualis charitas, ſeu Divinus amor in ſua radice diffundi. 2*do*, quod charitas

ritas diffundatur in cordibus nostris, non per gratiam, qua justificamur *formaliter*; sed per gratiam, qua justificamur *dispositive*, id est, per gratiam actualem: quatenus enim motio divinæ gratiæ nos ad justificationem præparat ac disponit, nos pariter disponit ad infusionem gratiæ habitualis recipiendam.

3tio: Potentiæ non distinguuntur realiter ab anima; ergo nec voluntas. Igitur nec principium *operandi* realiter distinctum est a principio *essendi*; præsertim si principium *essendi* sit accidentale, quale principium est gratia, sicut & charitas est principium *operandi* accidentale. Potest igitur unus idemque habitus, virtute duntaxat distinctus, esse principium *essendi* & *operandi* accidentale.

4to: Falso asseritur, effectus *formales* gratiæ sanctificantis, & charitatis separari posse. Neque enim effectus *formalis* charitatis est, ut diligamus Deum, sed ut propensi & inclinati simus ad diligendum Deum. Per quod autem quis Deo gratus est, per hoc ipsum propendet & inclinatur ad diligendum Deum. Hic ergo tam gratiæ, quam charitatis est effectus *formalis*; actualis autem Dei dilectio est utriusque effectus, ut vocant, *effectivus*.

Cæteras ejusdem generis ratiunculas hic uberius examinare non vacat. Ad longe graviora properantibus: ad salutem namque fidelium nihil interest scire, an gratia sanctificans & charitas realiter distinguantur, modo noverint, dona illa simul in justificatione conferri.

CAPUT II.

In quo proprie, & in sensu Catholico, sita sit hominis justificatio?

I. TEmporum nostrorum hæretici novam adeo atque perplexam de hominis justificatione doctrinam induxere, ut me-

merita omnia, & bona opera sustulerint. Lutherus specie repurgandæ religionis Christianæ ab erroribus, & superbiæ nostræ edomandæ, illud veluti instaurationis suæ fundamentum constituit: nullam in nobis esse justitiam, nisi solam peccatorum remissionem, & justitiam Christi, quæ nobis imputatur; nullum proinde esse in nobis meritum, nullum opus adeo sanctum, quod peccati labe non sit infectum. Hac ratione, dum Ecclesiam a fermento Pharisæorum expurgari stolide credulis persuasit, omne pietatis studium, bonaque opera sustulit. Quis enim serio pietati operam dabit, qui nullam in nobis justitiam esse persuasus, sola Christi justitia & meritis se tutum fore in animum induxerit. Hanc Lutheri doctrinam secuti sunt, quotquot se Reformatos vocant; quin nova insuper dogmata, & ad stuporem insana commenti sunt, quæ satis foret proferre, ut refellantur. Duos autem præcipuos novimus circa justificationem ipsorum errores.

II. Primus est, quo docent, in justificatione impii peccata non vere deleri, sed occultari; non eradicari, sed radi; non tolli, sed tegi duntaxat per justitiam Christi nobis imputatam: ut proinde peccata eo solum sensu remitti dicantur, quod imputatione justitiæ Christi non censeantur ad pœnam; ac, veluti Jacob hœdina pelle contectus, peccator iniquus permanens, & indutus veste Agni, qui tollit peccata mundi, divinam benedictionem, æternamque hæreditatem accipiat. Hinc Calvinus L. 4. Instit. cap. 15. aperte negat, per Baptismum solvi nos a peccato originali. Idem docuerat Lutherus, ut constat ex art. 2. ex damnatis a Leone X.

Unde consequitur alter ipsorum error, quo videlicet, eo ipso, quod peccata in justificatione non deleantur, sed solum tegantur, consequenter docent, hominem justificari per extrinsecum Dei favorem, condonantis peccata, seu ea non imputantis, propter justitiam Christi fide apprehensam, sine ulla interiori gratia, aut charitate per Spiritum

tum Sanctum in cordibus nostris diffusa. Dixi, propter justitiam Christi *fide apprehensam.* Requirunt namque in peccatore, ut justificetur, fidem promissionum, qua credimus veras esse promissiones a Deo factas de peccatis propter merita Christi remittendis. Hanc autem promissionum fidem distinguunt in generalem, & specialem. Generalis est, qua generatim creditur, promissam esse credentibus in Christum peccatorum remissionem. Specialis vero, qua unusquisque promissionem hanc sibi applicat, firmiter credendo, sibi peccata propter Christum non imputari; atque ita quasi manu apprehendens justitiam Christi, eaque veluti indutus, coram Deo justificatus appareat: unde hanc fidem justificantem nominant. Ita præ cæteris docet Calvinus l. 3. Instit. c. 11. dicens: *Justificabitur ille fide, quia operum justitia exutus, Christi justitiam per fidem apprehendit; qua vestitus in conspectu Dei, non ut peccator, sed tanquam justus apparet.* Quam doctrinam adoptarunt Calvinistæ Galliæ art. 20. suæ Confessionis fidei, sicut & Germaniæ, ut constat ex Catechismo Palatinatus, approbato in Pseudo-Synodo Dordrechtana. Observat tamen Martinus Becanus Lib. 1. *de Justif.* Calvinum in Lib. *de vera rat. Reform. Eccles.* expresse meminisse inhærentis justitiæ; ideoque pugnantia docere, & quasi jugulare seipsum. Quemadmodum nonnulli ex recentioribus ipsius discipulis asserunt, *se falso accusari, quasi omnem inhærentem justitiam fidelibus negarent*, ut videre est in Thesibus Sedanensibus; ubi publica exhibetur Reformatorum in Polonia Confessio Sect. 2. n. 7.

Verum, ne ulla Novatoribus injuria inferatur, advertendum est, duplicem quidem illos distinguere, & admittere justitiam: unam internam, sitam in virtutum habitibus animæ inhærentibus; alteram vero externam, positam in remissione peccati per solam imputationem justitiæ Christi: sed huic uni, non vero etiam illi vim justificandi ab iis

tri-

tribui. Hinc Petrus Martyr de Locis comm. Claſſ. 3. c. 3. inquit: *Exponitur deinde, quod duplicem juſtitiam habere dicamur: unam a Deo nobis imputatam, qua revera juſtificamur, & eam ex operibus minime obtinemus, verum fide apprehendimus; altera vero juſtitia eſt, quæ nobis inhæret, conſtatque fide, ſpe, charitate, omnibusque bonis operibus.* Quamvis ergo virtutum habitus animæ inhærentes non denegent Novatores iſti, negant tamen eos ad veram juſtitiam ſpectare, & nolunt hanc per formam inhærentem conſtitui, atque nihil aliud eſſe contendunt, quam extrinſecam, & quaſi forenſem, aut judicialem condonationem. Contra quos ex fide Catholica ſit

ASSERTIO PRIMA.

In Juſtificatione impii vera ſit peccatorum remiſſio.

III. VEritatem hanc expreſſe docet Scriptura pluribus in locis, quibus Deus dicitur, peccata delere, auferre, abluere, exhaurire, &c. ut Pſal. 50. v. 3. &c. *Dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.* V. 9. *Aſperges me hyſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* V. 11. *Omnes iniquitates meas dele.* Oſeæ 14. v. 3. *Omnem aufer iniquitatem.* Ezech. 36. 25. *Mundamini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Paulus item 1. ad Cor. 6. v. 11. poſt gravia delicta recenſita, ait: *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, &c.* Et ad Hebr. c. 9. *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.*

Nec valet cum Sectariis dicere, Scripturam ita loqui, quia juſtificatis peccata non imputantur ad pœnam. Nam præfata verba non ſolum non imputationem, aut occulta-

tio-

tionem, sed veram peccatorum ablationem, & totalem maculæ purgationem exprimunt. Inepte enim ille diceretur ablutus, & mundatus, qui sordibus adhuc inquinatus esset, licet eæ veste aut pallio alterius ipsi applicato tegerentur. Incongrue etiam Æthiopem dealbatum ut nivem diceremus, si solum nigredinem suam sub veste candida occultaret. Denique insulse, & improprie peccata tolli, deleri, exhauriri dicuntur; si tegerentur, ac raderentur duntaxat, ut capilli capitis, & rursus repullularent.

Præterea, nisi affirmemus justificatis vere remitti peccata, consequuntur gravissima absurda eisdem sacris literis adversantia. Sequitur 1*mo*, homines non fuisse per Christum a servitute peccati liberatos; nec Christum esse agnum, qui tollit peccata mundi, si solum ea tegit, non aufert. 2*do*: Plus valuisse peccatum Adæ ad nos inficiendos, quam Christi Sanguinem ad emundandos; si, dum Adæ peccatum omnes vere maculavit, Christi sanguis hanc maculam detergere, & abluere non valet. 3*tio*: Ut animadvertit Martinus Becanus Lib. 1. Man. cap. 16. quæst. 3. justum comparandum esse, in Sectariorum sententia, sepulchris dealbatis, in quibus fœtida cadavera latent: ac propterea justitiam, quam magnopere jactitant Calviniani, illam esse, quam in Pharisæis Christus Dominus execrabatur. 4*to*: Deum non judicaturum esse homines secundum veritatem, neque secundum opera singulis retributurum mercedem; cum illos, quorum anima inquinata remanet, & quorum opera perversa sunt, & abominatione odioque digna, sit coronis remuneraturus. 5*to* Denique sequitur, vel neminem justum ingressurum in Regnum Cœlorum, in quod nihil coinquinatum ingreditur, si adhuc est peccato vere maculatus; vel aliquid coinquinatum in illud ingressurum, contra illud Apoc. 21. v. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Nam si fides, qua secundum hæreticos homo justificatur, non

est

eſt ſufficiens ab eo tollere maculam peccati in vita, ſed ſolum eam tegit, quomodo eam tollet in morte?

Merito proinde definitum eſt in Tridentino Seſſ. 5. Can. 5. *Si quis per JESU Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet: ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema ſit. In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil eſt damnationis iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem &c.* In renatis autem aliquid odiſſet Deus (& conſequenter in quolibet alio juſtificato) & in eis aliquid damnatione dignum eſſet, ſi peccata adhuc in eis remanerent, & tantum tegerentur, raderentur, aut non imputarentur. Cum ergo nihil Deus in renatis odit, ſolumque peccatum odio habeat; nihil etiam peccati in renatis remanet. Et ſane, ſi Scriptura juſtificatos vocat regeneratos, vivificatos, translatos de morte ad vitam 1. Joan. 3. v. 14. quomodo in eis remanere poteſt peccatum, quod eſt mors animæ? Quomodo ſimul ſtabunt mors & vita ſpiritualis; ſi nequeunt ſimul conſiſtere mors & vita naturalis?

Novatorum argumenta diluuntur.

QUæ adverſus Catholicum dogma a Novatoribus adferri ſolent, levia adeo ſunt, ut vix operæ ſit pretium iis refellendis immorari. Ne tamen ea penitus neglexiſſe videamur, præcipua duntaxat capita attingemus.

III. *Primum* Hæreticorum argumentum fundatur in verbis illis Pſal. 31. v. 1. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Et v. 2. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Unde ſic arguunt: Tria illa, *remitti, tegi, & non imputari*, poſita ſunt ad idem ſignifican-

dum, unumque explicatur per aliud, ita ut remitti peccata a Deo nihil sit aliud, quam peccata tegi; tegi autem nih l aliud, quam non imputari ad pœnam & damnationem, juxta illud Ezech. 38. v. 16. ubi dicitur de impio, si egerit pœnitentiam, *omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei.* Et 2. ad Cor. 5. v. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.*

Resp. Peccata dici possunt tegi, & non imputari dupliciter. Tegi inprimis dicuntur, vel ita, ut occultentur tantum, adeoque vere remaneant; vel ut penitus aboleantur: quemadmodum ulcera corporis, a quibus hæc metaphora sumpta est, dicuntur tegi, vel illa solum occultando, ne appareant, quo pacto teguntur ab ipso ulcerato; vel ea sanando & tollendo, qualiter teguntur a Medico. Prior sensus est Hæreticorum, posterior Catholicorum; secundum quos ita teguntur peccata, ut penitus deleantur: nam contecta simul dicuntur peccata, & *iniquitates remissæ*, sive, ut legit Syrus, nec non Hieronymus, *dimissa est iniquitas:* & quidem tali pacto dimissa est iniquitas, ut peccati labes nequaquam permaneat. Utitur namque tam Hebræus, quam Græcus codex voce *auferre*, habetque, *Quorum scelus ablatum est.* Unde S. Augustinus Enar. 2. in citatum Psal. 31. sic ait: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: non in quibus non sunt inventa peccata, sed quorum tecta sunt peccata. Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt . . . Nec sic intelligas, quod dixit: peccata cooperta sunt; quasi ibi sint, & vivant.*

Duplex pariter est non imputatio: una, qua non imputatur id, quod est; & hæc non imputatio est figmentum Hæreticorum: altera, qua non imputatur id, quod revera non est, sive quia revera non est; & hæc non imputatio est, quam tenent Catholici, & quam hoc loco exprimit Scriptura. Propterea statim post verba illa, *non imputavit Dominus pec-*

ca-

catum, subditur: *& non est in spiritu ejus dolus.* Et sane cum justitia divina nullum possit peccatum non imputatum & impunitum relinquere; peccata, quæ a Deo non imputata dicuntur, vere deleta & ablata censenda sunt.

IV. Alterum Sectariorum argumentum petitur ex testimonio Apostoli Pauli, qui quamvis vere justificatus esset, dicebat tamen ad Rom. 7. v. 17. remanere in se peccatum: *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*

Resp. Nomine peccati intelligere Paulum concupiscentiam, quæ in justificato manet, diciturque peccatum; non quod ipsa revera peccatum sit, sed quia ex peccato nempe originali est, & ad peccatum inclinat.

At *contra* insurgunt Adversarii: Ergo in justificato, inquiunt, remanet radix peccati, nempe concupiscentia. Ergo hominem justificari, est, solum radi peccata, non penitus tolli: sicut capilli dicuntur radi, non penitus tolli; quia remanet radix, ex qua iterum pullulant.

Resp. Remanet in justificato concupiscentia, quæ dici potest radix peccati *æquivoce*, non vero proprie & *univoce*. Non est enim concupiscentia *formaliter* peccatum, sicut radix capilli, capillus est; quia peccatum nunquam facit, nisi voluntatis consensus accedat: sed radix peccati, & quodammodo peccatum improprie dicitur, quia nempe pœna & effectus peccati originalis est, & ad peccatum actuale solicitat ac inclinat. *De ista concupiscentia carnis*, inquit Augustinus Lib. 1. contra duas Epist. Pelag. c. 13. *falli eos credo, aut fallere, cum qua necesse est, ut etiam baptizatus . . . pia mente confligat. Sed hæc etiam vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur: sicut Scriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit.* Hoc sensu dicit Apostolus: *Jam non ego operor illud*, id est, malum, seu pravos concupiscentiæ motus, quia non consentio exhibere membra mea arma iniquitatis peccato: sed illos ope-

ratur quod habitat in me peccatum, id est, concupiscentia, quæ ex peccato est, & ad peccatum impellit. Unde subdit: *Si autem quod nolo, illud facio*, id est, non consentiens, *jam non ego operor illud*, volens scilicet; sed ea patior, & sustineo ex inclinante carnem meam concupiscentia, & ad peccatum stimulante; quæ propterea peccatum ab Apostolo nominatur.

Cæterum similitudinem illam, quam nobis oggerunt, scilicet capillorum, qui radi solum dicuntur, non tolli, quamdiu radix remanet, ex qua rursus pullulant, ex Pelagiano fonte hauserunt Sectarii. Ut enim refert S. Augustinus L. 1. contra duas Epist. Pelag. ad Bonif. c. 13. Pelagiani idem opponebant Catholicis, quasi hi dicerent: *Baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere; ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur.* Hoc vero ipsum est, quod Sectarii dicunt. Audiant ergo Augustinum calumniam hanc Catholicis impactam sic repellentem: *Quis hoc adversus Pelagianos, nisi infidelis affirmet? Dicimus ergo, Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, auferre crimina, non radere: nec, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, inde crescant iterum resecanda peccata. Nam & illam similitudinem comperi, suæ illos adhibere calumniæ, tanquam hoc nos sentiamus, & dicamus.* En Novatorum doctrinam dicentium, Baptismate non auferri, sed radi peccata, reputatam tanquam execrabilem & a Pelagianis, & a Catholicis.

V. Tertium denique erroneæ suæ doctrinæ argumentum, ut plura alia non majoris momenti omittam, depromunt Sectarii ex S. Ambrosio, qui Lib. 2. de Jacob, Justificationem exponit exemplo ejusdem Jacob sese vestimentis Esau, ac pelle hædina occultantis. Ex quo inferunt, hominem

nem semper esse contaminatum & impium, atque exterius tantum justitia Christi contegi, ut justus appareat.

Resp: Exemplum Jacob ex Ambrosio depromptum ad Christum pertinere, cujus justitia, qua cooperimur est quidem causa justificationis nostræ, sed *meritoria*, non *formalis*: comparationem proinde illam in hoc sitam esse arbitramur, quod, sicut Jacob aliena veste indutus incessit, ita Christus factus in similitudinem carnis peccati vere languores nostros tulit, & attritus est propter scelera nostra. Hinc Augustinus in Lib. contra Mendacium c. 10. sic scribit: *Per hædinas pelles peccata; per eum vero, qui eis se operuit, ille significatus est, qui non sua, sed aliena peccata portavit.*

ASSERTIO SECUNDA.

Præter veram peccatorum remissionem, in justificatione accipit homo inhærentem justitiam, qua interius renovatur, & justus fit.

VI. ITa rursus contra Lutherum atque Calvinum asserentes, hominem in justificatione non fieri justum, nisi extrinsece, & propter justitiam Christi ipsi exterius imputatam, definivit Tridentinum Sess. 6. Can. 11. his verbis: *Si quis dixerit, homines justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.* Contra quos etiam clamat Scriptura innumeris in locis. Atque illis cumprimis, quibus Deus affirmat se in justis permanere & habitare. Sic Joan. 15. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et Apostolus 1. ad Cor. 3. v. 16. *Nescitis, quia*

 tem-

templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Isthæc loquendi ratio, *venire ad aliquem, & mansionem apud eum facere, habitare tanquam in templo*, quid aliud indicat, quam præsentiam Spiritus Sancti per justitiam inhærentem, & gratiam *formaliter* justificantem.

Hoc ipsum probant ea Scripturæ testimonia, quibus exponitur modus, quo sanctificans gratia conceditur. ad Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;* quæ quidem diffusio intimum aliquid ac *formale* importat. Ad Ephes. 1. v. 13. *Signati sunt Spiritu promissionis Sancto;* quod pariter inhærentem sanctitatem significat. *Signari* enim non est in sola imputatione, aut favore externo haberi acceptum, sed signaculo quodam, & quasi charactere ab improbis separari. 2. ad Cor. 1. v. 22. *Acceperunt pignus Spiritus:* ubi vox *pignus*, vel *arrha*, non solum promissionem, aut legis præscriptionem significat, sed quandam portionem ejusdem rei, quæ promittitur, auctore Augustino Serm. 13. de verbis Apostoli. Ad Tit. 3. v. 5. *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per JESUM Christum Salvatorem nostrum: ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Quæ verba de sola justitiæ imputatione, vel extrinseca peccatorum condonatione explicari nequeunt; sed aliquid longe majus significant, ac proinde de dono aliquo supernaturali nobis inhærente, nosque formaliter justificante intelligi debent. In eo namque posita est ratio *formalis* justificationis, quod nos reipsa regenerat, renovat, abluit; quod in nos Deus effundit abunde, quod nos justificat, quod hæredes facit vitæ æternæ. Sed hæc omnia præstat gratia per Spiritum Sanctum collata: neque id efficit, ut qui renovatur, & regeneratur, licet peccatorum sordibus inquinatus, mundus tamen habeatur, & justus; sed re ipsa justum facit. Ergo ratio *formalis* justificationis est inhærens nobis Spiritus S. gratia.

Idem denique evincit insignis ille ejusdem Apost. locus ad Rom. 5. ubi instituens comparationem inter jacturam, quam fecit homo per peccatum Adami, & lucrum ex gratia Christi, ita loquitur v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita per unius obeditionem justi constituentur multi.* Eodem ergo modo constituuntur homines justi per Christi obedientiam, quo per Adami inobedientiam constituti sunt peccatores. Atqui, fatentibus Adversariis, homines constituti sunt peccatores, non per solam externam imputationem peccati primi Parentis, sed per maculam ab eo in omnes originaliter derivatam, & cuilibet vere intrinsecam & inhærentem. Ergo neque constituuntur justi per solam justitiam Christi extrinsece imputatam, sed per justitiam internam, a Deo per illius merita in homines derivatam, iisque inhærentem. Quare S. Augustinus gratiam hanc parvulis, dum baptizantur, infundi, diserte affirmat L. 1. de peccat. mer. & rem. c. 9. ubi ait: *Christum dare fidelibus occultissimam sui Spiritus gratiam, quam latenter infundit & parvulis.* Et c. 19. ait: *Infantes fideles esse & dici per Sacramentum fidei*: non quidem isto duntaxat sensu, quod exterius fidei signum percipiant; sed etiam, quod internam & inhærentem habeant fidem, quam habitualem appellamus: jam enim dixerat, in illis infantibus per Baptismum fidem inesse, quomodo inerat per nativitatem Adami peccatum. Et Lib. de grat. & lib. arb. c. 22. ait, *infantibus, quando baptizantur, etiam reluctantibus gratiam hærere.* Communis hæc est Patrum doctrina, qui quoties de gratia sanctificante loquuntur, eandem appellant effigiem quamdam & similitudinem Dei, communicatione Spiritus Sancti, quasi impressione, formatam: Operationem Spiritus Sancti dicunt esse in homine justo, sicut ars est in artifice, sanitas in corpore, verbum in mente: impressionem gratiæ similem esse picturæ: gratiam esse animæ

sani-

ſanitatem, pulchritudinem, novam nativitatem ac regenerationem: quibus certe loquendi formulis intimum aliquid ac animæ inhærens ſignificant. Ita Cyrillus Dialogo 5. de Trinit. Nazianzen. Orat. 36. Irenæus L. 5. c. 6. Baſilius L. de Spiritu S. c. 26. Chryſoſtomus Hom. 1. in Epiſt. ad Epheſ. & alii.

Merito proinde Andreas Vega ſcribens in Seſſ. 6. Concilii Trid. de juſtific. L. 7. c. 24. obſervat, *Patres Tridentinos, cum rem noſtram præſentem definiere, recte intellexiſſe hanc communem fuiſſe Eccleſiæ fidem, tametſi non ſub nomine habituum; neque potuiſſe a Catholicis Doctoribus diverſiſſimorum temporum ſumma concordia tradi, niſi eſſet a Spiritu Sancto, & digna quæ ab omnibus reciperetur.*

VII. Quod vero ſanctificans gratia (quam adverſus Novatores ex Eccleſiæ definitione eſſe juſtitiam inhærentem oſtendimus hactenus) ſit etiam quid permanens per modum habitus, & ab actu fluente ac tranſitorio diſtinctum, quamvis id expreſſe definitum non eſſe videatur, ut fide divina credendum, adeo tamen perſuaſum eſt Doctoribus Catholicis, ut contrarium (quemadmodum ſupra obſervavimus) ſine temeritate defendi non poſſit. Cujus quidem & ratio, & authoritas eſt manifeſta. Etenim parvuli, & amentes, dum baptizantur, accipiunt gratiam. Atqui non eam accipiunt per modum auxilii tranſeuntis, ſeu motionis ad operationem: quia motionis ejuſmodi incapaces ſunt, & motio ad actionem cum ipſa actione tranſit, gratia autem ſanctificans permanet, donec per peccatum expellatur. Igitur eam accipiunt per modum formæ permanentis.

Et colligitur ex illo 1. Joan. 3. v. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Et 14. v. 17. *Apud vos manebit* (Spiritus Sanctus) *& in vobis erit.* v. 23. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Joan. 4. v. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quæ verba indicant præſentiam Spiritus

San-

Sancti per gratiam non quomodocunque, sed fixe ac permanenter inhærentem. Deus quidem cum ad aliquem accedere aut recedere dicitur, non mutat locum, quia ubique est, & sua immensitate omnem locum replet, continetque: sed dicitur accedere, cum novo modo alicubi operatur; recedere vero, cum operari desinit, quamvis præsentissimus adsit. Deus ergo venit ad peccatorem, quando illum excitat, & transeunter in illo operatur sanctam cogitationem, & pium voluntatis affectum: manet autem in justo, quamdiu gratiam sanctificantem per continuum influxum in eo conservat, & per illam non solum assimilat sibi in moribus & virtutibus divinis, sed etiam naturæ suæ divinæ consortem efficit. Justus quoque per charitatem in Deo manet; quia charitas, seu gratia sanctificans ipsum avellit a terrenis cupiditatibus, omnesque ejus facultates, sensus, appetitus, cogitationes ad Deum trahit, ut nonnisi Deum & divina cogitet, intendat, suspiret, & in illo solo conquiescat.

Quapropter in Concil. Viennensi *Clem. de summa Trinit. & Fide Cathol.* relatis duabus opinionibus, quarum una negabat regeneratis per Baptismum parvulis gratiam informantem, ac virtutes quoad habitum infundi; quod nempe parvulis videretur inutilis habitualis gratia, quam reducere in usum non possent, sicut adulti: altera vero asserebat parvulis quoque per Baptismum conferri gratiam, & virtutes etiam quoad habitum, etsi nondum eo tempore quoad actum, cujus incapaces essent: Concilium hanc secundam probans, ait: *Nos... opinionem secundam... tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem, sacro approbant: Concilio, duximus eligendam.*

Hanc eandem opinionem adoptavit deinde Concilium Trident: Verbum enim, *inhæret*, quo utitur, significat fixum quid & permanens: unde sicut dum dicit, peccatum origina-

le *inesse* unicuique proprium ; sensus est, quod insit permanenter : ita cum dicit, gratiam sanctificantem *inhærere*, sensus pariter erit, quod permanenter inhæreat. Deinde c. 7. ejusdem Sess. 6. dicit, justificationem esse renovationem interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. C. 11. docet, gratiam non deperdi per peccata venialia Et c. 16. aliquos justificatos acceptam gratiam perpetuo conservare. Quæ locutiones tanti ponderis nonnullis visæ sunt, ut Bellarminus L. 1. de Grat. & lib. arb. c. 6. Suarez L. 6. de Grat. c. 3. n. 6. & alii affirmare non dubitaverint, veritatem hanc esse definitam de fide a Concilio Trid. Quibus consentire videtur Catechismus Romanus, qui sic habet, ubi de Baptismo : *Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, pœna anathematis proposita, decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas animæ inhærens.*

Heterodoxorum Objecta refelluntur.

VIII. QUo facilius Heterodoxorum objectionibus plerisque occurratur, advertendum est, eos solere abuti iis Scripturæ testimoniis, quibus dicitur, Christum factum esse nobis a Deo justitiam, & redemptionem ; nos in Christo justos effici ; per illius obedientiam justum constitui &c. Neque enim Catholici negant, Christi mortem, justitiam, obedientiam esse causam meritoriam nostræ justificationis : sed nos justos esse *formaliter* per externam Christi, non per inhærentem nobis justitiam, quam Spiritus Sancti infundit, Scripturæ nusquam dixerunt. Illud itaque ultro fatentur Catholici, Christum ea ratione esse nostram justitiam, quia pro nobis Deo satisfecit, ut explicat Bellarminus Lib. 1. de Justif. cap. 10. „ Nam etiamsi per justitiam inhærentem vere justi „ nominemur & simus, tamen non per eam satisfacimus Deo

„ pro

„ pro culpis nostris & pœna æterna, sed est illa justitia inhæ-
„ rens cum remissione culpæ effectus satisfactionis Christi,
„ quæ, ut docet Concilium Trid. Sess. 6. c. 7. nobis in justi-
„ ficatione confertur & applicatur. Et hoc modo non esset
„ absurdum, si quis diceret, nobis imputari Christi justitiam
„ & merita, cum nobis ita donentur & applicentur, ac si a no-
„ bis ipsis Deo satisfactum fuisset: dummodo fateantur esse in
„ nobis præterea justitiam, cui justo Dei judicio non debea-
„ tur pœna, sed gloria. Frustra igitur in erroneæ suæ sententiæ defensionem

IX. *Objiciunt* hæc Apostoli testimonia: ad Philipp. 3. v. 9. *Et inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi JESU: quæ ex Deo est justitia in fide.* Et 2. ad Cor. 5. v. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Rursus ad Rom. 5. v. 10. *Per unius obeditionem, justi constituentur multi.*

Neque enim hæc testimonia ita intelligi debent, ut sensus sit, justitiam Dei, & Christi esse formam, qua denominamur justi, seu causam *formalem* justificationis nostræ: sed quod sit causa efficiens & meritoria; quatenus Deus efficit in nobis justitiam, quam Christus sua passione & morte nobis promeruit. Sic 1. ad Cor. 1. v. 30. idem Apostolus de Christo ait: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Quis autem dicet, Christum esse *formaliter* sapientiam, qua sapientes simus, & redemptionem, qua redempti sumus; & non potius causam efficientem nostræ sapientiæ, & redemptionis; atque adeo etiam nostræ justitiæ, & sanctificationis? per quam nempe sapiamus, per quam a peccatis purgemur, per quam donemur gratia Spiritus Sancti; ea scilicet figura metonymiæ, qua Deus in Psalmis dicitur fortitudo nostra, virtus, spes, salus, protectio. Quod uberius declaratur ex ipsis verbis Apostoli ad Rom. po-

ſtremo loco nobis objectis. Ibi namque Apoſtolus confert Adamum cum Chriſto, docetque, quod ſicut per primi inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi; ita per ſecundi obedientiam juſti conſtituantur multi. Atqui inobedientia Adami non eſt cauſa *formalis*, ſed efficiens peccati originalis; quod non eſt mera imputatio prædictæ inobedientiæ, ſed reatus & macula, per quam naſcimur filii iræ, filii gehennæ, filii vindictæ. Ergo etiam obedientia Chriſti non eſt juſtitia noſtra *formalis*, ſed eſt cauſa efficiens & meritoria occultiſſimæ gratiæ, quæ non eſt imputatio hujus obedientiæ, ſed inhærens juſtitia, & charitas a Spiritu Sancto inhabitante diffuſa, per quam efficimur filii Dei, filii promiſſionis, filii adoptivi, ut demonſtratum eſt ſupra.

X. Cum autem ait Apoſtolus ad Gal. 3. v. 27. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Et ad Epheſ. c. 4. v. 24. *Induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis;* id non probat, juſtitia Chriſti per fidem apprehenſa circumdari nos tanquam veſtimento, quo teguntur corporis maculæ & deformitates. Qui enim veſtem aſſumit, non exuit maculas & deformitates corporis, ſed eas tegit. At Apoſtolus eodem loco docet, nos induere hominem, dum renovamur ſpiritu mentis noſtræ; & ad Coloſſ. dum reformamur ſecundum divinam imaginem. Renovatio autem Spiritus, divinæque imaginis reformatio importat interiorem animæ pulchritudinem. Præterea idem Apoſtolus hortatur nos, ut induamus novum hominem, quemadmodum ut deponamus hominem veterem, eadem Ep. ad Eph. v. 22. *deponere vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem:* Et ad Coloſſ. 3. v. 9. *Expoliantes vos*, inquit, *veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum. Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JESU.* Atqui veterem hominem induimus, contrahendo peccatum, & obſequendo deſideriis carnis, iræ, indignationi, malitiæ, cæte-

terisque pravæ concupiſcentiæ affectionibus. Ergo induimus novum hominem, gratiam recipiendo, atque virtutes, quarum Chriſtus nobis exemplum eſt, exercendo. Denique ad Rom. 8. Et c. 6. v. 2. & 4. inquit Apoſtolus: *Mortui ſumus peccato . . . ut quomodo ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Atqui Chriſtus reſurgens, corruptionem carnis, & mortalitatem non texit per indumentum gloriæ; ſed prorſus depoſuit. Ergo pariter ad mentem Apoſtoli ita Chriſtum in Baptiſmo induimus, ut omnem peccati maculam exuamus. Cæterum cum Apoſtolus ad explicandam juſtificationem, indumenti ſimilitudine utitur, nihil aliud intendit, quam oſtendere eum, qui exit ex fonte Baptiſmali, vel ex tribunali pœnitentiæ, ſicut interius vivit ſpiritu Chriſti, ita debere Chriſtum etiam exteriori converſatione exhibere; quemadmodum Regis ſpeciem refert, qui regia veſte induitur.

XI. Nec magis Adverſariis favent alia Apoſtoli loca, in quibus juſtitiam, quæ ex lege eſt, opponit juſtitiæ per fidem, & docet nos juſtos effici, non per legis opera, ſed per imputationem juſtitiæ Chriſti. Cujusmodi eſt illud ad Rom. 3. v. 28. *Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Et c. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Verſu etiam 7. afferuntur verba Davidis: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Nusquam enim negat Apoſtolus, hominem juſtificari per bona opera: ſed negat eum juſtum fieri per ſua opera, aut per opera legis; & ubique tradit nos juſtos fieri per Dei gratiam, & ex hac juſtitiam ipſam & ſalutem dimanare. *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum magnam miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit.* Et ad Eph. 2. v. 8. & ſeq. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt: non ex operibus, ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto JESU in operibus bonis, quæ præparavit*

 Deus

Deus, ut in illis ambulemus. Ubi opera, per quæ non justificamur, iis opponit operibus, quæ Deus creat in nobis. Similiter verborum illorum ex c. 4. v. 3. sensus est, quod ideo Abraham reputatus sit justus, quoniam in tentatione fidelis inventus est, juxta illud Machab. 1. c. 2. v. 25. *Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis, & reputatum est illi ad justitiam:* & quoniam justificatio non ex operibus legis, sed ex fide, & gratia suum habet initium. Redarguit enim Apostolus illos, qui existimabant, non ex fide in Deum, sed ex observatione legis, & absque fide haberi justificationem. Propterea eadem sententia utitur ad Galatas 11. 16. *Scientes, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem JESU Christi;* ut demonstret, ex fide in Christum, non ex operibus legis datum esse Spiritum S. adversus illorum opinionem, qui prædicabant homines per carnis circumcisionem justificari. Itaque fidem fundamentum esse justificationis & salutis nostræ, Paulus demonstrat; sed opera ad justificationem pertinere, & in hac inhærentem nobis conferri justitiam, nullibi negat. Quin docet, fidem cooperari operibus, & ex operibus consummari, ita, ut qui operatur, & qui occasione aut viribus destitutus operari non potest, ex fide justificetur. Verum de operibus postea.

Denique in Psal. 31. *non imputari peccatum* idem est, ac non exigi ab homine justificato pœnam peccati: vel certe idem, ac non inveniri in impio, quem justificat Deus, maculam culpæ: hanc significationem habet Hebræus codex.

XII. Non dissimili quidem modo quæ opponunt reliqua facile dissolvuntur: illud inprimis, impium justificari, nihil aliud esse, quam ei peccata remitti, & condonari; hoc autem haberi posse per imputationem justitiæ Christi, & per apprehensionem meritorum ejus, qui pro omnibus satisfecit.

Jam

Jam enim supra monuimus, errorem hunc proscriptum esse a Tridentino Sess. 6. Can. 11. verbis illis: *Si quis dixerit, homines justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate &c. anathema sit.* Docuerat enim eadem Sess. c. 7. quod justificatio *non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis &c.* Dicit namque justificatio transitum animæ a morte ad vitam per charitatem 1. Joan. 3. v. 14. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus, fratres: qui non diligit, manet in morte.* Transitus autem ab uno statu ad alterum utrumque statum importat. Quapropter Paulus ad Roman. 6. v. 9. resurrectionem nostram a morte peccati ad vitam gratiæ assimilat resurrectioni Christi a morte ad vitam corporis. Quemadmodum ergo resurrectio Christi non fuit sola liberatio a morte, sed vitæ resumptio; ita resurrectio nostra spiritualis non est sola liberatio a peccato, sed novæ vitæ aquisitio, interior renovatio, regeneratio.

Consectarium.

XIII. NOn erit operosum ex dictis resolvere quæstiones duas, quas hoc loco subnectunt Scholastici. 1*mo:* An sola gratia habitualis sit, quæ *formaliter* hominem justificet coram Deo; an vero id interdum etiam *formaliter* præstent actus contritionis & charitatis, nimirum in adulto, qui, vel extra Sacramentum, cum voto tamen Sacramenti, actus ejusmodi elicit; vel cum contritione & charitate accedit ad Sacramentum?

2*do:* An, cum defacto homo non justificetur sola extrinseca Dei condonatione, saltem in alia providentia id evenire possit, ut videlicet Deus absque gratia inhærente peccata dimittat?

XIV.

Vasquez, cum paucis aliis Theologis, affirmat, satisfieri definitioni Ecclesiæ, si in his, qui sunt capaces contritionis, ipsa contritio dicatur esse causa *formalis* justificationis: quod ab Ecclesia solum definitum sit, justificationem fieri in nobis per justitiam inhærentem; quæ autem de hac dicuntur, possint etiam intelligi de actu contritionis & charitatis: ejusmodi proinde actus non solum esse dispositiones ad justificationem, quod omnes admittunt, sed habere in se ipsis vim justificandi *formaliter*.

Vasquezii argumenta, quibus hanc suam opinionem firmare nititur, examinare non vacat. Illud insinuasse sufficiet, eam doctrinæ ac definitionibus Concilii Tridentini (quod bona tanti Viri venia dictum volumus) minus consentaneam videri, utpote quod Sess. 6. c. 7. omnes justificationis causas assignans, atque ad *formalem* deveniens, *Demum*, inquit, *unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit . . . justitiam in nobis recipientes &c.* Nomine autem justitiæ inhærentis intelligi aliquid fixum & permanens in anima, jam supra ostendimus. Igitur eo nomine venire non possunt actus contritionis & charitatis, qui sunt actus fluentes ac transitorii: iis namque transactis, per quid homo formaliter justus esset? Accedit, quod actus, qui sunt dispositio ad justificationem, ejus causa *formalis* esse non possint. Atqui contritionis & charitatis actus ponuntur a Concilio tanquam dispositiones ad justitiam. Nam Sess. 14. c. 4. expresse habetur, quod *contritionis motus fuerit quovis tempore ad impetrandam veniam necessarius; & in homine post Baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit.* Quod necessarium est ad impetrandam veniam, quodve præparat ad remissionem peccatorum, non est causa *formaliter* justificans, sed dispositio ad justificationem.

Nec

Nec valet dicere, Concilium ibi loqui de contritione imperfecta, seu de attritione. Contra namque est, quod Concilium illam contritionem dicat esse impetratoriam veniæ, & præparare ad remissionem peccatorum, quam paulo ante definierat, quod sit *animi dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero;* & quam postea dividit in perfectam, & imperfectam. Atqui contritio sic definita atque divisa non est contritio imperfecta, sed contritio ex genere suo, & prout abstrahens a perfecta & imperfecta. Ergo cum dicit Concilium, eam fuisse quovis tempore necessariam ad impetrandam veniam, & præparare ad remissionem peccatorum, loquitur de contritione ex genere & natura sua, ut includit etiam contritionem perfectam: eo vel maxime, quod ponat exemplum in contritione Davidis, dicentis *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci;* quæ certe fuit contritio perfecta. Quapropter cum definit, contritionem charitate perfectam cum voto Sacramenti sufficere ad reconciliationem; intendit solum esse dispositionem immediatam ad reconciliationem, hoc est, absque Sacramento in se suscepto; non vero quod per se ipsam sit forma immediate reconciliativa, hanc enim dixerat unicam esse justitiam inhærentem: sicut illa est sola, qua regeneramur in filios Dei adoptivos, qua participes efficimur ac consortes divinæ naturæ, & hæredes in spe vitæ æternæ.

Denique, effectus formalis ejusdem rationis attribui non debet formis diversæ rationis. Sed esse justum est effectus formalis ejusdem rationis in omnibus. Ergo uni eidemque formæ, non specie diversis attribuendus est. Cum igitur parvulorum baptizatorum justificatio tribuatur soli gratiæ habituali, tanquam illius effectus formalis; eidem attribuenda erit justificatio omnium adultorum, etiam illorum, qui extra Sacramentum, cum voto tamen Sacramenti, actum contritionis vel charitatis eliciunt.

XV. Alteram quæstionem quod attinet ; num videlicet in alia providentia possit homo a peccato mundari sola extrinseca Dei condonatione, absque gratia inhærente, & interius hominem immutante ; affirmativam Scholasticorum pars una, pars altera negativam sustinet. Posterioribus ego subscribendum censeo. Cum enim reatus culpæ sit privatio justitiæ, privationes autem tollantur per solam formam ; tam repugnat hominem impium absque gratia interiore justificari, quam cœcum absque facultate visus illuminationem recipere. Et sane quomodo mors tolli poterit, nisi per vitam ? Quomodo animæ vulnus, nisi per sanitatis instaurationem ? Quomodo hominis carnalis vetustas, nisi per innovationem spiritus?

Præterea, transacto actu peccati, remanet in homine maculæ turpitudo, quæ ex privatione nitoris gratiæ in eo consurgit, & non solum obligatio, seu reatus ad pœnam æternam ; ut statuit S. Pius V. contra Bajum, cujus hanc Num. 56. propositionem damnavit : *In peccato duo sunt, actus, & reatus : transeunte autem actu, nihil remanet, nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.* Quamvis ergo reatus, sive obligatio ad pœnam, quæ peccatori extrinseca est, possit per solam extrinsecam Dei condonationem tolli ; reatus tamen culpæ, sive interior hominis deordinatio sine interiore ipsius immutatione auferri non potest. Quare si Deus, nulla facta intrinseca mutatione ex parte peccatoris, ipsi condonaret pœnam, seu ipsum absolveret ab obligatione ad pœnam sustinendam ; dici posset, Deum non imputare illi peccatum ad pœnam, non vero Deum illi peccatum vere remittere atque delere, de quo tamen procedit quæstio.

CA-

CAPUT III.

An simul cum habituali gratia virtutum quarumdam habitus infundantur?

I. Justificationis naturam atque essentiam exposuimus hactenus: nunc partes ejus integrantes expendendæ occurrunt. Secundum has namque si justificatio spectetur, non solam dicit hominis justificati essentiam, sed ejusdem etiam statum: & propterea non solam importat gratiam habitualem, per quam homo in se recte constituitur; sed etiam omnia dona, & virtutes, earumque habitus, quibus recte disponitur ad juste operandum, comprehendit. Quemadmodum enim natura hominis ita est principium operationum sibi consentanearum, puta rationalium, ut eas exercere non possit, nisi per facultates sibi congenitas, intellectum scilicet, & voluntatem; sic gratia sanctificans, quæ accedit homini velut nova natura, comites individuas habet virtutes, per quas veluti per supernaturales potentias supernaturaliter operatur. Verum quia virtus non uno modo accipitur, nec in qualibet acceptione ad justificationem pertinet, hinc duo hoc loco distinguenda sunt virtutum genera, aquisitarum scilicet, & infusarum. Aquisitas vocant illas, quarum habitus per earundem actus aquiruntur, de quibus Philosophi in Ethicis agere consueverunt. Infusas vero illas, quarum habitus non producuntur per actus, sed divinitus infunduntur. Virtutes autem infusæ, aliæ sunt Theologicæ, sic dictæ, quod Deum tanquam objectum suum immediatum respiciant; quales sunt Fides, Spes, Charitas. Aliæ sunt morales, quæ in eo præsertim ab aquisitis differunt, quod morales virtutes aquisitæ finem aliquem rectæ rationi naturali convenientem duntaxat spectent, infusæ vero ad altiorem, & supernaturalem actus suos dirigant.

Præter illas virtutes morales infusas, dantur etiam alii quidam habitus supernaturales, qui communiter vocantur *Dona Spiritus Sancti*, de quibus agit S. Thomas qu. 68. art. 1. ubi docet dona illa differre a virtutibus infusis in eo, quod animam perficiant atque disponant ad extraordinarias Spiritus Sancti motiones & inspirationes prompte exequendas. Virtutes namque infusæ disponunt ad actiones, quæ licet supernaturales sint, ordinarium tamen prudentiæ modum non excedunt: dona vero Spiritus Sancti inclinant & movent supra communem justorum prudentiam, quo fit, ut prudentes Sæculi, qui facile carpunt quod ignorant, imprudentiæ illos arguant, a quibus fieri vident actus quosdam extraordinarios, qui humanam prudentiam transcendere videntur.

Dona ejusmodi septem numerantur. Donum *Sapientiæ*, quo æterna suavius contemplamur, & secundum ea de rebus omnibus judicamus. Donum *Intelligentiæ*, quo mens Justi Fidei mysteria clarius penetrat. Donum *Scientiæ*, quo ratio illustrata quid de rebus temporalibus sentiendum, & quomodo iis recte utendum sit, præscribit. Donum *Consilii*, quo in iis, quæ accidunt feliciter, & supra humanam prudentiam, eligimus, quæ ad salutem magis expediunt. Donum *Fortitudinis*, quo extraordinarie firmatur animus in rebus arduis. Donum *Pietatis*, quo modo quodam singulari erga cultum Divinum afficimur, & ultra quam virtus Religionis communiter præscribit. Donum denique *Timoris*, nempe reverentialis erga Deum, quo animus omnem Dei irreverentiam super omnia aversatur.

Septenarius hic Donorum numerus exprimitur verbis illis Isai. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.*

His

His prævie notatis, resolvenda singilatim est quæstio: An gratia sanctificans virtutes infusas tam Theologicas, quam morales habeat individuas comites? & an simul cum ea etiam Dona Spiritus Sancti in justificatione infundantur. Pro quo sit

ASSERTIO PRIMA.

In justificatione simul cum gratia sanctificante infunduntur habitus virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis.

II. Certum est id apud omnes Catholicos; quin multi Theologi, ut Vega L. 7. c. 24. in Concil. Trident. Suarez L. 3. de Gratia c. 8. & alii docent, istud esse dogma fidei in Concilio Tridentino definitum Sess. 6. cap. 7. verbis illis: *Unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem.* Et fundatur veritas hæc in Scriptura. Nam ad Rom. 5. v. 5. inquit Apostolus: *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Sed Charitas individuas habet comites Fidem, & Spem. Fidem quidem, quia Charitas seu amor Dei non potest esse sine prælucente cognitione; *per fidem enim ambulamus, & non per speciem* 2. ad Cor. 5. Spem quoque, quia sine spe divini auxilii Charitas non tendit in amplexus Sponsi summe dilecti. Hinc idem Apostolus 1. ad Cor. c. 13. concludit in hæc verba: *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas: tria hæc.* In quibus autem manent? non in infidelibus, ut patet, neque in peccatoribus, qui charitatem non habent; ergo in justis.

Quo etiam pertinet illud ad Rom. 1. *Justus . . . ex fide vivit*, non mortua, repugnat enim animam vivere per quid mortuum; sed ex fide viva, quæ nimirum per dilectionem

operatur. Fidei autem, & dilectioni in nobis Viatoribus spes adjungitur, per quam expectamus hæreditatem Filiis Dei promissam, teste eodem Apostolo ad Rom. 8. *Nos ipsi primitias spiritus habentes . . . intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes . . . spe enim salvi facti sumus.* Ergo ubi charitas est, ibi quoque fides, & spes reperitur; vitaque nova, quam peccatores in justificatione percipiunt, in actibus harum virtutum maxime consistit.

ASSERTIO SECUNDA.

Virtutum quoque moralium supernaturalium habitus, simul cum gratia sanctificante infunduntur.

III. QUamvis Concilium Tridentinum, nihil expresse statuerit circa virtutes morales; communior tamen, & multo probabilior est assertio nostra; quam etiam docet S. Thomas 1. 2. qu. 63. art. 3. & amplexi sunt Richardus, S. Bonaventura, Vega Lib. 7. in Concil. Trid. c. 24. Catechismus Romanus, qui inter effectus Baptismi numerat *nobilissimum omnium virtutum comitatum, quæ in anima simul cum gratia divinitus infunduntur.*

Favent SS. Patres, qui simpliciter asserunt, hominem, dum in gratia Dei est, omnibus præditum esse virtutibus, quas, cum ab eadem gratia excidit, infeliciter amittit. Sic S. Hieronymus Præfat. in Threnos Jerem. de anima in peccatum lapsa loquens, *Non auri*, inquit, *& argenti metallo, sed virtutibus radiabat; ablata sunt hæc omnia, nudata est domus Dei cunctis ornamentis suis.* Et S. Augustinus Tract. 8. in Epist. 1. S. Joannis, enumeratis variis virtutibus, quæ in anima justi reperiuntur, dicit, illas esse ad instar exercitus, Christumque Dominum in interiori homine per gratiam habitantem, virtutibus illis quasi ministris suis uti.

Id

Id ipsum suadet ratio, quam supra innuimus. Quemadmodum nempe naturæ hominis respondent potentiæ rationales, intellectus scilicet & voluntas, quæ sunt principia proxima operationum naturæ humanæ consentanearum, ad quas ipsa inclinat: ita gratiæ sanctificanti veluti novæ naturæ, & radici atque principio remoto bonorum omnium, debent respondere habitus virtutum, tanquam potentiæ supernaturales, & principia proxima operationum supernaturalium, quæ ipsi competunt.

IV. *Oppon.* Experientia constat, peccatores recenter justificatos eandem pati difficultatem, quam ante justificationem, in exercendis actibus virtutum, sive Theologicarum, sive moralium. Ergo virtutes istæ in justificatione ipsis non infunduntur: qui namque habet habitum alicujus virtutis, prompte & delectabiliter operatur, quæ sunt virtutis illius.

Resp. Dist. ant. Peccatores recens justificati patiuntur eandem difficultatem &c. propter malos habitus contrarios ante conversionem contractos, quos virtutes infusæ non tollunt, quamvis voluntati tribuant novam potestatem ad actus sibi proprios exercendos, *Conc.* eandem patiuntur difficultatem ex ipsamet voluntate male affecta erga Deum, & objecta virtutum, *Neg. ant.* Eo ipso namque, quod serio conversi sint, aversantur peccatum, & justitiam diligunt; in quo consistit illa voluntatis rectitudo & affectio erga Deum, objectaque virtutum, etiamsi repugnet caro & vitia contraria; unde in exercitio virtutum difficultas, quæ tamen superari potest auxilio, tum ipsarum virtutum infusarum, tum etiam gratiarum actualium, quæ illis semper præsto sunt.

Cæterum universaliter verum non est, eandem quam antea difficultatem perseverare. Multi namque ex peccatoribus, etsi post conversionem tentationibus adhuc gravibus pulsentur; mente tamen condelectantur legi divinæ, & suave iis accidit jugum mandatorum Dei. Illustre ejusmodi

con-

conversionis exemplum habemus in Augustino, qui Lib. 9. Confess. c. 1. de se ipso sic scribit: *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum; & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat! Ejiciebas enim eas a me, vera tu & summa suavitas, ejiciebas, & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior.*

Dicat ergo justificatus a peccatis: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Caveat, ne Dei gratiam, quæ tanta Dei dona post se trahit, unquam per peccatum abjiciat: sed, ut monet Apostolus ad Rom. 6. sicut prius exhibuerat membra sua servire iniquitati, ita nunc exhibeat illa servire justitiæ in sanctificationem.

ASSERTIO TERTIA.

Præter supradictas virtutes theologicas, & morales, dona etiam Spiritus Sancti simul cum gratia in justificatione infunduntur.

V. PRob. ex Concil. Trid. Sess. 6. c. 7. ubi dicit, *Justificationem non esse solam peccatorum remissionem, sed sanctificationem, & renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.* Et ratio est: quia in justificatione homo inseritur Christo tanquam membrum capiti, ut spiritu ejus vivat & regatur: nam *si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, ad Rom. 8. v. 9. Ergo justus debet disponi ad excipiendas quascunque motiones Spiritus Sancti: disponitur autem ad ordinarias per habitus virtutum, ad extraordinarias vero per dona, ut patet ex dictis. Ergo in justificatione præter habitus virtutum, infunduntur etiam habitus donorum.

Hæc

Hæc eſt Doctrina S. Thomæ q. 68. art. 2. ita loquentis: *In ordine ad finem ultimum ſupernaturalem, ad quem ratio movet ſecundum quod aliqualiter & imperfecte informata per virtutes theologicas, non ſufficit ipſa motio rationis, niſi deſuper adſit inſtinctus & motio Spiritus Sancti ſecundum illud* ad Rom. 8. Qui Spiritu Dei aguntur, hi Filii Dei ſunt. *Et ideo ad illum finem conſequendum neceſſarium eſt homini habere donum Spiritus Sancti.* In quo elucet admirabilis prorſus Dei erga homines benignitas & miſericordia, qui naturæ noſtræ adeo fragili, & imbecilli tot & tanta gratiæ ſuæ adminicula & auxilia providit, ut nos elevet, & deducat ad finem illum ſublimem, & ſupernaturalem, propter quem conditi & redempti ſumus. Hujus rei gratia Gentium Apoſtolus ſcribit ad Epheſios c. 1. ſe non ceſſare in orationibus ſuis memoriam eorum facere, *ut Deus*, inquit, *Domini noſtri JESU Chriſti Pater gloriæ det vobis Spiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus: illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus ſecundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dextram ſuam in Cœleſtibus.* Magnifica ſunt hæc Apoſtoli verba, ut intelligamus, & alios doceamus, quam pretioſa & maxima dona conjuncta ſint cum remiſſione peccatorum; quam divina adjumenta habeant juſtificati a peccato, ut relapſum caveant, & in bonis operibus abundent. Propterea optat Apoſtolus Diſcipulis ſuis Spiritum ſapientiæ, qua myſterium gratiæ ſanctificantis magis ſemper ac magis ipſis patefiat; illuminatos quoque oculos cordis, ut perfectius in dies cognoſcant, quæ & quanta ſint bona, ad quæ vocati ſunt; & quæ ſupereminens magnitudo virtutis ejus, qua uſus eſt Deus, ut a ſtatu peccati ad juſtitiam traducerentur: tanta videlicet utitur in nobis ſic ſpiritualiter ſuſcitandis, & immutandis, quanta uſus

est in Christo corporaliter a morte resuscitando, & ad dextram suam evehendo. Non ergo Apostolus credentibus promittebat nudam peccatorum veniam & condonationem, sed veram spiritus immutationem, qua in novam vitam translati, expoliato veteri homine, viderentur tanquam ex mortuis viventes; quod per inhærentem justitiam, & tam virtutum, quam donorum habitus eidem annexos unice obtinetur.

VI. *Oppon.* Multos esse idiotas, & simplices, qui quamvis sint justi, illis tamen virtutibus ac donis carere videntur, ut dono sapientiæ, scientiæ &c.

Resp. Dona illa atque virtutes infundi quoad habitus, quorum actus varii sunt pro varietate conditionum, & statuum, in quibus Spiritus Sanctus per ea dona unumquemque justum ad sequendum instinctum suum disponit in iis, quæ statui suo competunt, ut salutem æternam consequatur. Unde nullus est adeo idiota & simplex, qui, si gratia sanctificante præditus sit, non habeat lumen sapientiæ & scientiæ infusum, quatenus sibi necessarium est ad mores dirigendos, curam & sollicitudinem rerum divinarum habendam, ne in negotio salutis negligentia subrepat; docilitatem, qua sibi ipsi diffidens, consilium a sapientioribus inquirit & suscipit, quo ad finem supernaturalem consequendum in omnibus suis actibus dirigatur.

Imo experientia frequenter nos docet, idiotas & simplices justos, quamvis nullo ingenii acumine, nulla scientia, aut humana sapientia præditi sint, in iis tamen, quæ ad salutem spectant, interiori lumine dirigi, quo carent illi, quos sapientes & prudentes hujus Sæculi vocat Apostolus, qui in temporalibus negotiis maxime perspicaces, in rebus ad æternam salutem spectantibus cœci sunt, & quasi judicio ac ratione destituti. Unde dicit Apostolus 1. ad Cor. 1. *Videte, fratres, vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem.* Et S. Augustinus L. 8. Confess. c. 8. *Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde volutamur in carne & sanguine.*

SE-

SECTIO SECUNDA.

DE
DISPOSITIONIBUS AD JUSTIFICATIONEM.

CAPUT I.

An ad justificationem requiratur motus fidei? Et quænam debeat esse hæc fides?

I. NOn Catholicis modo, sed & Hæreticis certum, persuasumque est, adultum non justificari sine prævia sua dispositione, quæcunque demum illa sit. Nam Scriptura innumeris prope in locis hortatur peccatores ad agendam pœnitentiam, ut per illam ad peccatorum remissionem accipiendam se disponant; neque spem veniæ nisi dispositis præbet, Sic Ezech. 18. *Si . . impius egerit pœnitentiam . . vita vivet.* Act. 2. Apostolus Petrus Judæis prædicatione sua commotis ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Act. 8. Philippus Eunucho Baptismum efflagitanti respondet: *Si credis ex toto corde, licet*, nimirum te baptizari. Hinc S. Augustinus Serm. 16. de verb. Domini c. 11. *Qui fecit te sine te, non justificat te sine te.* Et congruum sane videtur, ut, qui per peccatum mortale libere se avertit a Deo; in gratiam cum eo non redeat, nisi prius sese per actus salutares libere ad eum converterit. Hinc vero patet, de solis adultis quæstionem hic moveri. Parvuli namque ejusmodi dispositionum prorsus incapaces sunt, cum usum rationis, adeoque libertatis non habeant: & tamen eos in Baptismo justificari definit Tridentinum Sess. 6. c. 4. ubi dicit, *parvulos ex traditione Apostolica in remissionem peccatorum veraciter baptizari, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt;*

adeoque, ut ait idem Trid. c. 7. *ex injustis fiant justi, & ex inimicis amici, ut sint hæredes secundum spem vitæ æternæ.* Enimvero si inobedientia primi hominis potuit illis nocere, multo magis obedientia secundi hominis, qui factus est nobis justitia a Deo, illis proderit.

Convenit præterea inter Catholicos & Pseudo-Reformatos, motum fidei requiri in adulto ad justificationem. Id enim aperte testatur Scriptura pluribus locis. Joan. 1. v. 12. *Dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* ad Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* ad Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo &c.* Hinc Concilium Trid. Sess. 6. c. 6. ait: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt &c.* Et ratio est manifesta; quam etiam assignat D. Thomas hac q. 113. a. 4. quia ad justificationem adulti requiritur motus aliquis liberi arbitrii a gratia excitati & adjuti, quo mens hominis avertatur a peccato, & convertatur ad Deum: primus autem accessus ad Deum fit per fidem, juxta illud ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia &c.* Ergo ad justificationem adulti requiritur actus fidei.

Sed gravis existit Controversia, qualisnam debeat esse hæc fides? & an hæc sola ad justificationem sufficiat? In quo Heterodoxi non modo a Catholicis, verum etiam inter se disconveniunt.

Priorem sane Controversiæ partem quod attinet, quam solam hic in examen vocamus, quænam videlicet debeat esse fides ad justificationem requisita; Lutherus vult, fidem illam non esse aliud, quam firmam fiduciam, qua peccator confidit, ob merita Christi sibi peccata non imputari: unde eam ponit in voluntate, & per illam solam docet hominem ita justificari, ut opera bona & omnem aliam dispositionem penitus excludat. Cal-

Calvinus vero fidem juſtificantem vult eſſe fidem, qua quis certo credit, non quodcunque a Deo revelatum; ſed fidem promiſſionum divinarum de peccatis propter merita Chriſti certo remittendis: & hanc quoque non ſolum generalem, qua creditur promiſſam eſſe peccatorum remiſſionem omnibus, qui credunt in Chriſtum; ſed particularem, qua unusquisque ſibi divinam promiſſionem applicans, credit, ſeu verius confidit, ſibi omnia ſua peccata dimiſſa eſſe per Chriſtum. Hinc L. 3. Inſtit. cap. 2. §. 7. fidem juſtificantem definit, *Divinæ erga nos benevolentiæ firmam, certamque cognitionem, quæ gratuitæ in Chriſto promiſſionis veritate fundata per Spiritum Sanctum, & revelatur mentibus noſtris, & cordibus obſignatur.* Quibus verbis etiamſi velit, fidem eſſe firmam, certamque cognitionem; quia tamen dicit objectum hujus cognitionis eſſe divinam benevolentiam, videtur, per fidem juſtificantem non aliud intelligere, quam fiduciam in divinis promiſſionibus, quæ non eſt actus intellectus, ſed voluntatis; & ſic aliis vocabulis re ipſa Luthero conſentire. Ut tamen Catholica veritas nobis clarius elucescat, utriusque Hæreſiarchæ opinionem de fide juſtificante ſingilatim refutare juverit. Sit igitur

ASSERTIO PRIMA.

Fides ad juſtificationem diſponens non eſt fiducia.

II. PRob. Fiducia non eſt vera fides; quia pertinet ad ſpem, quæ eſt in voluntate, non in intellectu, & naſcitur ex fide, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 129. art. 6. *Et ideo nomen fiduciæ hoc principaliter ſignificare videtur, quod aliquis ſpem concipiat ex hoc, quod credit verbis alicujus auxilium promittentis.* Atqui ex Scriptura ad juſtificationem requiritur vera fides, pertinens ad intellectum; qualem nobis deſcribit Apo-

ſtolus ad Hebræos: Cum enim cap. 10. dixiſſet: *Juſtus autem meus ex fide vivit;* exorditur cap. 11. exponendo, quid ſit iſta fides: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur *ſubſtantia*, id eſt, fundamentum ſperandarum rerum; fiducia autem non eſt fundamentum ſpei, ſed ſpes ipſa fundata in fide, ut mox diximus ex S. Thoma. Dicitur præterea eſſe *argumentum non apparentium*, id eſt, aſſenſus, quem præbet intellectus rebus obſcuris. Unde ſubdit Apoſtolus v. 3. *Fide intelligimus, aptata eſſe ſæcula verbo Dei.* Tandem v. 6. dicit: *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo;* quænam vero ſit fides iſta, explicat: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Quibus eum ſignificare veram fidem, quæ nempe eſt actus intellectus, nemo non videt.

Et certe fides juſtificans eſt illa eadem, quam Chriſtus & Apoſtoli prædicarunt, quæve exigebatur ab iis ad Baptiſmum ſuſcipiendum, & æternam ſalutem conſequendam. Sed hæc erat fides intellectus: Chriſtus enim intendebat perſuadere hominibus, ut aſſenſum præberent his, quæ ipſe loquebatur; ad hoc eis exponebat Scripturas, & miracula patrabat: perſuadere autem intellectum reſpicit, non voluntatem; aſſenſum exigit, non fiduciam. Hinc Joan. 8. v. 46. dicebat Phariſæis: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Et Joan. 10. v. 25. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Rurſus Apoſtolis Marci. 16. v. 15. *Euntes*, inquit, *in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.*

Merito proinde Tridentinum Seſſ. 6. Can. 12. anathemate percutit eos, qui dixerint, *fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quam fiduciam divinæ miſericordiæ peccata remittentis propter Chriſtum; vel eam fiduciam ſolam eſſe, qua juſtificamur.* **Fiduciam a diſpoſitionibus ad juſtificationem requiſitis non rejicit**

jicit Synodus ; eam enim inter dispositiones recenset eadem Seff. cap. 6. & Seff. 14. cap. 4. sed vult, eam fiduciam solam non esse fidem justificantem, sed aliquid, quod ex fide consequitur.

ASSERTIO SECUNDA.

Fidei justificantis objectum non sunt solæ promissiones divinæ de peccatorum remissione ex meritis Christi consequenda, sed Mysterium quodvis a Deo revelatum.

III. PRob. singillatim contra Calvinum. Fides, quam Christus ad justificationem exigebat, & in cujus confirmationem miracula patrabat, erat Fides divinorum Mysteriorum, Trinitatis præsertim, ac Verbi Incarnationis. Ergo solæ promissiones divinæ non sunt objectum fidei justificantis. *Prob. ant.* Matth. 16. v. 16. Petrus ob illam fidei confessionem, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, audire meruit, *Beatus es Simon Par-jona* &c. Joan. 6. v. 70. Idem Petrus ita Dominum allocutus est: *Et nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Rursus, Joan. 20. v. 31. *Hæc scripta sunt, ut credatis, quia JESUS est Christus Filius Dei ; & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Iterum Joan. 11. v. 27. Martha Christo dicenti, *Omnis qui vivit & credit in me &c. Credis hoc?* Respondit: *utique Domine ego credidi ; quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Denique Apostolus ad Rom. 10. v. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum JESUM, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Fides autem, qua creditur Verbi Incarnatio, Christi divinitas, ejusdem mors, & resurrectio &c. est fides divinorum mysteriorum. Ergo hæc fides ad justificationem disponit. Igitur non solæ promissiones divinæ de obtinenda peccatorum remissione, sed quodvis Mysterium a Deo revelatum est objectum fidei justificantis.

Ad

Ad hæc, fides justificans debet præcedere justificationem; est enim, juxta Sectarios, quasi manus apprehendens justitiam Christi, & faciens nostram. At fides de eo, quod sibi remissa sint peccata, supponit justificationem; quomodo enim vera fides est, qua credo mihi esse remissa peccata, si nondum remissa sunt? Ergo hæc non est fides apprehendens justitiam.

Sectariorum argumenta refelluntur.

MUlta quidem sunt, quibus errorem suum tuentur Sectarii; sed possunt omnia ad hæc duo capita revocari.

IV. Primum est doctrina Apostoli, variis nobis in locis declarantis, in quo sita sit fides illa, quæ ad justificationem requiritur. Sic in Epist. ad Rom. de fide, qua justificatus est Abraham, cap. 4. v. 16. ait: *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio;* quibus verbis commendat fidem dumtaxat promissionis divinæ. Addit v. 18. *Qui contra spem in spem credidit*, ubi pariter spes firmissima designatur. Sequitur v. 20. 21. 22. *In re promissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcunque promisit, potens est & facere. Ideo & reputatum est illi ad justitiam:* An majori verborum expressione declarari poterat, quod Abraham justificatus sit, ob fidem plenissimam, & certam sine animi hæsitatione fidentiam? Denique fidem justificantem ita nobis describit idem Apostolus ad Hebr. 10. v. 19. *Habentes itaque fiduciam - - in sanguine Christi - - accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.* Et ad Ephes. 3. v. 12. *In quo* (Christo) *habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem ejus.*

Alterum est, exemplum Paralytici ex Evangelio depromptum. Legimus namque Matth. 9. 2. dictum illi a Domino: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Unde arguunt, fidem,

dem, per quam delentur peccata, nihil esse aliud, quam firmam in Christum fiduciam.

Resp. ad 1mum. Juxta Apostolum requiri quidem inter alias dispositiones ad justificationem etiam spem & fidentiam, ut deinde dicemus; sed hanc ipsam ex fide consequi ac generari: qualem enim fiduciam in Christi meritis habere possumus, nisi fides præcedat, qua credamus, illum esse Filium Dei, & pro hominum salute incarnatum & passum? Propterea dixit Paulus, firmam esse promissionem *ex fide;* quæ promissio in fide fundata ad nos etiam extenditur: quia ad Christi hæreditatem non solum vocantur Judæi, quorum Abraham est Pater secundum carnem; sed etiam Gentes, quæ per fidem reputantur in semine: unde non per circumcisionem, sed per fidem dictus est *Pater multarum gentium.* Quod additur, *contra spem in spem credidit*, significat tantum, Abraham præter spem naturæ credidisse, se consecuturum a Domino sobolem, tametsi corpus jam esset emortuum, erat enim tunc fere centum annorum; & Sara uxor ejus nonagenaria. Atque his confirmat Apostolus, quæ supra dixerat, nonnisi per gratiam & fidem constitui Abrahami posteros, adversus Judæos, carnalem propagationem, & carnis circumcisionem jactantes. Quid autem hæc, quæso, ad inanem fiduciam hæreticorum? Sed mens Apostoli magis adhuc elucescit ex iis quæ sequuntur versu 20. & seq. Abraham namque *non hæsitavit diffidentia*, sed credidit nasciturum sibi filium, cum fere centum esset annorum, quoniam plenissime sciebat, posse Deum facere, quæcunque promisit. Non fuit ergo fidentia Abrahami initium justificationis ipsius, sed potius effectus fidei, qua in Dei veracitatem, & omnipotentiam credebat. Denique illud ejusdem Apostoli ad Hebr. 10. v. 19. & ad Ephes. 3. v. 12. non evincit fidem justificantem esse *formaliter* fiduciam; sed solum, quod ex fide, qua certo credimus, generetur in nobis fiducia a Deo obtinendi quod petimus.

Ut enim ſupra ex D. Thoma dicebamus, aliquis ſpem & fiduciam concipit *ex hoc, quod credit verbis alicujus auxilium promittentis.*

Idem reſpondendum eſt ad exemplum Evangelici illius Paralytici. Cur enim tanta in Paralytico hoc, & in iis, qui illum ad Chriſtum adduxerant, ſpes & fiducia, ut una cum grabato ſubmitterent illum e tecto; niſi quia Redemptoris fama longe lateque diffuſa, & accedente fidei illuſtratione, credebant revera ipſum eſſe Chriſtum, & omnipotentia præditum? Hæc ergo ſpes & fiducia non erat collati beneficii prior cauſa, quia jam fidem Chriſti ex auditu conceperant, ex qua deinde in ipſis fiducia & ſpes ſalutis enata eſt. Verum hæc ex mox dicendis fient adhuc planiora.

CAPUT II.

Utrum ſola fides juſtificet?

I. Hoc conſtituto, fidem in adulto ad juſtificationem requiri, & hanc non eſſe meram fiduciam, aut fidem promiſſionum divinarum; ſed veram fidem, per quam credimus omne id, quod a Deo revelatum eſt: nunc videre oportet, an fides hæc ſit ſola & unica ad juſtificationem diſpoſitio? Hæretici, de quibus ſupra, communiter docent, ſola fide, tanquam inſtrumento, quo apprehenditur juſtitia Chriſti, juſtificationem acquiri; non quod annexas non habeat virtutes alias, ſed quod illa ſola ſit, quæ juſtificat. *Sicut* (inquit Calvinus in Antidoto) *calor ſolis ſolus eſt, qui terram calefacit, nec tamen ſolus ipſe ineſt ſoli, ſed cum ſplendore: ita fidem oportet non eſſe ſolam, ſed habere comites; licet illæ non juſtificent, ſed ipſa ſola.* Idem ante Calvinum docuit Lutherus in caput 2. ad Gal. ubi poſtquam dixiſſet *ſola fides neceſſaria eſt, ut juſti ſimus*, invehitur in Theologos, quos Sophi-

phistas vocat, eo quod doceant fidem justificare per charitatem, a qua informatur; scribitque illam distinctionem fidei informis, & formatæ esse phanaticam, & pestilentem. In cap. tamen 15. Gen. agnoscit fidem justificantem non esse sine bonis operibus. *Scio*, inquit, *has virtutes esse insignia Dei dona. Scio fidem sine his donis non existere; sed nunc nobis quæstio est, quid cujusque proprium sit. . . . Hic aperte dico, quod faciat sola fides, non cum quibus virtutibus conjuncta sit.* Hinc in sermone de novo testamento impie sugillat bonorum operum merita. *Ego*, inquit, *dico tibi quod angusta est via: oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire. Cæterum qui operibus onerati sunt, sicut conchilibus onustos videmus Jacobi peregrinos, ii non poterunt penetrare.*

Idem reipsa sentiunt etiam recentiores Sectarii. Quamvis enim multa de bonis operibus inconsiderate scripta esse a Luthero & Calvino, & a rigidioribus Protestantibus & Reformatis fateantur, quamvis necessitatem operum ad salutem se concedere præseferant; minime tamen intelligunt necessitatem *efficientiæ*, quasi ad salutem per se gignendam, & justificationem promerendam aliquid valeant; sed necessitatem intelligunt, quam Witembergenses vocant *præsentiæ*, absque concursu ad actum justificationis, quam haberi putant per solam in Christum fiduciam. Alii concedunt ea esse necessaria ad salutem, propter individuum nexum fidei & operum, justificationis & sanctificationis. Nonnulli bona opera in justificatis exigunt, ut signa & effectus veræ & vivæ fidei, vel etiam ut viam quamdam salutis, & conditionem, sine qua nullus adultus salvari potest, sed citra omne meritum. Verbo dicam: opera Hæretici nequaquam negant; bona esse, habere meritum, & ad justificationem disponere, id negant. Contra quos sit

ASSERTIO PRIMA.

Fides est quidem initium, radix, & fundamentum justificationis; non tamen sola homines ad justificationem perducit.

II. Est dogma fidei in Concilio Tridentino definitum Sess. 6. Can. 9. his verbis. *Si quis dixerit, sola fide impium justificari; ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur; & nulla ex parte necesse esse, cum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi; anathema sit.*

Probatur Concilii definitio 1*mo*. Ex iis scripturæ textibus, quos in hunc finem adducit ipsum Tridentinum, eadem Sess. 6. cap. 6. dicens: *de hac dispositione scriptum est* ad Hebr. 11. *Accedentes ad Deum oportet, credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit:* ecce fidem. Et. Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua:* ecce spem, & fiduciam. Eccles. 1. *Timor Domini expellit peccatum:* ecce timorem. Actor 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti:* ecce pœnitentiam. Matth. ultimo. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis:* ecce baptismi & observantiæ mandatorum propositum.

Prob. 2do. S. Jacobus in sua Epist. c. 2. expresse negat, solam fidem ad justificationem sufficere. *Quid proderit,* inquit v. 14. *fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum?* Deinde ponit exemplum in Abraham, cujus fides reputata fuit ad justitiam; quia fidei conjungebat voluntatem operis, nempe sacrificandi super Altare filium suum: *Abraham pater noster*

non-

nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super Altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius; & ex operibus fides consummata est. Denique ita concludit v. 26. *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est: ita & fides sine operibus mortua est.* Quo certe testimonio in eas angustias rediguntur bonorum operum infensissimi hostes Sectarii, ut Lutherus coactus sit, Epistolam illam ex Syllabo Librorum Canonicorum expungere. Verum ad ipsos non pertinet de libris Canonicis judicare, sed ad Ecclesiam, quæ in Concilio Trid. Sess. 4. illam inter libros Canonicos recensuit.

Non desunt tamen & alia ea de re Scripturæ testimonia. Inter quæ, præter jam adducta, illustre est illud Pauli. 1. ad Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem . . . charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et ad Gal. 5. v. 6. *In Christo JESU neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur.* Fides autem, quæ per charitatem operatur, non est sola, sed charitati conjuncta. Ergo fides sola ad justificationem non disponit, sed fides conjuncta cum aliis virtutum actibus, de quibus deinde dicemus.

Refutantur argumenta hæreticorum.

III. Primum atque præcipuum Novatorum argumentum nititur doctrina Apostoli Pauli, tertio & quarto capite Epistolæ ad Rom. expressæ. Ibi namque scribit Apostolus haberi justitiam per fidem JESU Christi, justificari impium gratis per redemptionem, quæ est in Christo JESU, & justificari per fidem sine operibus legis. *Justitia autem DEI per fidem JESU Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* c. 3. v. 22. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo JESU.* v. 24. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.* v. 28.

Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud DEUM. c. 4. v. 2. *Credidit Abraham DEO; & reputatum est illi ad justitiam.* v. 3. His & aliis ejusmodi Apostolicis sententiis ducti Sectarii, nihil in impio, præter fidem, ad justificationem requirunt: ipsam quoque fidem pro suo arbitratu, ut supra vidimus, explanant & circumscribunt. Lutherus certe ea Apostoli doctrina, quam aut non intellexit, aut more suo maligne interpretatus est, inflatus dicere non dubitavit, teste Roffensi art. 36. *Figmenta esse omnia, quæ de præparatione liberi arbitrii ad gratiam tot libris tractata sunt.*

Resp. Evidenter demonstrari, longe aliam fuisse Apostolo mentem, quam eidem Sectarii affingant. Sola Epistolæ illius Paulinæ lectione compertum fit, duo illius præci tata capita in hunc scopum direxisse Apostolum, ut ostenderet, quod lex, exclusa fidei gratia, minime ad justitiam conducat; quod tam Gentium, quam Judæorum opera per circumcisionem expressa, ex fide & per fidem accepta sunt illi, qui est DEus non Judæorum tantum, sed & Gentium; quod Abraham habet gloriam apud DEum, propterea quod non per carnis circumcisionem, sed per fidem Mediatoris factus est pater multarum Gentium: ne videlicet Judæi ad fidem Christi conversi glorientur, quod fuerint semen Abrahæ, quod divinas acceperint promissiones, quod ob circumcisionem, & reliqua legis opera, non per gratiam & redemptionem, quæ est in Christo JESU, vocati fuerint ad Evangelium. At qui talia, & ex hoc fine pronuntiat, nihil aliud intelligit, quam hominem sine fide justificari non posse; & fidem esse initium salutis humanæ, & omnis justificationis fundamentum, ac radicem. Hæc est responsio ipsius Concilii Tridentini Sess. 6. c. 8. ubi sic ait: *Cum vero Apostolus dicit justificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus* te-

tenuit, & expressit: ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis: sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.

Paulus ergo, cum dicit, justificari hominem per fidem sine operibus legis, non excludit opera gratiæ, quæ fiunt ex fide, & ex viribus gratiæ, quales sunt actus timoris, spei, charitatis &c. per quos se ad justificationem disponit. Propterea ad Gal. v. 6. expresse ait: *In Christo JESU neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur.* Et in priori ad Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, . . . charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quis sibi persuadeat, Apostolum arbitrari, quod sola fides justificet exclusis quibuscunque operibus, qui tam aperte docet, fidem absque charitate nihil prodesse? Ea proinde duntaxat opera excludit a justificatione, quæ fidem præcedunt, ac fiunt absque gratia præveniente; sive opera legis tam Mosaicæ, quam naturalis, absque ulla Reparatoris fide patrata; unde dicit, *sine operibus legis:* ut videlicet tam Gentilibus, quam Judæis persuadeat, neminem justificari posse sine fide in Christum, licet observet legem, sive Mosaicam, sive naturalem. Illi quippe, nempe Gentiles, de sua morum disciplina gloriantes, fidem in Christum ut minime necessariam, respuebant; hi vero, nimirum Judæi, de operibus legis præsumentes electionem suam ad fidem proprio merito adscribebant. Utrosque insectatur Apostolus in Epistola sua ad Rom. contra utrosque fidei in Christum necessitatem adstruit.

Sed cum hæretici quidam superstitibus adhuc Apostolis, Epistolam ad Rom. in pravum sensum, a quo non recedunt Novatores, detorquerent, arbitrantes, salvos se esse posse per fidem in Christum, etsi facinorose viverent: ad illorum retundendum errorem Epistola Jacobi, prima Joannis, & secun-

cun-

cunda Petri scriptæ, non sine gravi fundamento creduntur. Id quidem cum multis Veterum censet S. Augustinus c. 14. *de Fide & Operibus:* & potest ex eo demonstrari, quod Petrus ibidem c. 3. v. 16. dicat in Epistolis Pauli esse quædam *difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Igitur de Pauli Apostoli mente juxta doctrinam Jacobi, Joannis, ac Petri judicare æquum est. Atqui Petrus c. 3. hortatur nos, *ut simus in sanctis conversationibus & pietatibus expectantes, & properantes in adventum diei Domini.* Joannes de charitate, & observantia mandatorum specialiter tractat. Jacobus, ut supra vidimus, expresse negat, solam fidem ad justificationem sufficere; eandem sine operibus mortuam esse, instar corporis sine spiritu, & ad salutem nihil prodesse asserit. Quis vero temerarius est adeo, ut Paulum, & dictos tres Apostolos pugnantia scripsisse suspicari audeat? Cum omnes hi divino fuerint Numine afflati, atque tres posteriores in suis Epistolis Pauli mentem expresserint. *Qui putant*, inquit Augustinus L. 83. QQ. q. 76. *istam Jacobi Apostoli sententiam contrariam esse illi Pauli Apostoli sententiæ, possunt arbitrari etiam ipsum Paulum sibi esse contrarium, quia dicit alio loco: Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Et alio loco: sed fides, quæ per dilectionem operatur. Et iterum: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini &c.*

IV. Alterum Sectariorum argumentum est, quod Scriptura pluribus aliis locis justificationem atque salutem fidei tribuat, nulla facta mentione aliorum actuum. Sic Joan. c. 3. dicitur: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Matth. 9. v. 22. *Fides tua te salvam fecit.* Actor. 13. v. 39. *In hoc omnis qui credit justificatur.* ad Rom. 1. v. 17. *Justus ex fide vivit.* ad Galat. 3. v. 8. *Ex fide justificat Gentes DEus.* Et ne reponi possit, hæc intelligenda esse de fide, quæ per dilectio-

nem

nem operatur, extat, inquiunt, Lucæ 8. v. 50. aperta sententia, qua fides ita commemoratur, ut omnes alii actus excludantur: *Crede tantum, & salva erit.*

Resp. Quamvis Scriptura citatis locis solam fidem commemoret, nulla cæterorum actuum facta mentione; fidem tamen intelligit, quæ per dilectionem operatur, & in quantum fides est cæterorum omnium radix & fundamentum; alios proinde actus a justificatione minime excludit. Sic namque pariter Scriptura, cum de dispositione ad justificationem requisita loquitur, interdum nominat solum timorem, ut Prov. c. 14. *Timor Domini fons vitæ.* Quandoque solam spem, ut Prov. c. 28. *Qui sperat in Domino, sanabitur.* Quandoque solam Dei dilectionem, ut Eccles. c. 3. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis.* Nemo tamen dixerit, solum timorem, solam spem, aut solam dilectionem justificare. Itaque cum plures causæ aut dispositiones ad eundem effectum obtinendum concurrunt, Scriptura modo uni, modo alteri causæ aut dispositioni eundem effectum attribuit, tacitis aliis causis & dispositionibus, non tamen exclusis. Neque obstant ea verba apud Lucam, *Crede tantum, & salva erit:* Hæc quippe prolata sunt non de gratia justificante, sed de salute filiæ Principis Synagogæ, ejusque a mortuis suscitatione, quæ Parentis fidei promissa fuerat.

V. Denique recurrunt Sectarii ad authoritatem Patrum, præsertim Augustini, Hilarii, Chrysostomi; quorum prior Lib. 83. QQ. q. 76. Alter *Can.* 8. *in Matth.* Tertius *Orat. de fide & lege*, justificationem & salutem a sola fide agnoscunt.

Resp. Patres neutiquam intelligere fidem mortuam & informem, sed vivam, quæ per dilectionem operatur. Nam ex S. Augustino L. 15. de Trinit. c. 18. *Fides sine charitate potest quidem esse, sed non prodesse.* Et c. 14. de fide & oper.

Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt. In eundem sensum scribit Lib. de Grat. & Lib. Arb. c. 7. pluribusque aliis in locis. Nec in minimo ab ejus, & ab Apostoli doctrina discrepant Patres caeteri, ut perspicuum sit ex ipsismet eorum testimoniis, quae Adversarii ad stabiliendum errorem suum perperam adducunt.

Neque audiendi sunt haeretici reponentes, opera facta ab homine ante justificationem esse opera hominis adhuc peccatoris, fructus arboris malae, & consequenter opera mala & peccata: *Arbor* enim *mala non potest fructus bonos facere.* Matth. 7. v. 18.

Contra namque est, quod licet homo ante justificationem sit adhuc in statu peccati; dum tamen ex motione spiritus sancti concipit actus fidei, spei, timoris &c. jam non agit ut peccator, aut ex affectu ad peccatum, sed potius ex affectu, saltem inchoato, & imperfecto ad justitiam. Unde Tridentinum (ut notavimus Par. 1. Diss. 1. Sect. 2. c. 3.) adversus Novatores sic statuit Sess. 6. Can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vera esse peccata &c. anathema sit.* Licet enim fides in eo non sit adhuc perfecte viva, quia nondum charitate formata; non tamen est prorsus informis, mortua, & otiosa; sed operosa, utpote movens ad opera timoris salutaris, & excitans spei, poenitentiae, & dilectionis actus, quibus via ad justificationem paratur. Hinc peccator est arbor mala: sed dum per fidem excitantur in eo dicti motus salutares, non operatur ex radice mala; sed ex semine bono, quod jacit in cor ejus motio Sancti Spiritus, per quam potest actus aliquomodo vivos, & salutares, esto non meritorios, elicere.

A S-

ASSERTIO SECUNDA.

Præter fidem, ordinarie requiruntur ex Concilio Trident. Sess. 6. C. 6. ad justificationem aliæ sex dispositiones: scilicet, Divinæ justitiæ timor, spes veniæ, dilectio Dei, odium ac detestatio peccati; propositum suscipiendi Baptismum vel Pœnitentiæ Sacramentum, vitæ emendandæ & observantiæ præceptorum.

VI. Et primo quidem loco post fidem ponitur a Concilio timor: *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati gratia divina & adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum . . . & dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur &c.* Ubi namque per fidem intelligit homo se legem transgressum, & damnationis sempiternæ reum esse, Deum autem misericordem ac justum, haud ignorans non posse impium, nisi resipiscat, vitare gehennæ supplicium, divinæ justitiæ timore concutitur. De timore isto legimus. Prov. 14. *Timor Domini fons vitæ.* Eccles. 1. *Qui sine timore est, non poterit justificari.* Item, *Timor Domini expellit peccatum.* Et L. 2. Reg. c. 12. Nathan Propheta comminatione pœnarum Davidem ad pœnitentiam cohortatus est. S. Joannes Baptista idem fecit erga Judæos. Matth. 3. Et ipse Dominus Luc. 12. hortatur ad timendum eum, qui postquam corpus occiderit, animam potest mittere in gehennam. Unde patet, quam vere dixerit Concilium Trid. Sess. 14. c. 4. Timorem illum gehennæ *esse donum Dei, & impulsum Spiritus Sancti, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.* Quibus verbis refellitur alter error Lutheri docentis, timorem, quo quis Deum vindicem timet, esse peccatum, & peccatores pejores facere, ut constat ex Bulla condemnationis ipsius a Leone X. factæ; quam deinde idem Concilium confirmavit. Sess. 6. Can. 8. sic sta-

ſtatuens: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit.*

A divinæ juſtitiæ timore *ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo* (peccatores) *in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore*, ait Tridentinum loco in aſſertione citato; ut proinde ſicut fidem timor, ita timorem ſpes excipiat. Et merito quidem: nam peccator propriam infirmitatem atque demeritum perpendens, ad quem confugiat, niſi ad Deum, quem ſcit infinite miſericordem, nolle mortem peccatoris, neminemque in ſe ſperantem deſerere, ſed propitium fore propter Chriſtum, quem *Advocatum habemus apud Patrem;* & qui *eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* 1. Joan. 2. v. 1. & 2. De ſpe ad juſtitiam diſponente legimus Pſal. 36. v. 40. *Eruet eos a peccatoribus, & ſalvabit eos, quia ſperaverunt in eo.* ad Rom. 8. v. 24. *Spe ſalvi facti ſumus.* Matth. 9. *Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Huc faciunt omnia teſtimonia, quæ pro ſua fiducia adſtruenda adducunt Sectarii: quamvis illi eisdem abutantur, ponentes fiduciam & quidem ſolam eſſe cauſam immediate apprehendentem juſtitiam; cum e contra Catholici cum Concilio Trid. eam exigant tanquam diſpoſitionem cum reliquis ad juſtificationem concurrentem. Porro, quamvis objectum ſpei alia multa comprehendat; in negotio tamen juſtificationis ſolum reſpicit ſpes veniam peccatorum, & reconciliationis gratiam per Chriſti merita obtinendam.

Commemorat deinde Sacro-Sancta Synodus dilectionem, qua Deum *tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt;* juxta illud Eccl. 2. *Qui timetis Dominum, ſperate in illum . . diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra.* Si hæc dilectio ſit perfecta, eſt ultima diſpoſitio, & juſtificat extra Sacramentum actu ſuſceptum, juxta illud Chriſti Domini. Luc. 7.

Re-

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Si sit imperfecta, est dispositio dumtaxat remota, nec justificat extra Sacramentum. Quid sit autem amor ille perfectus & imperfectus, opportunius explicatur in Tractatu de Sacramento pœnitentiæ.

Postquam peccatores ad justitiam se disponentes cœperunt diligere Deum omnis justitiæ fontem, *moventur,* inquit Concilium, *adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Hanc præsertim dispositionem ad peccatoris justificationem requiri, patet ex innumeris prope locis, quibus Scriptura hortatur peccatores, ad odio habenda & detestanda peccata, ad pœnitentiam agendam. *Et certe* (inquit eadem Synodus alio loco, scilicet Sess. 14. c. 4.) *qui illos Sanctorum clamores consideraverit:* Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Psal. 50. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ: *Et alios hujusmodi generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.*

Denique, concludit Tridentinum sæpe citata Sess. 6. c. 6. *dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.* Requiri namque in Infideli, ut disponatur ad justificationem, propositum suscipiendi Baptismum, constat ex dicto Petri, Actor. 2. v. 48. Ubi prædicatione ejus multi compuncti corde cum dicerent: *Quid faciemus viri fratres?* Respondit Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine JEsu Christi. . . Et accipietis donum Spiritus Sancti.* Requiri etiam in baptizato propositum suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ, docet idem Tridentinum Sess. 14. c. 4. definiens, quod etsi contritio charitate perfecta hominem Deo reconciliet, priusquam Sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur; *ipsam nihilominus re-*

reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Requiri quoque propositum vitæ emendandæ, & præcepta Dei observandi, colligitur ex illo Ezech. 18. v. 21. *Si autem impius egerit pœnitentiam . . . & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam; vita vivet &c.* Et v. 31. *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Quæ verba significant propositum efficax emendandæ vitæ, & servandi præcepta, ad justitiam tum aquirendam, tum conservandam. Hoc tamen propositum non debet semper expressum esse, quemadmodum nec reliqui virtutum actus; sed aliquando sufficit, si virtualiter & implicite eliciantur: ut dum quis vere dolet se Deum offend sse, eo quod illum perfecte & super omnia diligat; is enim & virtualiter in Deum credit, & timet illum timore filiali ac reverentiali, & sperat in eum, quem summe bonum agnoscit, & deinceps vult illi obsequi, omniaque præstare, quæ ipsi placita esse cognoscit. Sed de his plenius & ex proposito agere pertinet ad Tract. de Sacramentis.

CAPUT III.

Utrum justus excidere possit a gratia sanctificante?

I. Calvinus ex falso suo principio, quo statuit peccatorem sola fide justificari, qua certo credit sibi peccata remissa, seque prædestinatum esse; consequenter deducit, ut videre est L. 3. Inst. c. 2. gratiam justificantem nunquam amitti, tametsi quis in gravia & lethalia peccata prolabatur, sed justum semper remanere, quamdiu fides in corde remanserit. Idem sentit Theodorus Beza in colloquio, quod habuit cum Jacobo Andrea Lutherano. Item Dordrechtana Synodus contra Ar-

Arminianos coacta Anno 1619. Can. 4. 5. & 6. Chamierius Tom. 3. Libro 6. cap. 12. Rivetus in Apologetico, & alii. Nonnulli tamen cum Forbesio erroneam hanc doctrinam nonnihil temperant, profitentes, se non negare, aliquando justificatum ita deperdere Sanctitatem, ut in reatu mortis æternæ permaneat, donec resipiscat, omnes tamen justos ad pœnitentiam adduci post scelera; quoniam licet actu iniquitatem operentur, habitudine retinent fidem & charitatem, quæ semen est vitæ æternæ. Sed contra detestandum hunc errorem, utroque sensu intellectum extat Canon 23. Sess. 6. Concilii Trident. his verbis conceptus: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; atque ideo eum qui labitur & peccat, nunquam vere fuisse justificatum . . . anathema sit.* Secundum quam definitionem fit sequens

ASSERTIO.

Justus, quamdiu vitam hanc mortalem agit, amittere potest gratiam sanctificantem.

II. Id primo evincitur ex Scripturis. Nam Psal. 2. scriptum est: *apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Ezech. 18. *Cum averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis.* Item, *justitia justi non liberabit eum, in quacunque die peccaverit.* Sic Lucifer justitiam, in qua conditus fuerat, per peccatum amisit. Sic Adam, quem Deus cum bona voluntate, & in gratia creaverat, inobedientia seipsum ac posteros perdidit. Sic David, quicum diu innocentiam servasset, prolapsus in adulterium atque homicidium, se coram Deo, ejusque Propheta Nathan confessus est impium & peccatorem. Petro etiam dixerat JEsus, quod mundus esset, & nihilominus negavit se nosse Magistrum suum, anathematizando & jurando. Quibus

bus exemplis perterritus Paulus 1. ad Cor. 9. *Caſtigo*, inquit, *corpus meum*, *& in ſervitutem redigo*, *ne forte cum aliis prædicaverim*, *ipſe reprobus efficiar*. Propterea cap. 10. graviter monet: *Qui ſe exiſtimat ſtare*, *videat ne cadat*.

Mitto alia Apoſtoli adverſus inſulſum hoc dogma referre teſtimonia, quorum pleraque fidem & gratiam amitti diſerte, & citra ullum exceptionis locum pronunciant. Cujusmodi illud eſt 1. ad Tim. 1. *Quidam circa fidem naufragaverunt*, *ex quibus eſt Chymenæus & Alexander*. Item ad Galat. 5. *Evacuati eſtis a Chriſto*, *qui in lege juſtificamini*, *a gratia excidiſtis*. Et illud ad Rom. 8. quod in ſuæ cauſæ patrocinium afferre ſolent Reformati. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis*, *qui ſunt in Chriſto JEſu*, *qui non ſecundum carnem ambulant*: atque hinc perperam colligunt, peccata juſtificatorum ad damnationem non imputari. Et tamen id non docet Apoſtolus; ſed, nihil damnationis eſſe in iis, qui ſunt in Chriſto JEſu, qui ſcilicet non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulant. Unde paulo infra ſubjicit: *Debitores ſumus non carnis*, *ut ſecundum carnem vivamus*. *Si enim ſecundum carnem vixeritis*, *moriemini*. Non ita profecto ſcripſiſſet Apoſtolus, ſi juſtificatio amitti non poſſet; cum ſecundum carnem vivere non poſſent juſtificati.

III. Sed operæ pretium non videtur, Scripturarum teſtimoniis uti ad refellendum dogma, cujus impietatem & repugnantiam ratio ipſa evidenter demonſtrat. Mirari profecto ſatis non poſſumus, hoc opinionis monſtrum in cujusquam hominis mentem venire potuiſſe, ut fideles juſti eſſent ſimul & raptores; caſti, & adulteri; mites, & homicidæ. Atque hæc portenta diſtinctiunculis ad libitum effictis tegere fruſtra moliuntur: manere videlicet caſtitatem in adultero, charitatem in homicida quoad habitum, non quoad actum; *hoc eſt*, inquit Tertullianus, *ſalva caſtitate matrimonia violare*, *ſalva pietate parenti venenum temperare*: cum tamen inter omnes

Theo-

Theologos ratum eſt, charitatem cum peccato lethali ſimul eſſe non poſſe, & infuſos habitus non alia ratione deſtrui, quam noſtris ſceleribus. Ut nihil jam dicam ex impia hac doctrina omnimodam ſequi morum ſubverſionem. Si namque juſtus non poſſet in ſe Spiritus Sancti gratiam extinguere, quantumcunque deteſtabiliter peccet, modo non timeat propterea mitti in gehennam, nec de prædeſtinatione ſua diffidat: ſequitur, juſtis & Dei amicis contra indeliberatos timoris motus, quibus Spiritus Sanctus ad declinandum peccatum & ad perſeverandum incitat, pugnandum eſſe veluti contra graviſſimam & periculoſiſſimam tentationem. Deinde cuilibet ſuadendum eſſet, ut fortiter credat, & liberius peccet: quia nihil ita expellit timorem, quam peccandi aſſiduitas, qua induratur cor, & præſumptio contra deſperationem inducitur. Sequeretur præterea, quemlibet juſtum actu perſeverare, nec eſſe perſeverantiam ſpecialiſſimum donum, neque juſtum teneri ad illam aſſiduis precibus implorandam; nihilque eſſe, cur ſalutem ſuam operetur cum timore & tremore, aut revereatur Omnipotentem, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam. His autem num abſurdius aliquid fingi poteſt? Videamus nihiloſecius, quid contra objectent Remonſtrantes.

IV. *Opponunt* ea Scripturæ teſtimonia, quæ perennem Dei cuſtodiam, & tutelam fidelibus pollicentur. Sic Pſal. 36. dicitur: *Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* Et infra: *Quia Deus amat judicium, & non derelinquet Sanctos ſuos, in æternum conſervabuntur.*

Reſp. Eo loco ſermonem haberi, vel de quotidianis & levioribus peccatis, ſine quibus juſtus vitam non decurrit; quæque eum ad graviora perducerent, ſi gratiæ præſidio munitus non præſervaretur: vel certe ibidem agi de vitæ hujus tribulationibus, quibus, ſi Dominus ſupponat manum ſuam, animus juſtorum non frangitur. Ita interpretatur Auguſtinus Serm. in eundem Pſal. n. 17. *Contingat illi, ut aliquam tribu-*

lationem patiatur, aliquam exhonorationem, aliquam contumeliam . . . proponat ſibi Dominum ſuum, quanta genera tentationum paſſus eſt, & non conturbabitur, cum ceciderit, &c. Quod vero ſubjicit Propheta, juſtos in æternum non derelictum iri, id utique verum eſſe alibi probatum eſt. At ſi Deum ante derelinquant, ipſi quoque juſte a Deo deſeri poſſunt.

V. His affinis eſt alter Scripturæ locus Jerem. 32. quem nobis pariter objiciunt hæretici: *Et dabo eis cor novum . . . Et feriam eis pactum ſempiternum, & non deſinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.* Ergo, inquiunt, ex divinis promiſſis conſtat, juſtos a Deo nunquam recedere: ipſeque S. Auguſtinus hunc locum in eandem ſententiam affert, ut juſtorum probet perſeverantiam.

Reſp. Ex contextu hujus loci id liquere, Prophetam Judæos alloqui in varias regiones diſperſos, quibus reditum in patriam pollicetur, & renovandum a Deo fœdus, quod ipſi in Ægypto multis modis violarunt, multaque alia beneficia ipſis deinceps præſtanda. Hinc paulo ante dixerat: *Ecce congregabo eos de univerſis terris, ad quas ejeci eos in furore meo, & in ira mea, & in indignatione grandi; & reducam eos ad locum iſtum, & habitare eos faciam confidenter.* Locus igitur iſte ad litteram explicatus ad Judæos ſpectat, non ad fideles omnes, niſi allegorice eum velint intelligi: ſed ipſi negant ſenſum allegoricum ulli dogmati conſtituendo præſtrui oportere. Verum nos ultro concedimus, ad Chriſtianos in ſpiritali ſenſu referri poſſe, ita ut in illo novo fœdere etiam Evangelii gratia prænuntiata intelligatur; negamus tamen, propheticum illum textum de omnibus omnino fidelibus intelligi debere, aut poſſe, cum fideles quam plurimi a Deo recedant, & in ſuis criminibus perſeverent. Neque Auguſtinus eum locum adhibet, ut probet ſemel juſtificatos nunquam a fide

fide & justitia discedere; quia nec ipsi, nec ulli Patrum unquam in mentem venit, ut eum castum esse existimet, qui adulteria perpetrat, mitem, qui alios trucidat &c. Sed ut ostendat, perseverantiam esse donum speciale, non omnibus justificatis, sed electis dumtaxat misericorditer præparatum, quibus propterea Deus timorem & amorem sui ad vitæ usque finem aspirat, ut ab eo non recedant.

Sed, inquiunt ex Apost. ad Rom. 8. *Quos autem justificavit, hos & glorificavit.* Ergo justus omnis idem est electus.

Resp. Neg. conf. Apostolus quippe de vocatione secundum propositum, seu de electis eo loci verba facit. Nam id paulo ante præmiserat: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Sed nusquam docet, eos quos ita præscivit, a justitia non posse dimoveri.

VI. Opponunt rursus hæretici illud ex Epist. 1. Joan. 3. v. 6. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Quibus verbis probat Apostolus, eum, qui natus est ex Deo, deserere non posse justitiam; quia, ut scribit v. 6. *Omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.* Atqui dici non potest, quod natus ex Deo non cognovit eum, cum natus sit per verbum veritatis, juxta illud Jacobi 1. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis.* Ergo.

Resp. Qui natus est ex Deo, & in se habet semen ejus, non potest peccare: quia charitas, cum sit plenitudo legis, peccatum grave non patitur, quemadmodum fides informis. Homo quippe sola fide instructus aliquando graviter peccat, & nihilominus remanet fidelis: justus econtra non ita peccare potest, alioquin sic peccando desinit esse justus, & gratiæ semen in eo suffocatur: ideoque recte scribit Augustinus Tract. 4. in Epist. 1. Joan. c. 3. n. 8. *In quantum in ipso manet, in tantum non peccat.* Sunt ergo ejusmodi loca exponenda *in*

ſenſu compoſito, videlicet quod componi nequeat cum gratia juſtificante ſcelerum contaminatio.

VII. Una denique & eadem reſponſio adhiberi poteſt cæteris, quæ congerunt teſtimoniis, quibus ex ipſa juſtificationis natura, & charitatis perfectione probari ajunt, eandem amitti non poſſe : ut ex Epiſt. ad Philipp. c. 1. *Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem JEſu Chriſti.* Item ad Rom. 8. *Certi ſumus, quod neque mors, neque vita nos ſeparabit a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JEſu Domino noſtro.*

Primum enim quod attinet, Apoſtolus ex perſpecta ſibi Dei miſericordia de boni operis perfectione confidit, non ea de cauſa, quod ſibi revelatum eſſet, in eo cœtu omnes electos eſſe; aut quod ſemel juſtificati de eo ſtatu dimoveri nullis ſceleribus poſſent. Nam frequenter nos admonet, ut cum timore & tremore ſalutem noſtram operemur.

Quod vero de ſeipſo ait ad Rom. 8. ad omnes fideles pertinere quademum ratione evincitur? An juſti omnes id de ſeipſis prædicare potuerunt? Cum tot fideles mortis metu, aut bonorum temporalium cupiditate Chriſti fidem ejuraverint. Quo hæc Apoſtoli ſententia ſpectet, ex ipſo contextu ſatis liquet: hæc enim præmiſerat: *Quis ergo nos ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames? &c. . . Sicut ſcriptum eſt, quia propter te mortificamur tota die . . ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos: certus ſum enim, quia neque mors*, &c. An forte iſta cum inſulſo Calviniſtarum dogmate de juſtitia inamiſſibili cohærent? Illos dicit Apoſtolus nulla vi a charitate Chriſti divulſum iri, qui illatas ſibi perſecutiones ſuperant, non vero illos, qui ab iis victi Chriſtum abnegarunt. Neque mors, neque vita, neque aliud quidlibet ſeparare poteſt a charitate Chriſti; ſola enim mala voluntas id efficit. Propterea fideles admonet, ne ſecundum carnem vivant; quod utique non faceret,

ceret, si justificati non possent per malam voluntatem a Dei charitate divelli: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Non enim est semel arrepta justitia ejus generis, ut non possit extingui; nec adeo certa, ut non debeat justificatus, quamdiu agit mortalem vitam, ullatenus pertimescere.

CAPUT IV.

An aliquis certo scire possit, se esse justificatum?

I. EX eodem illo falso principio, quod superioribus Capitibus refutavimus, alter consequitur non minus detestandus Sectariorum error: scilicet, hominem non modo certum esse certitudine fidei, quod justificatus sit, ac in statu gratiæ sanctificantis constitutus; sed & hoc de se ipso quemvis debere certo tenere ac credere, adeo, ut si quis ea de re tantisper dubitet, nec justus amplius sit, nec fidelis.

Ita docuit Lutherus in Thesibus publicis anno 1518. quarum 13tia hæc erat: *Usque ad infidelitatem errant, qui remissionem culpæ incertam asserunt, propter incertitudinem contritionis.* Item 14ta: *Quantumlibet incertus sit tam Sacerdos, quam peccator de contritione, rata est absolutio, si credit se absolutum.* Et 15ta: *Certum est ergo, remissa esse peccata, si credit remissa; quia certa est Christi Salvatoris promissio.*

Eadem fuit Calvino mens, cum L. 3. Instit. c. 2. §. 16. & sequentibus, & in Antidoto Concilii Trid. ad c. 13. & 1. Sess. 6. asseruit, quemlibet fidelem non solum esse certum de sua justificatione, sed etiam teneri ad credendum, se per Christi justitiam sibi imputatam esse justificatum. Contra quos sit

ASSERTIO UNICA.

Nemo in hac vita mortali positus, absque speciali revelatione, tenetur, aut potest certo certitudine fidei divinæ credere, vel scire, se esse justificatum.

II. ITa Concilium Trident. Seff. 6. cap. 9. ubi sic legitur: *Sicut nemo pius de misericordia Dei, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, ac timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam DEI esse consecutum.* Et Can. 13. dum ait: *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, & absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis & dispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.* Item Can. 14. *Si quis dixerit . . . neminem vere esse justificatum, nisi qui credat, se esse justificatum . . . anathema sit.* Denique Can. 15. *Si quis dixerit, hominem renatum & justificatum teneri ex fide ad credendum, se . . . esse in numero prædestinatorum, anathema sit.*

Multis Scripturarum locis hæc veritas Catholica firmari solet. Præcipua hic subjicimus: Job. 9. v. 20. & 21. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.* Psal. 18. v. 13. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Prov. 20. v. 9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Eccles. c. 9. v. 1. *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta.* In quem locum S. Hieronymus sic scribit: *Sensus est, inveni justorum quidem opera in manu Dei, & tamen utrum a Deo amentur, aut non, nunc eos scire non posse, & ambiguos fluctuare,* utrum

utrum ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium. In futuro igitur scient.

Apostolus in 1. ad Corinth. 4. v. 4. & 5. *Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare.* Occurrit hoc loco in Græco codice verbum δικαιοῦσθαι, esse a vitiis purgatum & liberum: ita enim accipitur Esajæ 53. 11. Dan. 12. 3. Actor. 13. 38. ad Rom. 6. 7. & alibi. Ut proinde Apostolicæ sententiæ sensus sit: Etsi nullius criminis mihi conscius sum, non propterea sum immunis a culpa; fortasse enim habeo peccatum, quod me habere nescio. Hunc certe sensum optime assecuti sunt, & exposuerunt SS. Patres: Chrysostomus, qui verba illa Apostoli expendens, *non Corinthios tantum*, inquit, *sed seipsum privat hoc judicio.* S. Hieronymus L. 2. contra Pelag. *temperabat sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset, quanta abyssus sit, audite.* S. Augustinus in Psal. 41. *Tantam profunditatem credit esse in homine, quæ lateat ipsum hominem, in quo est.* S. Gregorius L. 9. Moral. *Conditoris contra me judicia, qua temeritate redarguo, qui ipsum me de infirmitatis caligine ignoro.* Et Lib. 2. Regist. Epist. 22. ad Gorgoniam Augustæ cubiculariam, quæ ab ipso scire cupiebat, an sibi essent remissa peccata, inter alia hæc rescribit. *Rem mihi difficilem, & tibi inutilem postulasti. Difficilem quidem; quia indignus sum, cui revelatio immittatur a Deo. Inutilem etiam; quia securitas negligentiam parit.* Ecce sanctissimus æque ac sapientissimus Pontifex fatetur se ignorare, neque a quoquam absque Dei revelatione cognosci posse, quod hodie Novatores exploratum se habere profitentur.

III. Verum non Scripturarum modo, & Patrum authoritate, sed ipsa etiam ratione erroris convincuntur. Etenim ut aliquid certum sit certitudine fidei, debet vel immediate contineri in verbo Dei, vel saltem per necessariam illationem ex eo deduci. Atqui, quod ego, vel quilibet alius sit in statu gra-

gratiæ, neque eſt in Scriptura, ſeu verbo Dei immediate revelatum; neque ex eo per neceſſariam illationem deduci poteſt. Eſto enim in verbo Dei contineatur, quod qui ad Deum ex toto corde convertitur, & ex animo pœnitet, Deus convertatur ad ipſum per gratiam; non tamen in verbo Dei continetur, neque inde neceſſario deducitur, me, vel alium, re ipſa ex toto corde converſum, & ex animo pœnitentem eſſe, easque omnes conditiones implere, quæ neceſſariæ ſunt ad conſequendam a Deo gratiam: quo argumento utitur ipſum Concilium Trid. loco ſupra citato.

Præterea inanis illa hæreticorum fiducia ſicut infert certitudinem juſtitiæ, ita ſecundum ipſos infert certitudinem perſeverantiæ, & prædeſtinationis divinæ; opinantur enim hominem juſtificatum amplius peccare non poſſe, & certum eſſe de ſuamet prædeſtinatione. Atqui fiducia hæreticorum non recte infert certitudinem perſeverantiæ, ut ſuperiore capite demonſtravimus; neque certitudinem prædeſtinationis, ut pluribus demonſtrat S. Auguſtinus L. de dono perſev. c. 24. de Civit. Dei l. 11. c. 12. de Corrept. & Grat. c. 13. & ut apertiſſime ex hactenus dictis deducitur. Ergo fiducia illa hæreticorum non recte infert certitudinem juſtificationis.

Denique non omnes Lutherani & Calviniſtæ ſunt prædeſtinati; & tamen nullus eſt ex iis, qui non indubitanter credat, peccata ſibi dimitti. Ergo plures ex iis hac ſua perſuaſione decipiuntur. Ipſemet certe Calvinus fatetur, plures ſe credere prædeſtinatos, qui revera ſunt reprobi, ac proinde falli in hac ſua prædeſtinationis fiducia. Igitur nullus poteſt eſſe certus certitudine fidei ſe eſſe prædeſtinatum. Vel proferant ſignum aliquod certum & indubitatum, quo conſtet, hos eſſe prædeſtinatos, ac proinde veram fidem habere; illos vero eſſe reprobos, ideoque inani fiducia deludi.

Di-

Dicent fortaſſis, Spiritum Sanctum certam in prædeſtinatis fiduciam excitare, non item in reprobis.

Sed contra eſt, quod Lutherani & Calviniſtæ omnes & ſinguli dicant, & credant, a Spiritu Sancto ſe moveri ad credendum, nec poſſint diſcernere, quis in hac perſuaſione decipiatur. Ergo non ſolum non habent certitudinem fidei de ſua juſtificatione; ſed deſtituuntur etiam certitudine ſpei, qua obedientes Eccleſiæ Catholicæ filii, nullorum ſibi criminum conſcii, & nihilominus ob propriam infirmitatem formidantes, ac bonis interea operibus inſudantes, in ſpem eriguntur promiſſæ certantibus & vincentibus retributionis.

Hæc nempe eſt illa certitudo, quam ſolam citra omnem revelationem habere poſſumus de juſtificatione noſtra in hac vita mortali, quæque oritur ex conſcientiæ ſibi recte conſciæ tranquillitate, bonorum operum ſtudio, rerum temporalium contemptu, &c. quæ ſunt indicia quædam, & veriſimilia argumenta, ex quibus homini conjicere licet, ſe gratiam juſtificationis eſſe conſecutum. In iis tamen, qualiacunque ſint, penitus conquieſcere nullus debet, neque in ſe ipſo confidere, vel gloriari; *Quoniam*, ut recte monet Concilium Trid. Seſſ. 6. c. 16. *Omnis hominum vita non humano judicio examinanda, & judicanda eſt; ſed Dei, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo.*

Reſpondetur Sectariorum argumentis.

IV. *OBjiciunt* inprimis Scripturam, ad præſumptam illam ſuam certitudinem evincendam.

Et quidem 1*mo*. Exemplum Abrahami, qui certo ſcivit ſe eſſe in gratia, juxta illud Gen. 22. v. 12. *Nunc cognovi, quod times Deum*, id eſt, *cognoſcere te feci*: timor autem ille, utpote filialis, non erat ſine gratia.

2*do*. Dominus Joan. 13. v. 35. *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Multo ergo magis poterit homo de ſe ipſo cognoſcere, ſe eſſe diſcipulum Chriſti, ſi dilectionem habeat ad proximum.

3*tio*. Paulus ad Rom. 4. v. 14. & 16. *Si enim qui ex lege, hæredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio;* quia ſcilicet omnes legem ſunt transgreſſi. *Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni homini.* Hæc non verba ſunt, ait Chemnitius, ſed fulmina contra Concilium Trid. Ergo certitudine fidei credenda ſunt Dei promiſſa.

4*to*. Idem Paulus ad Rom. 8. v. 16. *Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei.* Quid autem certius Spiritus Sancti teſtimonio?

5*to*. Rurſus Apoſtolus 2. ad Corinth. 13. v. 5. *Voſmet ipſos tentate, ſi eſtis in fide, ipſi vos probate. Annon cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus JEſus in vobis eſt? Niſi forte reprobi eſtis?* Ergo qui reprobi non ſunt, ſciunt Chriſtum in ipſis eſſe, & ſe in ejus gratia.

6*to*. Iterum Apoſtolus 1. ad Cor. 2. v. 12. *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis.*

Hæc præcipua ſunt, quæ pro errore ſuo ſtabiliendo jactant Sectarii: ſed quam inaniter, videamus.

Ad 1*mum*. Reſpondit jam antea S. Thomas hac q. 112. art. 5. ad 5. *Quod illud verbum Abrahæ dictum poteſt referri ad notitiam experimentalem, quæ eſt per exhibitionem operis. In opere enim illo, quod fecerat Abraham, cognoſcere potuit experimentaliter, ſe Dei timorem habere. Vel poteſt hoc etiam ad revelationem referri:* quatenus ſcilicet Deus Abrahamum per revelationem de ſua juſtificatione certum reddidit.

Ad 2*dum*. Reſp. Chriſtum verbis illis ſignificare voluiſſe, dilectionem mutuam eſſe veluti characteriſticam, qua ab omnibus ut Diſcipuli Chriſti dignoſcerentur: quæ tamen non certi-

ti-

titudinem fidei, sed conjecturalem dumtaxat notitiam parere potest. Etenim num dilectio ejusmodi sit ex sincero in Deum affectu, & proinde effectus gratiæ; an ex naturali potius instinctu, & motivo quodam temporali; nec alii, immo nec ipse qui diligit, certo cognoscere potest.

Ad 3*tium*. Admittimus credenda esse fide divina promissa generatim facta, e. g. hæc: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* quia Deus hæc dixit, nec eorum veritatem labefactare potest hominum iniquitas. Sed negamus, quod fide divina credi debeat, aut possit, promissa illa mihi aut alteri in particulari applicari, dum invoco nomen Domini, dum panem hunc manduco: quia certus non sum me invocare nomen Domini, aut panem, quem dedit nobis Dominus, manducare sicut oportet; Deus enim istud posterius mihi non revelavit. Quoniam licet promissio illa sit universalis, singulis tamen facta non est, nisi conditionate, si videlicet conditiones ex parte ipsorum requisitas adimpleant.

Ad 4*tum*. Resp. Nihil omnino certius esse Spiritus Sancti testimonio: sed quis nos securos reddit, hoc testimonium esse a Spiritu Sancto? Istud, citra revelationem nobis constare non potest, nisi per experientiam cujusdam suavitatis, & tranquillitatis conscientiæ, piosque affectus, quibus confidenter dicimus: *Abba Pater.* Quæ cum inveniri possint etiam in non justis, nec possimus certo scire, ea esse a Spiritu Sancto, veraque signa filiationis divinæ; ideo solam cognitionem conjecturalem parere possunt, non certitudinem fidei. Propterea nos monet Joannes in sua prima Epist. c. 4. v. 1. *Nolite omni spiritui credere: sed probate Spiritus, si ex Deo sunt.*

Nonnulli verba illa Apostoli intelligi volunt de tota Ecclesia, cui Spiritus S. testatur, quod habeat Spiritum adoptionis, non autem de singulis Christianis; eo quod comparet ibi Ecclesiam cum Synagoga, quæ habuit tantum spiritum servi-

tutis in timore; & in sequentibus significet, aliquos ex iis, ad quos scribit, esse contentiosos, & infirmos in fide, ut constat ex c. 14.

Ad 5*tum*. Resp. Apostolum ibi non loqui de gratia sanctificante; sed de gratiis gratis datis, de dono linguarum & aliis miraculis, quæ frequentia erant in Ecclesia Corinthiorum, & per quæ Apostolus efficaciter probabat, se a Deo missum, & Christum esse filium Dei. Propterea subjungit: *Nisi forte reprobi estis*, hoc est, nisi aliqui inter vos ex infidelitate blasphemantes divina illa opera tribuant magicis artibus. Præterea, Apostolus hortatur Corinthios, ut se ipsos tentent ac probent: si autem certi essent de gratia, tentatione ac probatione non egerent. Neque post probationem certi esse possunt, nisi quadam probabili & morali conjectura.

Ad 6*tum*. Resp. Vel ex ipso contextu liquere, Apostolum loqui de Mysteriis nostræ Religionis, ac præsertim de Oeconomia Redemptionis per JEsum Christum, quæ fuerat abscondita, quamque nemo sine Spiritu Dei cognoscere potest. *Quis enim hominum*, inquit, *scit quæ sunt hominis*, *nisi spiritus hominis*, *qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt*, *nemo cognovit*, *nisi Spiritus Dei. Nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus*, *sed Spiritum qui ex Deo est*, &c. Vel certe, ut observat S. Thomas hac q. 112. art. 5. ad 4. *Apostolus ibi loquitur de donis gloriæ*, *quæ sunt nobis data in spe*, *quæ certissime cognoscimus per fidem*, *licet non cognoscamus per certitudinem*, *nos habere gratiam*, *per quam nos possumus ea promereri. Vel potest dici*, *quod loquitur de notitia privilegiata*, *quæ est per revelationem.* Unde subdit: Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.

V. *Objic. 2do:* Adultus cum baptizatur, potest certo cognoscere, qua fide & intentione Sacramentum recipiat. Ergo certus esse potest de sua justificatione: certum namque est

eſt certitudine fidei, Sacramenta conferre gratiam juſtificantem ea recipienti cum debita diſpoſitione.

Reſp. Neg. ant. Ad recipiendam enim per Baptiſmum gratiam requiritur in adulto diſpoſitio aliqua ſupernaturalis: hanc vero nequit homo certo cognoſcere certitudine nedum divina, ſed nec abſolute humana. Debet inſuper eſſe certus certitudine, cui non poſſit ſubeſſe falſum, de intentione Miniſtri conferentis Baptiſmum; ad quam certo cognoſcendam nullum habet medium.

Inſt. Sacerdos, qui baptizavit infantem, certus eſt certitudine ſcientiæ, immo & fidei illum eſſe in gratia. Certus enim eſt Baptiſmum conferre gratiam, ex opere, ut ajunt, operato: certus eſt, ſe adhibuiſſe veram aquam, protuliſſe verba, habuiſſe intentionem, & infantem non poſuiſſe obicem. Ergo poterit etiam certus eſſe de ſua propria juſtificatione.

Reſp. Neg. conſ. Quia in adulto, ad recipiendam per Sacramentum gratiam requiritur, ut mox diximus, diſpoſitio ex motivo ſupernaturali elicita, quam cum certo ſcire nequeat ſe habuiſſe; ideo certus eſſe non poteſt, ſe gratiam recepiſſe. At ad Baptiſmum conſerendum ex parte Miniſtri nullus actus ſupernaturalis requiritur; ſed ſufficit, quod intentionem habeat actualem, vel virtualem faciendi, quod facit Eccleſia, quod debitam materiam & formam adhibeat, cæteraque neceſſaria impleat exterius, quæ omnia certo ſcire poteſt qui baptizat.

VI. *Objic. 3tio.* Si juſtus certus non ſit de ſua juſtitia, ſemper fluctuabit ac trepidabit, & nunquam illa pace perfruetur, quam juſtis pollicetur Apoſtolus ad Rom. 5. v. 1. *Juſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum.*

Resp. Ut justus conscientiæ tranquillitate, & interiore pace fruatur, satis est, quod cognitionem habeat conjecturalem, & certitudinem spei in eo sitam, quod nullius sibi criminis sit conscius, ac per bona opera certam vocationem suam facere satagens, in spem erigatur promissæ certantibus coronæ. Hæc autem certitudo licet non auferat omnem formidinem, tollit tamen anxietatem. Neque expedit justo, ut de sua justitia sit prorsus securus; cum, ut monet nos supra laudatus S. Gregorius, securitas negligentiam pariat. Propterea Proverb. 28. v. 14. dicitur: *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Et 1. Petr. 1. v. 17. *In timore incolatus vestri tempore conversamini:* & hoc ideo, quia Deus *sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus.* Et ad Philipp. 2. v. 12. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.*



DIS-

DISSERTATIO SECUNDA

DE

JUSTORUM BONIS OPERIBUS ET MERITO.

ALter gratiæ justificantis effectus sunt bona justorum opera, quæ cum eliciuntur ex gratia, dignos efficiunt, ut a DEO æternæ gloriæ præmium reportent. De his præsenti Dissertatione acturi, inquiremus primum in bonorum operum naturam ac necessitatem, ipsorum meritum, & conditiones ad merendum requisitas. Deinde de præmio Operibus meritoriis respondente disseremus.

SECTIO I.

DE

BONIS OPERIBUS, EORUM MERITIS, ET CONDITIONIBUS AD MERENDUM REQUISITIS.

CAPUT I.

Utrum Opera ex gratia elicita sint vere bona? Et quanta sit ipsorum ad salutem necessitas?

I. CUm iisdem heterodoxis, adversus quos de justificatione dimicatum fuit antea; nunc de bonis operibus & meritis collato pede pugnandum: tametsi vix inter eos hac de re conveniat, ac plerique e recentioribus ab Authorum suorum opinione discesserint.

Id tamen plerisque nostræ ætatis Novatoribus, tum Lutheranis, tum Calvinistis commune est, ut negent nos legi divinæ posse ulla ratione satisfacere, omniaque hominum opera, etiam illa, quæ Spiritu sancto inspirante & movente eliciuntur, infici velint concupiscentia, & privati amoris fœditate, ac proinde vera esse peccata. Ita docet L. 3. Instit. Calvinus. Et Lutherus art. 33. asserit, justum in omni opere bono peccare. Sic etiam statuit Augustana Confessio: *In hac tanta infirmitate & immunditia naturæ Sancti non satisfaciunt legi.* Id ipsum Anglicana posterior declarat; item Helvetiana art. 2. *Neque vere potuit aut potest ulla caro legi Dei satisfacere, & hanc adimplere ob imbecillitatem in carne nostra ad extremum usque spiritum, in nobis hærentem & permanentem.* Eadem pene est omnium heterodoxorum sententia.

Non diffitentur quidem Catholici, legem Dei etiam a justis non posse sic impleri, ut totius vitæ decursu ne venialiter quidem peccent, neque indigeant remissione peccatorum, ut a nobis ostensum est Par. 1. Diss. 1. Sect. 2. c. 4. Verum heterodoxi longe alia ratione ducti observantiam legis impossibilem esse volunt. Primum, quod peccatum omne, quantumvis leve, ex natura sua lethale sit, & mereatur damnationem æternam; quod refellere ad tractatum de peccatis pertinet. Deinde addunt, nullum opus esse adeo justum & pium, quod peccati labe non inquinetur; nullum adeo esse quod legi divinæ congruat. Hinc tot & tantas conditiones exigunt ad legis divinæ observantiam, ut ne una quidem, ut par est, impleri queat.

Alter hæreticorum de bonis operibus error est, ea non esse ad salutem necessaria; quod Novatores, ut priore Dissertatione Sect. 2. c. 2. indicavimus, diversa solent ratione explicare. Nam præter eorum opiniones, quas ibidem retulimus; quidam autumant, justum non adstringi ad præceptorum observantiam; quod scriptum sit ab Apostolo 2. ad

Co-

Corint. 5. *Ubi Spiritus Domini: ibi libertas.* Et 1. ad Timoth. 1. *Justo non est lex posita.* Verum hæc, & consimilia ita esse accipienda, ut justi non coacte, sed libere atque lubenter impleant mandata, cæteri omnes fatentur, ut proinde necessarium non sit, istam hæreticorum illorum assertionem hoc loco refellere. Flaccii Illyrici, Hinckelmanni, & Jenensium opinationem, quod bona opera nullo pacto ad salutem sint necessaria, rejiciunt cæteri Protestantes. Hinc necessitatem bonorum operum confessi sunt in Confessione Saxonica: in Colloquio etiam Altenburgensi an. 1568. inter alia traditum est, *bona opera necessaria esse ad salutem;* quod & Philippus Melancthon fatetur *in Diatriba de Justif.* Sed Gerardus Vossius in Thesibus propositis in Academia Leidensi omnem suorum fraudem detegere videtur. Is namque docet, bona opera esse homini Christiano triplici titulo necessaria: primo, ut Christum glorificet; deinde ne ob bonorum operum neglectum amittat bonam conscientiam; denique, ut proximum charitatis officiis studeat lucrifacere. Negant igitur bonorum operum necessitatem, quasi his obtineatur vita æterna, quam nulla ratione hominem bonis operibus promereri existimant.

ASSERTIO PRIMA.

Non omnia justorum opera sunt peccata, nec peccato inquinata, saltem si distributive sumantur: sed complura, quæ nempe ab iis fiunt secundum legis præscripta, & ex gratia eliciuntur, sunt vere opera bona.

II. ASsertio hæc fit manifesta ex iis, quæ Par. 1. Diss. 1. Sect. 2. c. 3. contra Bajum atque Jansenium dicta sunt de operibus infidelium & peccatorum. Si namque

non omnes actiones, quæ ab homine infideli aut peccatore fiunt, sunt peccaminosæ, sed aliquod opus moraliter bonum etiam supernaturalis ordinis Spiritu Sancto inspirante ac movente exerceri ab iis potest; id utique multo magis verum erit de operibus justorum. Etsi enim multæ etiam hominis justi actiones levioribus noxis frequenter aspersæ sint, singulæ tamen seorsim sumptæ non sunt peccato inquinatæ. Nam si res ita esset, non respexisset *Deus ad Abel, & ad munera ejus*, ut legitur cap. 4. Gen. Neque Job appellaretur c. 1. *homo simplex & rectus, timens Deum, ac recedens a malo.* Nec Magdalena Christi pedes inungens diceretur Matth. 26. *bonum opus operata.* Nec denique Apostolus confidenter adeo de se pronuntiasset 1. ad Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum.* Ad postremum quidem istud respondet Crocius in Anti-Becano, Apostolum loqui de muneris sui administratione, atque in ea sibi non esse conscium. Sed mirum, si Apostolus nescierit an forte ea in re peccaverit, & Sectarii non dubitent eum etiam in sui muneris administratione peccasse, si peccatum cuique operi bono indivulsum cohæret.

Quid vero dicent ad illud Christi Domini Matth. 5. v. 16. *Videant opera vestra bona:* aut ad illud Petri Apostoli: *Nec Deum timent, nec ejus mandata servant, nec satagunt, ut per bona opera certam suam vocationem faciant; hoc enim facientes non peccarent aliquando.* 2. Petr. 1. Ut innumera alia taceam Scripturæ & Patrum testimonia, quæ passim bona opera commemorant; item opera lucis, hostias Deo placentes, puram & immaculatam religionem vocant, magnam iis quoque mercedem pollicentur. Ut proinde Forbesius, quo inter eos, qui Reformati dici amant, nemo propius ad Catholicam veritatem accedit, libere & candide fateatur, nimio plus rigidos esse Protestantes, qui præstantissima etiam justorum opera esse peccato inquinata, & ex se æterna morte digna asserunt: cum Deus benigne & suaviter nobiscum agat, nec quid-

quidquam exigat, quod vires per gratiam collatas excedat. Quis verò in gratiam Christi Salvatoris injurius adeo sit, ut neget a peccati dominio nos liberatos esse, aut nos quidquam cogitare vel agere posse, quod peccati labe non sit infectum?

Id, si ita esset, oriretur certe, vel ex innata concupiscentia, vel ex defectu charitatis intensioris, vel ex admixtione peccati venialis; nihil enim aliud adversus bona Justorum opera proferunt Adversarii. Atqui nihil horum vitiat actus ex gratia elicitos. Non primum: quia, ut alibi ostenditur, primi concupiscentiæ motus, quibus resistitur, peccata non sunt; nullum quippe est peccatum, quod non sit voluntarium. Non secundum: quod enim minus serveat charitas in via, quam in patria, peccatum non est, sed defectus tantum, ut docet S. Augustinus Lib. de Spir. & lit. cap. ult. *Neque enim*, inquit, *si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitione plena perfectaque debetur, jam culpæ deputandum est.* Non tertium: nam ex S. Hieronymo lib. 3. contra Pelag. *potest homo non peccare, si velit, quamdiu intentus est animus . . . Et qui cautus est, & timidus, potest ad tempus vitare peccatum.* Merito proinde a Tridentina Synodo Sess. 6. Can. 25. ita definitum est: *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius est) mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari; quia Deus ea opera non imputat ad damnationem, anathema sit.*

III. Porro Sectariorum argumenta haud erit operosum diluere, si ad illud præprimis advertatur: scilicet, aliud esse, hominem quamvis justum, etiam dum sanctis operibus incumbit, frequenter noxas veniales, aut imperfectiones committere; & aliud, omnia omnino opera esse legis, præceptorumque transgressiones, & si in sua dignitate censeantur, esse damnabilia. Hoc postremum jure a Catholicis negatur; quoniam quisquis, quantum in se est, secundum legis præscripta, &

ex gratia Dei agit, recte operatur, redditque se dignum remuneratione & corona. At primum non diffitemur, nam ab infirmitate & inhærente nobis concupiscentia facile oritur defectus aliquis, & sic in multis labimur omnes; pro quo nobis divina misericordia est continuo imploranda, & dicendum quotidie: *Dimitte nobis debita nostra.*

Cum igitur opponunt Adversarii illud Isaiæ 64. *Et facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ:* atque inde inferri volunt, omnia justorum opera esse vitiata; præsertim quod ipsi SS. Patres ea Prophetæ verba ad justitiam sanctissimorum hominum accommodent: *Nostra . . . si quæ est humilis justitia*, ait Bernardus Serm. 5. de verbis Isaiæ, *recta forsitan, sed non pura, nisi forte meliores non esse credimus, quam Patres nostros, qui non minus veraciter, quam humiliter ajebant*, omnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ. *Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse?* Et S. Augustinus l. 9. Confess. c. 13. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam.* Denique S. Gregorius l. 9. Moral. c. 1. de Jobo scribens, ait: *Sanctus vir, quia omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab æterno arbitro districte judicetur.*

Resp. Eum Isaiæ locum perperam a rigidioribus Lutheranis, ut invictum opinionis suæ argumentum jactari: cum Lutherus ipse locum illum explicans fateatur, ex eo nihil concludi posse, quo probetur impuram semper esse justitiam nostram; tametsi ipse in Assert. Art. 3. eo Prophetæ testimonio usus fuerat. Quod Lutheranis merito objicit Bellarminus, nec quidquam illi ad hanc objectionem reponunt.

Et sane secundum nonnullorum expositionem illis Isaiæ verbis nihil aliud significatur, quam, quod post Evangelii promulgationem rejiciantur tanquam immundæ purificationes legales, quas etiam Paulus ad Hebr. 9. v. 1. *justificationes*

ap-

appellat: & quod post Christi Adventum Judæi in lege sua merito habeantur tanquam rei & contaminati; atque id ab Isaia prænunciatum sit. Hanc interpretationem confirmat Cornelius a Lapide ex Versione Arabica, ex Commentario Hieronymi, atque ex Confessione Musculi Lutherani. Alii eo Prophetæ testimonio docent significari, non quod omnia Judæorum opera forent peccaminosa, & contaminata; sed quod multorum actiones, quamvis viderentur honestæ, quam plurimis noxarum maculis aspergebantur. Ita Theologi Tridentini apud Pallavicinum L. 8. Justitia nempe nostra, quanta sit, facile pluribus imperfectionibus maculatur; neque ulli justorum de suis operibus ita gloriandum, quasi districtum Dei judicium sustinere possit. In eum certe sensum locuti sunt laudati Patres, per justitiam intelligentes, non unum aut alterum opus, sed totam vivendi rationem, a qua homo denominatur justus; quæ cum admixtas habeat imperfectiones plurimas, & noxas veniales, justi de meritis suis præsumere non debent, sed ad pœnitentiæ remedia jugiter confugere, & spem omnem in Dei misericordia collocare. Hanc esse mentem Sanctorum Bernardi, Augustini, & Gregorii, patet ex doctrinæ ipsorum contextu. Sanctus certe Gregorius citato cap. 1. loquitur de justitia, in qua homines confidunt, quasi ex ipsis sit; sic enim scribit: *quisquis se bonorum Auctori comparat, bono se, quod acceperat, privat; qui enim accepta bona sibi arrogat, suis contra DEUM donis pugnat. Sanctus autem vir est, qui omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab æterno Arbitro districte judicetur;* cujus nempe purissimi oculi in bonis etiam operibus nostris facile nævum aliquem deprehendunt.

Sed opponunt Sectarii, nullum hominis opus ea perfectione fieri, qua fieri deberet; igitur opus quodcunque etiam sanctissimum semper aliquo defectu vitiatur.

Resp. Summum illum perfectionis gradum nusquam esse præscriptum; neque idcirco bona opera esse inquinata, quod non omnia ea fiant perfectione, qua fieri possunt. Quis enim Martyres, cum mortem pro Christi fide subierunt, peccasse dicat, aut Deum ex toto corde non dilexisse? Sane præceptum illud de diligendo Deo gradum summæ perfectionis, qualis est in beatis, non exigit; sed amorem Dei super omnia sincerum, non fictum, non coactum.

Contra inquiunt: opera justi nunquam explent mensuram illam charitatis, qua fieri debent, quamque lex ipsa præcipit.

Resp. Si Deus summo jure nobiscum ageret, reos omnino nos futuros, si minor foret charitas, quam esse debeat. At summum illum perfectionis gradum non postulat a nobis Deus; cumque de observantia legis divinæ agitur, quid supremus Legislator exigat, quæ sit illius mens, intuendum. Itaque bona opera, quæ a justis ex gratia eliciuntur, secundum concessas a Deo vires, aut charitatem a Deo præscriptam metienda sunt, ut ab omni peccati labe sint pura.

ASSERTIO SECUNDA.

Bona Opera sunt omnino ad salutem necessaria.

IV. INnumera esse Scripturæ loca, quibus ea necessitas demonstrari potest, nemo vel mediocriter in illius lectione versatus ignorat. Vix certe est Scripturarum Sanctarum pagina, in qua nobis, ut bene operemur, non præcipiatur: ut Matth. 5. Marc. 8. Joan. 15. ad Coloss. 3. Ille inprimis locus Matth. 25. observari meretur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare* &c. Ubi aperte significatur, vitam æternam nonnisi bonis operibus re-

rependi: ſupremus enim Judex bona opera remunerabitur, puniet mala. *Tribulatio & anguſtia in omnem animam operantis malum . . . Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum.* Rurſus 2. ad Cor. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquisque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Et ad Hebr. 6. *Non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius.*

Plura huc ſpectantia producta fuere Diſſertationis præcedentis Sectione 2. cap. 2. Ubi dictum eſt, ſolam fidem homines ad juſtificationem, & conſequenter etiam ad ſalutem non perducere. Ex quibus omnibus plane conficitur, ſalutem noſtram ex bonis operibus pendere; & inter hæc atque illam eſſe relationem quamdam, non ſolum medii ad finem, vel antecedentis ad conſequens, ſed etiam cauſæ ad effectum. Quod quidem fateri nolunt ex Reformatis plerique, ne merita ipſa agnoſcere videantur. Propterea negant bona opera efficientis cauſæ rationem habere, ubi cum ſalute noſtra comparantur, ſed viam tantummodo, & velut media eſſe prætendunt. Verum in eo non ſatis ſibi ipſis conſtant: medium namque & via in rebus agendis veræ cauſæ rationem habent, ubi cum fine propoſito conferuntur. Piſcator magni inter Reformatos nominis, ſcribens in cap. 25. Matth. & ea Chriſti verba explicans, *Eſurivi* &c. ſatetur quidem hoc loco notari cauſam efficientem ſalutis; ne tamen bono operi meriti nomen tribuat, tradit ſubinde, nomen cauſæ latius patere, quam meriti: Ut ſi cui *donetur*, inquit, *theſaurus in cacumine montis reconditus, ſub hac lege, ut ſi potiri eo velit, montem conſcendat, illumque effodiat: hic certe conſcenſus montis & effoſſio theſauri rationem habent cauſæ efficientis reſpectu poſſeſſionis & fruitionis theſauri, at non habent rationem meriti: quippe cum theſaurus ille fuerit donatus.* Sed de bonorum operum meritis nunc ex propoſito.

CA-

CAPUT II.

Utrum bona Opera gratiæ auxilio elicita ſint meritoria.

I. Heterodoxi non tam bonis operibus, quam eorum merito adverſantur. Nam plerique ex iis, ut jam monuimus, non negant bonorum operum neceſſitatem; ſed illud pernegant, homines per bona opera poſſe aliquid promereri, eaque propterea ad æternam vitam duntaxat requirunt, vel quatenus ſunt ſigna fidei, vel ob triplicem rationem ſuperius a Voſſio explicatam: cum econtra Catholici omnes firmiter teneant, ipſam æternam vitam bonis operibus ut cauſæ meritoriæ a Deo promitti, atque rependi. Et quamvis Sectariorum nonnulli *merendi* vocabulum prorſus damnare non audeant, eoque utantur in Confeſſionibus ſuis, ut liquet ex Harmonia Confeſſ. Sect. 9. reſpuunt tamen illud, tanquam ambiguum, & ſuperbiæ ac præſumptionis nomine ſuſpectum.

Calvinus certe in III. Inſtit. c. 15. nomen *meriti* ait faſtuoſiſſimum eſſe, a Scripturis extraneum, & ab aliquo Sophiſta Rabula inductum. Sed falſi redarguitur ac plene confutatur impius Calumniator ex ipſis Sacris Litteris, ex quibus *Meriti* nomen accepimus. Nam Eccleſ. 16. expreſſe habetur: *Omnis miſericordia faciet locum unicuique, ſecundum meritum operum ſuorum.* Innumera ſunt alia Scripturæ loca, quæ juſtorum mercedem commemorant, paulo infra a nobis proferenda. Eadem voce uſi ſunt fere omnes Eccleſiæ Patres. Cyprianus de Præceptis Eccleſ. inquit: *Præceptis obtemperandum eſt, ut accipiant merita noſtra mercedem.* Ambroſius 1. de Officiis c. 15. *Meritorum præmia remanent poſt mortem.* Auguſtinus Epiſt. ad Sixtum: *Vita æterna meritis præcedentibus redditur.* Meriti ergo nomen a Scripturis & Patribus nobis traditum eſt.

Sed

Sed ut a nomine ad rem ipsam veniamus: Meritum secundum D. Thomam 1. 2. quæst. 21. art. 3. est proprietas actus humani, prout est moraliter bonus: ex eo enim, quod est moraliter bonus, habet rationem meriti; sicut ab opposito, ex eo quod sit malus, habet rationem demeriti. Quia omnis actus humanus, vel dirigitur in utilitatem Communitatis, vel singularis personæ; & sic debetur ei, qui illum facit, aliqua retributio præmii: sicut econtra debetur retributio pœnæ, si actus ille dirigatur in malum Communitatis, aut singularis alicujus personæ. Hinc actus meritorius universim, prout nempe complectitur meritum naturale & supernaturale, est opus præmio seu retributione dignum.

Ad præsens vero institutum, Meritum Theologicum, de quo solo hic agitur, quodque præcipuus est gratiæ divinæ effectus, describi potest, quod sit *boni operis ex gratia eliciti quædam dignitas atque præstantia, ob quam illi, sive ex decentia, sive ex justitia rependitur aliquod præmium pertinens ad vitam æternam.* Dicitur, *boni operis ex gratia eliciti;* quia homo per nullum opus, suis viribus & sine gratia elicitum, potest vel fidem, vel justificationem, vel æternam vitam promereri. Dicitur præterea *ad vitam æternam:* quia cum opus est ordinis supernaturalis, eidem præmium ejusdem ordinis competit; & cum bona temporalia bonis æque ac malis communia sint, nequeunt esse bonorum operum retributio, nisi sub ea tantum ratione, quod ad salutem æternam possint auxiliante gratia ordinari. Dicitur denique, *sive ex decentia, sive ex justitia:* quia non omne meritum talem habet dignitatem, ut illi merces servata æquitate debeatur; sed complura sunt adeo imperfecta, ut iis præmium ex profusa dumtaxat Largitoris liberalitate rependatur.

Duplex propterea meriti genus distingui solet: unum *de condigno*, alterum de *congruo.* Meritum *de condigno* illud est, quod habet quamdam condignitatem, seu æqualitatem

cum præmio, ita ut penſatis omnibus, jure debeatur ejusmodi operi tale præmium, quamvis illa dignitas operis proveniat ex gratia perſonæ merenti collata. Et hoc meritum præſupponit gratiam juſtificantem, eſtque juſtorum proprium; de quo ait Apoſtolus ad Tim. 4. *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Et Matth. 10. dicitur Operarius *dignus mercede ſua.* At meritum de congruo illud eſt, quod licet non habeat æqualitatem, nec inferat jus, aut debitum ad præmium; hoc tamen illi ex quadam decentia, & congruitate confertur: & tale meritum habetur etiam in peccatoribus, dum gratia præveniente excitati per fidem, ſpem, & dilectionem ad juſtificationem diſponuntur.

Hinc apparet diſcrimen inter utrumque meritum. Quod nempe meritum de condigno vere, ac proprie ſit meritum, & innitatur juſtitiæ, adeo, ut ſic merenti debitum ſit ex juſtitia præmium. Meritum autem de congruo eſt improprie meritum, utpote non habens æqualitatem cum præmio; nec innititur juſtitiæ, ſed potius liberalitati, aut fidelitati præmiantis. Unde etiam ſequitur, quod meritum de congruo non requirat eam tum operis, tum perſonæ dignitatem, quam requirit meritum de condigno: debet tamen eſſe opus bonum ejusdem ordinis cum ea re, ad quam ordinatur, id eſt ſupernaturale, ſi ordinetur ad conſecutionem boni ſupernaturalis. Hinc opus bonum ordinis naturalis nec de congruo mereri poteſt vel minimum donum ordinis ſupernaturalis. Ipſum deinde meritum de congruo vel tenet ſe ex parte merentis, quatenus in merente eſt quædam decentia movens largitorem, ut ſuam exerceat liberalitatem: ſic oratio juſti meretur bona ſupernaturalia proximo; quia decens & congruum eſt, ut ſi juſtus faciat voluntatem Dei, Deus exaudiat preces juſti in proximi utilitatem fuſas. Vel tenet ſe tantum ex parte operis ſervantis quamdam proportionem per modum diſpoſitionis: decens namque eſt, ut Deus, ubi invenit diſpoſitionem, adjiciat

ciat perfectionem. Sic peccator eliciens actum fidei dicitur mereri de congruo augmentum fidei; decentia tamen se tenente ex parte Dei, non ex parte hominis. Ejusmodi meritum aliis verbis vocatur meritum impetrationis. Quo sensu Sanctus Thomas 2. 2. Quæst. 83. Art. 16. docet, orationem peccatoris esse aliquando impetratoriam, maxime quando petit necessaria ad salutem. Impetrat enim oratio peccatoris, inquit Doctor Angelicus eadem 2. 2. Quæst. 178. Art. 2. ad 1um. *non ex merito peccatoris* (sic enim oratio non implentis legem dicitur execrabilis. Prov. 28. & Joan. 9. Peccatores Deus non exaudit) *Sed interdum impetrat ex misericodia Dei. Vel propter salutem ejus, qui orat, sicut auditus est Publicanus Lucæ 18. Vel etiam propter salutem aliorum & gloriam DEI.*

His positis stabilienda est inprimis adversus Sectarios de opere meritorio fidei doctrina. Deinde contra antiquiores quosdam Scholasticos ex communi Theologorum sententia statuendum, quænam opera sint meritoria de congruo, quænam de condigno.

ASSERTIO PRIMA.

Bona Opera gratiæ auxilio elicita sunt meritoria apud DEUM.

II. VEritatem hanc docet, ac dilucide explicat Concilium Trident. Sess. 6. c. 10. *Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum JEsum misericorditer promissa, & tanquam ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositam sibi ajebat Apostolus a justo judice sibi reddendam, non solum autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus.*

Cum enim ille ipse Christus JEsus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent: nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur. Et Can. 32. *Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint bona ipsius justificati merita aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & JEsu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.*

Hæc est igitur Ecclesiæ de meritis doctrina, quam ab ipsa Veritate deprompsit. *Gaudete*, inquit Christus Dominus Matth. 5. v. 12. *& exultate, quia merces vestra copiosa est in Cœlo.* Et ejusdem c. 16. v. 27. *Reddet unicuique secundum opera ejus.* Luc. 6. v. 23. *Ecce enim merces vestra multa est in Cœlo.* Item 1. ad Cor. 3. dicitur: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Et c. 15. v. 58. *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* Rursus ad Hebr. 6. v. 10. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Et. c. 10. v. 35. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Ex quibus locis, & pluribus aliis similibus aperte colligitur, homines bene mereri apud Deum per opera cum gratiæ auxilio elicita. Et sane meritum ipsum est proprietas quædam actui humano indivulse cohærens, ut ex S. Thoma paulo ante adnotavimus; atque opus etiam naturalis ordinis præmio quodam dignum est. Opus igitur sanctum, quod a cha-

charitate imperatur, & ex gratia elicitur, dignum eſt, cui præmium aliquod ſupernaturale rependatur. Neque metuendum, ne Chriſti meritis fiat injuria, ut heterodoxi nobis identidem obtrudunt; cum hoc ipſo meritorum Chriſti vis inexhauſta magis eluceſcat, quod vim merendi hominibus impertiant. Quemadmodum enim nihil de primæ cauſæ dignitate detrahitur, cum vim agendi inferioribus cauſis communicat; non abſimili ratione Servatoris noſtri beneficium nihil minuitur, ſi nobis largiatur, non modo ut juſti ſimus, ſed etiam ut juſte agamus; ſi quos elegit ſine meritis, his præbeat, unde mereantur.

Reſpondetur ad Objecta hæreticorum.

III. OBjic. 1mo. Nullo prorſus titulo mereri proprie poſſumus, quia nihil habemus, quod a Deo non accepe-rimus: ipſa bona opera, licet ſint a nobis tanquam voluntario inſtrumento, principaliter tamen ſunt ejus, a quo expectamus mercedem. Hinc vita æterna dicitur *Gratia Dei* ab Apoſtolo ad Rom. 6. Et ad Epheſ. 11. v. 18. *Gratia enim ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Idem habetur Pſal. 111. *Coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Unde S. Auguſtinus Concione 2. in Pſal. 70. ſic ſcribit: *Cum præmium venerit, ſua dona coronabit.*

Reſp. Nullo nos titulo mereri proprie poſſe, immerito negant Sectarii. Quamvis enim opera noſtra bona principaliter a Deo ſint, debent tamen etiam noſtra reputari: rationalis namque creatura eſt quidem inſtrumentum Dei, ſed animatum, liberum, propria præditum poteſtate, & potens diſſentire gratiæ illam moventi ac excitanti. Hinc præparari voluntatem noſtram a Domino, ipſumque per gratiam prævenientem facere ut faciamus, bonorum quoque operum cau-

ſam principem Deum eſſe, ultro fatentur Catholici: at eadem opera noſtra non eſſe, utilia non eſſe, meritoria non eſſe, jure meritoque negant. Cum igitur vita æterna dicitur *gratia, & miſeratio*, intelligendum eſt, eſſe gratiam, quatenus Deus gratuito ad eam eligit, vocat, & auxiliis efficacibus alias indebitis perducit; non vero quod nullam habeat rationem mercedis & præmii, quaſi ea mercede digna non ſint bona juſtorum opera. Eſt nempe vita æterna merces ſimul & gratia. Gratia eſt, ſi ad divinam prædeſtinationem referatur, qua Deus ſtatuit electis conferre gratiam, ſine qua recte agere & perſeverare non poſſent: Merces, ſi referatur ad juſtitiam, qua recte operantes & perſeverantes coronat. Nam in electione ac præparatione gratiæ nihil quod noſtrum ſit poſſumus invenire; at ſervata lege, invenimus aliquid noſtrum, nimirum obedientiam. Atque hæc eſt doctrina Auguſtini, gratiæ prævenientis neceſſitatem contra Pelagianos demonſtrantis. Ipſa vita æterna, inquit in Epiſtola ad Sixtum de Grat. & Lib. Arbit. c. 8. *meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita, quibus redditur, non a nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa gratia nuncupatur, non ob aliud, niſi quia gratis datur; nec ideo, quia meritis non datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita, quibus datur.* Eadem repetit S. Doctor Lib. de Grat. & Lib. Arbit. c. 9. Et de Corrept. & Grat. c. 13. & 15. demonſtrans vitam æternam eſſe mercedem, quia redditur bonis operibus; licet ſit gratia, quia gratis datur, & quia Deus bona opera in bonis una cum bonis operatur.

IV. *Objic. 2do:* Opus aliquod ut meritorium ſit, debet eſſe prorſus indebitum; quia ſub meritum non cadunt ea, ad quæ obſtringimur. Ad opera autem bona facienda obſtringimur, eaque ita debentur Deo, ut poſſit illa citra præmii ſpem exigere a nobis. Propterea Lucæ 17. 1. 10. dicitur: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi* in-

inutiles, quod debuimus facere, fecimus: in quem locum Theophylactus ait: *Servus si non operabitur, dignus est multis plagis; cum autem operatus fuerit, contentus sit, quod plagas effugerit.*

Resp. In Operibus bonis distinguere oportet ipsorum debitum a merito bonæ voluntatis: cum enim Deus hominem condiderit liberi arbitrii, ac dominum suorum actuum fecerit, neque ad bene operandum quemquam impellat necessitate; ratio meriti habetur, non a conditione servili, sed a dominio liberæ voluntatis. Ac ideo in his, quæ necessitate fiunt, nihil est meriti, ut suo loco contra Jansenianos ostendimus: quæ autem libere fiunt, utut sint debita, meritoria sunt. Hinc cum servus obedientiam domino, aut filius debitum parentibus obsequium præstat, vere meretur; & magis filius, quam subditus: quia licet plus debeat Patri, majori amore & alacritate mandatis ejus obtemperat. Causa itaque meriti non est opus quod debetur, sed operis debiti libera & non coacta executio.

Ad textum Lucæ respondendum est, debere nos etiam post præceptorum observantiam dicere, & existimare servos inutiles: quia nihil utilitatis, & lucri per nostra bona opera Deo conferimus: deinde, quia nullum bonum opus propriis viribus sine gratia auxiliante possumus efficere: insuper, quia cum natura Dei servi simus, potest, quidquid libuerit, nobis præcipere etiam nulla proposita mercedis spe. Hinc S. Augustinus Serm. 163. alias 3. de verbis Apostoli sic exclamat: *O magna bonitas DEI! cui pro conditione reddere debeamus obsequium, utpote servi Domino, amicitiarum præmia nobis repromittit, ut a nobis obsequia debitæ servitutis extorqueat.* Præterea, ut advertit S. Chrysostomus, Christus Dominus non dixit, nos inutiles servos esse, cum omnia præcepta perfecerimus; sed jussit, ut id dicamus, ne consurgat in nobis ex bonorum operum æstimatione tumor superbiæ. Deni-

nique, ut obſervat Cl. Berti L. 19. c. 6. Hortatur Dominus etiam ad perſeverantiam, nam ſervus *inutilis*, hic, & Matth. 25. v. 30. idem eſt ac *ceſſator*, vertente Syro apud Grotium: ut proinde ſenſus ſit, eum, qui mandata ſervaverit, non coacte ſed voluntarie, ac perſeveraverit usque in finem, neutiquam ſervum inutilem futurum, ſed auditurum a Domino: *Euge ſerve bone & fidelis* &c. Matth. 25. v. 21.

V. *Objic.* 3*tio:* Non poteſt ſine Chriſti injuria tribui aliquid meritis noſtris; quia ſolius redemptoris obedientiæ, mortisque merito tum gratia, tum gloria debetur. Hæc igitur operum noſtrorum virtuti attribui nequit, quin vis & efficacia paſſionis ipſius imminuatur. Deinde ſi Chriſtus nobis meritus eſt vitam æternam, ad quid valent merita noſtra? Superflua ſunt certe, & inutilia. Denique ſi bona opera habent meritum ex gratia, quomodo coronam promerentur ſuamet dignitate? Id ſecum pugnat, ac ſeipſum evertit.

Reſp. Nulla a nobis irrogatur injuria paſſioni & meritis Chriſti, ſi hæc vim merendi omnem bonis noſtris operibus impertiant. Sicut enim Deus Creator in ordine naturæ in eo maxime manifeſtat omnipotentiam ſuam, & infinitam virtutem, quod inferioribus cauſis efficaciam tribuat; ita in ordine gratiæ Chriſti Salvatoris gloria, & infinita vis paſſionis ejus in eo maxime elucet, quod non ſolum ſibi, ſed & nobis ſit merendi principium. Superflua etiam non ſunt & inutilia merita noſtra: quia Chriſtus nobis meritus eſt vitam æternam non ſolum ut hæreditatem, ſed etiam tanquam mercedem noſtrorum bonorum operum. Unde præterea nobis meritus eſt, non modo juſtificationem & adoptionem divinam, ſed & omnia gratiæ auxilia, ſine quibus bona opera vitæ æternæ meritoria exercere non poſſumus. Denique cum gratia ſtat meritum; quia etiam liberum arbitrium operatur, licet operari recte non valeat ſine ipſa gratia: quemadmodum palmes viti inſitus producit fructum, etiamſi fructum ferre, niſi manſe-

ferit in vite, non potest. Propterea Christus apud Joannem c. 15. v. 5. semetipsum viti, & justos palmiti comparavit: *Ego sum vitis, vos palmites:* tum expresse addidit, *qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.*

ASSERTIO SECUNDA.

Opera, quæ justificationem præcedunt, habent meritum de congruo.

VI. HÆc communis est Theologorum sententia, si unum excipias Sotum, qui Lib. 2. de Natura & Grat. c. 4. ex S. Augustino ostendere conatur, nullum ante justificationem agnoscendum esse meritum. Contra quem ita probatur Assertio: Opera, quæ justificationem præcedunt, ex definitione Tridentini Sess. 6. c. 6. ad ipsam justificationem disponunt, & Deus convertitur ad impium se per gratiam excitantem ad Deum convertentem. Atqui hujusmodi dispositionibus nequit omnino denegari ratio meriti de congruo; non enim est absque omni merito petentis fides, quærentis pietas, sperantis fiducia &c: *Quis dicet eum*, inquit S. Augustinus Lib. de Prædest. Sanct. *qui jam cœpit credere, ab eo, in quem credidit, nihil mereri?* Et Epist. 194. alias 105. *Nec ipsa peccati remissio sine aliquo merito est, si fides hanc impetret; neque enim nullum est meritum fidei, qua ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori.* Denique Epist. 186. alias 106. *Si quis dicat, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, immo gratissime confitemur.*

Cum vero Augustinus, aliique Patres & Theologi docent, hominem impium nihil mereri, ita intelligendi sunt, ut nihil mereri dicatur tali merito, quod innititur justitiæ, habeatque cum remuneratione æquiparandam dignitatem. Hoc namque meritum, quod verum propriumque meritum est, comitatur

Meretur inprimis ex justitia. Nam 2. ad Timoth. c. 4. dicit Apostolus: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Quæ Apostoli verba Conc. Trident. bonis justorum operibus debita, & a DEO reddenda explicat. Et Matth. 20. Evangelicus Paterfamilias operariis justam mercedem promittit: *Quod justum fuerit dabo vobis.* Appellant præterea sacræ litteræ vitam æternam depositum, bravium, & denarium diurnum; quibus verbis significatur retributio, qua, servata æquitate, non debet operarius defraudari. Appellatur insuper justus Filius Dei, regni hæres, palmes adhærens viti, & obsignatus spiritu promissionis, qui est arrha & pignus hæreditatis. Atqui his justorum jus ad gloriam satis aperte declaratur. Patres quoque passim tradunt, Deum se justis debitorem fecisse, non accipiendo aliquid, sed quod ipsi placuit promittendo: Unde sequitur, Dominum, qui est largitor gratiarum, esse debitorem coronæ. Sic S. Cyprianus Lib. de Eleemos: *Præclara* inquit, *ac divina res, salutaris operatio, quæ promeretur Christum judicem, & Deum computat debitorem.* S. Hieronymus Epist. ad Helvidiam c. 1. *Quanta beatitudo pro parvis magna recipere, & Deum habere debitorem.* S. Augustinus Serm. 6. de Verbis Apostoli: *Possumus ita Deum alloqui tanquam debitorem, eique dicere: redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti.*

Meretur quoque justus ex æqualitate operis cum mercede sibi a Deo promissa. Nam Sap. 3. dicitur: *Deus tentavit illos, & invenit eos dignos se.* Matth. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* 2. ad Thessalonicenses c. 1. *Ut digni habeamini in regno Dei.* Et Apocal. c. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Unde sic arguitur: Justi per bona opera digni fiunt vita æterna. Atqui hæc dignitas esse non potest absque æqualitate aliqua bonorum operum cum vita æterna. Ergo justi merentur apud Deum ex æqualitate operis cum mercede.

VIII. *Prob. 2do.* Ex Concil. Trident. quod Seff. 6. c. 16. dicit, illis justorum operibus, quæ in Deo sunt facta, nihil deesse, quominus vitam æternam vere promeruisse censeantur. Et Can. 32. definit, justos vere mereri augmentum gratiæ, & vitam æternam. Ergo bona justorum opera sunt vera & proprie talia merita apud Deum etiam relate ad vitam æternam. Atqui meritum vere, & proprie tale est meritum de condigno, dicens aliquam cum mercede æqualitatem. Meritum quippe de congruo est meritum imperfectum, & secundum quid: nemo enim proprie & simpliciter dixerit, peccatorem bonis suis operibus mereri remissionem peccatorum, quæ est opus misericordiæ, non vero justitiæ; licet eam præcedant opera bona, tanquam dispositiones in adultis requisitæ, & de congruo meritoriæ.

Deinde ex Hæreticis complures meritum de congruo nequaquam negant. Sic Bucerus in Disput. Ratisbonæ habita Anno 1546. inquit: Si SS. Patres, *aut alii intelligant per mereri facere ex fide gratiæ bona opera, quibus Deus mercedem promisit, hoc sensu usurpare illud verbum minime damnabimus.* Vosius quoque testatur aliquod meritum agnosci etiam a Confess. Wittembergensi, & Augustana. Et Grot. c. 31. Num. 33. *videant*, inquit, *Papistæ, quia conscientia per anathematismos separare præsumant ab Ecclesia Reformatos, quod nolint agnoscere vera, & proprie dicta operum bonorum merita.* Illud nempe tantum negant Novatores isti, quod bona opera vere proprieque, non ex promissione solum, sed etiam ex quodam justitiæ debito, propter æqualitatem operis & mercedis, censenda sint vitæ æternæ meritoria. Atque id, ni fallor, sequitur ex alio ipsorum circa justificationem errore, quem superius impugnavimus. Nam ideo negant æqualitatem operis & mercedis, quia non admittunt justitiam inhærentem, quæ tribuat bonis operibus dignitatem. Ut proinde nos inter atque illos de merito condigno potissimum controversia esse videatur.

Re-

Respondetur ad Objecta.

IX. OBjic: 1mo. Nulla est proportio inter vitam æternam, & opera nostra, quantumvis ea nobis præclara videantur: *Existimo*, inquit Apostolus ad Rom. 8. *quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ergo opera justorum non habent æqualitatem cum mercede gloriæ æternæ, atque adeo non sunt meritoria de condigno.

Resp. Opera nostra & tribulationes hujus temporis in se ipsis, & præcise secundum propriam excellentiam spectatæ nullam utique habent proportionem cum vita æterna, neque condignæ sunt, ut æquiparentur futuræ gloriæ: illæ quippe leves sunt, & finem habent; merces vero est bonorum omnium aggregatio, nulli fini, aut vicissitudini subjecta. Digna tamen est hujus sempiternæ mercedis retributio, si attendamus illum, qui patitur, esse Filium Dei, & hæredem, eique repromissam esse conglorificationem cum Christo, dummodo Christo compatiatur. *Si autem filii*, ait Apostolus eodem loco, *& hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Dignitas itaque personæ merentis, utpote gratia sanctificante instructæ, dignitas insuper Dei præmium retribuentis, tum & dignitas Christi, propter quem præmium retribuitur, justorum meritis condignitatem quamdam tribuunt, & moralem cum gloriæ æternæ mercede æqualitatem, quam secundum se spectata omnino non habent.

Sed inquies: Justitia postulat inter datum & acceptum perfectam æqualitatem. Ergo justorum opera non possunt condignitatem & æqualitatem habere cum æterna mercede, nisi undequaque perfecta sint etiam secundum se spectata.

Resp. Cum D. Thoma in 2. Dist. 27. Art. 3. inter Deum & creaturam non reperiri justitiam *commutativam*, quæ exigit inter datum & acceptum æqualitatem; sed solam justitiam *distributivam*, quæ postulat solam condignitatem proportionis servandæ in distributione præmiorum, ita ut majori merito major compensatio, minori minor retribuatur.

Cæterum inter opera etiam secundum se spectata, & vitam æternam datur æqualitas, non quidem *entitatis*, ut ajunt, Scholastici, sed virtutis. Quamvis enim opera in se spectata undequaque perfecta non sint, sed multis sæpenumero imperfectionibus aspergantur; ut tamen justus per ejusmodi opera mereatur de condigno vitam æternam, satis est, quod a gratia sanctificante, & a virtute & influxu Christi Capitis nostri opera illa tantam habeant dignitatem, ut cum promissa mercede æquiparari possint, ac sint æternæ vitæ quasi radix & semen. Nam etiam Christi Passio secundum se spectata similis fuit passioni plurium Martyrum, qui & crucis tormentum, & alia atrocissima supplicia sustinuerunt, nec sub ea ratione condigna fuit exaltatione, quæ subsecuta est. Sed si spectetur secundum valorem & dignitatem personæ, omnem exaltationem promeruit, & magis efficax fuit, quam passiones Martyrum universorum; meritumque ejus ipsum præmium infinite excedit. Igitur opera justorum non secundum solam propriam excellentiam spectanda sunt, sed secundum excellentiam virtutis illis dignitatem tribuentis. Reperitur nempe in justo Spiritus Sancti charisma, atque *semen Dei manet in eo*, 1. Joan. 3. Christus pariter vivit in illo tanquam caput in membro, eum movet & regit per communicationem sui spiritus, qui fit in eo *fons aquæ salientis in vitam æternam*. Joan. 4.

X. *Objic. 2do.* Non potest homo habere verum jus justitiæ respectu Dei; neque facturus esset Deus ullam injuriam, etiamsi justo nollet cœlestem gloriam largiri.

Resp.

Resp. Id verum esse, si Deus consideretur ut absolutus Dominus & ratione propriæ excellentiæ & Majestatis: ita namque nullum est homini jus respectu Dei, sed donum gloriæ est mere gratuitum. Sed idem gloriæ donum, ut relatum ad liberam Dei institutionem & promissionem, jure debetur homini justo. Nam tale jus esse in eo respectu Dei, satis aperte docet Scriptura, cum ait, Deum esse justum judicem; & quia justus simul & fidelis est, promissam justitiæ coronam redditurum. Non itaque facturus esset Deus injuriam, si gloriam, cujus absolutus Dominus est, nec justis concederet, si vel opera tantum, vel absolutam Domini Majestatem & auctoritatem spectemus: at si operibus accedat divina præordinatio & liberalis promissio, fidelis est, nec aliquem fraudat mercede; justus est, & reddet unicuique secundum opera ejus.

Cæterum universim observandum est, ad meritum de condigno non requiri, quemadmodum supponit Durandus, ut debeatur merces seu præmium ex stricta justitia; sed satis est, quod opus proportionem habeat ad mercedem, & intercedat promissio ex parte remuneratoris. Atqui opus justi ex gratia elicitum est proportionatum, & æquivalens vitæ æternæ; justus enim, utpote Filius Dei adoptivus, per gratiam sanctificantem factus consors naturæ divinæ, ut loquitur S. Petrus Epist. 2. c. 1. & in esse divino constitutus, jus habet ad vitam æternam, tanquam hæreditatem; opera quoque ejus per motionem Spiritus Sancti ad eam tendunt, ac diriguntur, exceduntque quodlibet aliud inferius præmium; adjunctam insuper habent Dei promissionem: igitur sunt vitæ æternæ meritoria de condigno.

XI. *Objic.* 3*tio:* Debitum reddendi gloriam ex justitia, ex quocunque capite oriatur, lædit dominium Dei, quod est facultas utendi re sua sine injuria alterius. Unde S. Augustinus negat Deum esse nostrum debitorem. Nam sic loquitur

Lib.

Lib. I. Confeff. c. 4. *Reddis debita, nulli debens, donas debita, nihil perdens.*

Resp. Ex eo quod Deus gloriæ fuæ fit Dominus, fequitur quidem, quod eà abfolute uti poffit, illamque dare cui placuerit, fine injuria alterius; poffetque hominem, etfi juftum, damnare, dicente Auguftino in Pfalmum 10. *Si Deus damnaret juftum, quis ei diceret, quid feciſti?* Attamen fuppofita fua liberali promiffione, & pacto dandi gloriam, ut prœmium meritorum, ficut ftante fuo dominio tenetur eam fecundum Adverfarios dare ex fidelitate, ita tenetur etiam dare ex juftitia diftributiva: debito nempe orto ex fe ipfo, non ex nobis, ratione fcilicet fuæ rectitudinis, & æquitatis. Et hoc eft quod dicit Paulus ad Hebr. 6. v. 10. Et ex eo Tridentinum Seff. 6. c. 16. *Non enim injuftus eft Deus, ut oblivifcatur operis veftri* &c. Et Auguftinus Lib. de natura & gratia c. 2. *Non enim injuftus Deus, ut juftos fraudet mercede juftitiæ.* Hinc cum in loco nobis objecto dicit, Deum nulli debere, negat duntaxat Deum effe debitorem noftrum abfolute & independenter a libera promiffione fua. Dicit namque S. Doctor, Deum reddere nobis debita. Ergo debitor nofter eft: non enim quis poteft reddere debitum, nifi ipfe debitor fit. Agnofcit igitur S. Doctor, Deum effe debitorem noftrum, fcilicet dependenter a promiffione, qua vitam æternam ut mercedem promifit bonis meritis, quæ nobis donat, liberaliter movendo nos per gratiæ fuæ auxilium. Dicit tamen, eum reddere debita, nihil debentem, tum quia nihil debet, nifi ex libera promiffione fua; tum quia non debet aliquid, nifi propter merita, quæ funt ipfius dona. Unde S. Doctor fubdit, Deum donare debita. Deus nempe juxta S. Auguftinum reddit, & donat debita: reddit; quia debet; donat, quia non debet, nifi propter merita ab eo liberaliter donata.

Con-

Confectaria.

XII. CUm Deus promiserit gloriam diligentibus se, & bene operantibus; atque adeo adeptio gloriæ ex duobus pendeat, nimirum ex Dei fidelitate, & ex nostris bonis operibus; spes & fiducia justorum nascitur non ex sola fide, aut solis divinis promissionibus, ut volunt Sectarii, sed ex ipsorum etiam bonis operibus per Christum comparatis. In his itaque reponere licebit spem divinæ retributionis, ita, ut qui bene agere studuit, & bonam conscientiam gerit, dicere possit cum Nehemia L. 2. Esdræ c. 5. *Memento mei, Deus meus, in bonum, secundum omnia quæ feci populo huic:* aut cum Davide Psal. 17. *Retribuat mihi Dominus secundum justitiam meam:* aut denique cum Apostolo 2. ad Tim. 4. *Bonum certamen certavi* &c.

Sed ne inde appetitus laudis subrepat, aut perniciosa in nobis præsumptio oriatur, ante omnia considerandum est, divina auxiliante gratia factum esse, si quid boni peregimus; atque cum Apostolo dicendum, *non ego, sed gratia Dei mecum.* Deinde peracta opera, quamvis bona videantur, ita æstimare non debemus, ut nullo concutiamur timore; cum nesciat homo, utrum amore an odio dignus sit, atque etiam justis quotidie divina misericordia sit imploranda. Præterea cum facillimum sit deperdere justitiam, maxime si relinquatur sibi ipsi humana infirmitas, sic vero nimium præsumentes deseri soleant, æquum est, ut cum timore & tremore operemur salutem nostram. Denique meminisse oportet, non cuilibet justo, sed ei, qui perseveraverit usque in finem, paratam esse salutis æternæ retributionem, ipsam vero perseverantiam finalem specialissimum Dei donum esse, divino beneplacito destinatum electis, ut alibi demonstravimus. Quæ omnia videntur Tridentini Patres comprehendisse Sess. 6.c.16. *Absit, ut Christianus homo in se ipso vel confidat, vel glo-*

rietur, & non in Domino; cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes; unusquisque, sicut misericordiam & bonitatem, ita severitatem & judicium ante oculos habere debet; neque se ipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, judicare: quoniam omnis hominum vita, non humano judicio examinanda, & judicanda est, sed Dei; qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo, qui, ut scriptum est, reddet unicuique secundum opera sua.

XIII. Licitum est & honestum operari intuitu mercedis æternæ. Ita definiit laudata Synodus eadem Seff. 6. Can. 31. *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema sit.* Patet ex scripturis. Nam Psal. 118. v. 112. legitur: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Et ad Hebr. 11. v. 2. de Moyse dicitur, quod omnia contempserit: *Aspiciebat enim in remunerationem.* Ita hortatur Apostolus Galatas c. 6. v. 9. & Colossenses c. 3. v. 24. *Scientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Et merito quidem: Si namque vita æterna est finis bonorum operum, quis inficiabitur, licere vitam æternam intueri, & ad eam opera nostra dirigere.

Neque obstat, quod DEUS reprehendat mercenarios Joan. 10. Mercenarii namque illi proprie sunt, qui mercedem solam, aut certe tanquam finem principalem intuentur; qui non gloriam DEI, sed propriam utilitatem quærunt. Hos Christus reprehendit: non autem eos, qui ita comparati sunt, ut DEO obsequerentur, etiamsi mercedem non proponeret; qui proinde in bonis operibus DEUM principaliter, ejusque gloriam ut ultimum finem spectant, mercedem autem solum ut finem proximum respiciunt; qui Deum videre cupiunt, ut eum tanto ardentius diligere, & in æternum glorificare possint.

CA-

CAPUT III.

De Conditionibus ad meritum requisitis.

I. NE justorum merita agnoscere cogerentur Protestantes, varias excogitarunt conditiones, quæ nullo modo in opera nostra simul possunt confluere. Illas præ cæteris enumerant, atque exponunt Forbesius de Justif. Lib. 4. c. 3. & Vossius Disput. 4. Leidensi. Prima est, ut opera nostra sint undequaque perfecta, non partium modo, sed etiam graduum habita ratione; non solum ut nihil unquam faciendum omittamus, aut omittendum faciamus, sed etiam ut adsit ea charitatis perfectio, quam lex ipsa postulat, vel ea saltem, quæ pro statu viæ est possibilis. Secunda, ut opus quod præstamus, sit indebitum, eo quod sub meritum non cadant ea, ad quæ obstringimur. Tertia, ut opus meritorium plane nostrum sit, non ejus, a quo merces expectatur. Quarta denique, ut opus non tantum sit dignum atque perfectum, sed etiam habeat cum mercede æqualitatem.

Nos conditiones has omnes in hæreticorum sensu acceptas superioribus Capitibus refutavimus, præsertim in Responsionibus ad Objectiones. Nunc in eas meritorum conditiones inquirendum est, quas constanter admittunt Catholici; quorum quamvis alii plures, alii pauciores exigant, in præcipuis tamen, quæ reipsa ad rationem meriti requiruntur, conveniunt omnes. Ex iis autem aliæ se tenent ex parte actus meritorii; aliæ ex parte hominis merentis; aliæ demum ex parte Dei, apud quem meretur. Sed pauciores ad meritum de congruo pertinent, quam ad meritum de condigno, ut ex decursu patebit. Sit igitur

ASSERTIO PRIMA.

Quatuor ſunt potiſſimum, quæ ex parte actus requiruntur ad hoc, ut ſit meritorius: 1mo, ut ſit liber. 2do, ut ſit bonus. 3tio, ut ſit ſupernaturalis. 4to, ut ſit ex charitate profectus.

II. PRima itaque conditio ad meritum quodcunque, tam de condigno quam de congruo requiſita eſt, ut actus meritorius ſit liber, non ſolum libertate a coactione, ſed etiam a neceſſitate. Conſtat ex damnatione propoſitionis tertiæ Janſenii, & articulorum Michaelis Baji; & ex Can. 4. Seſſ. 6. Concilii Trident. quæ non ſemel repetita ſunt. Et aperte ſignificatur in Scripturis, præſertim Eccleſ. 31. ubi de homine juſto bene operante hæc dicuntur: *Qui probatus eſt in illo, & perfectus eſt, erit illi gloria æterna; qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit; ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Item 2. ad Cor. 6. ubi Apoſtolus loquens de Eleemoſyna, ad quam fideles hortabatur, dicit: *Unusquisque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate.* Cujus etiam ratio eſt manifeſta: quia ut quis ſit præmio, vel pœna dignus, debet habere dominium ſuæ actionis, & de ea ad arbitrium poſſe diſponere; ideo enim laudem, aut vituperium meretur, quod ſe ipſum moverit ac determinaverit ad opus bonum vel malum, a quo abſtinere poterat. Atqui agens ex neceſſitate non habet dominium ſuæ actionis, nec de ea diſponit pro arbitrio. Igitur nec præmio, nec pœna eſt dignus. Plura in hanc rem dicta ſunt Part. 1. Diſſert. 2.

III. Altera conditio ad quocunque modo merendum eſt, ut opus ſit moraliter bonum & honeſtum. Videtur id lumine naturali notum. Nam ex Tertulliano natura omne malum pudore & timore perfudit, adeo ut qui mali operis conſcius eſt, natu-

naturaliter de eo erubeſcat, & inde puniri timeat, ſi non ab hominibus, ſaltem a Deo: *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum*, inquit Apoſtolus ad Rom. c. 2. & c. 6. *Stipendia enim peccati mors.* Et ipſe Dominus ad Cain Gen. 1. v. 7. *Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit.* Opera namque mala non mercedem, ſed pœnam merentur; indifferentia vero, ſi admittantur, non eſt, cur potius præmio, quam pœna digna ſint. Igitur ſola opera bona digna ſunt præmio. Accedit, quod, ut opus aliquod ſit apud Deum meritorium, debeat habere erga illum rationem obſequii, hanc vero rationem habere non poſſit, niſi ſit ei gratum & acceptum, quale profecto non eſt, niſi opus moraliter bonum & honeſtum. Quidnam autem requiratur ad hoc, ut opus ſit reipſa bonum & honeſtum, exponitur in Tract. de Actibus humanis. Nunc ſat eſt, ſi obſervetur, illud bonum opus cenſeri, quod ab æquitatis regula non deflectit; cujus non ſolum officium commendatur, ſed etiam finis recte dirigitur: Qui enim juſtitiam faciunt, ut videantur ab hominibus, *mercedem non habent apud Patrem, qui in Cœlis eſt;* & qui gloriam ſuam quærunt, & laudem captant, *receperunt mercedem ſuam.* Matth. 6. v. 1. 5.

IV. Tertia conditio meriti cujuscunque eſt, ut actus ſit ſupernaturalis. Conditionis hujus neceſſitatem probant ea, quæ Part. I. Diſſert. I. adverſus Pelagianos & Semipelagianos diſputavimus. Et ratio uberior eſt, quod inter medium & finem, opus & mercedem, meritum & præmium, quædam debeat eſſe proportio. Atqui inter opus naturale & præmium ſupernaturale nulla omnino eſt proportio, cum ejusmodi præmium excedat omnem ordinem creatum. Ergo nullus actus poteſt eſſe tanti præmii meritorius, niſi ſit ſupernaturalis & ordinis divini.

Duo autem requiruntur ad supernaturalitatem actus: nempe principium supernaturale, & objectum seu finis supernaturaliter movens. Principium quidem, quia causa naturalis nonnisi naturaliter operatur; ut ergo voluntas humana supernaturaliter agat, debet a principio supernaturali, nempe a gratia elevari. Propterea Joan. 15. inquit Christus: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* In Christo autem manendum non habitu dumtaxat, & per gratiam sanctificantem; sed & actu, & per actualem ejus spiritus influxum. Unde Patres Tridentini Cap. 16. Sess. 6. sic docent: *Cum ille ipse Christus JEsus, tanquam caput in membra, & vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent.*

Objectum quoque, seu finis supernaturaliter movens concurrere debet ad actum supernaturalem: quia omnis actus speciem & essentiam desumit ab objecto motivo; ac proinde actus erit mere naturalis, si motivum sit naturale, qualis est civilis honestas, captanda hominis benevolentia, lucrum faciendum &c. Neque sufficere videtur, quod actus moraliter bonus atque honestus habitualiter & concomitanter referatur ad finem supernaturalem, quatenus videlicet producitur ab homine habitualiter justo, absque ullo alio justitiæ & charitatis influxu. Relationem hanc ad verum meritum satis esse putat Vasquez hic Disput. 217. Cajetanus q. 21. a. 3. & alii quidam apud ipsos; secundum quos opus quodlibet hominis justi moraliter bonum etiam in ordine naturali, est vitæ æternæ meritorium. Fundamentum hujus opinionis est, vel quod status personam dignificans quamdam in omnes ejus actiones bonas dignitatem influat; vel quod justus ita sit erga Deum affectus, ut sponte in Deum referret quidquid agit, si de eo referendo cogitaret; vel quod idem justus se, suaque

omnia,

omnia, saltem aliquando per actum charitatis in Deum retulerit.

Sed contrarium multo probabilius videtur: scilicet, habitualem in finem supernaturalem relationem, sive concomitantiam habitus charitatis non sufficere, ut opera, quæ solum sunt moraliter bona, sint æternæ vitæ meritoria. Ratio est, tum quod Tridentinum loco paulo ante citato cum dixisset Christum in justificatos jugiter influere virtutem, *quæ bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur*; addat, *sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent*; opera autem etiam moraliter bona hominis justi non fiant ex virtute, quam Christus in ea influat. Tum quod meritum inter et præmium vera debeat esse proportio, sola autem habitus charitatis concomitantia nullam in actus aliunde naturales supernaturalitatem infundere possit; quia alioquin a contrario status peccati mortalis in singula opera etiam bona vitiositatem influeret, quod dici nequit. Tum denique, quod, si sermo sit de merito condigno, ad id non sufficiat sola personæ dignitas, sed requiratur ipsa dignitas operis, hæc vero prorsus desit, si opus non producatur a gratia. Ergo dicendum cum S. Thoma in 2. Sent. Dist. 40. q. unic. a. 5. & 6. *Non sufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum; quia ex hoc quod est in habitu nullus meretur, sed ex hoc quod actu operatur.*

V. Quarta denique conditio ad meritum de condigno requisita, est, ut actus proficiscatur ex motivo, vel imperio charitatis. Conditionem hanc complures Theologi negant necessariam esse ad meritum, existimantes, actibus supernaturalibus cujuscunque virtutis in homine justo inesse veram & propriam rationem meriti, dummodo conditiones cæteræ supra explicatæ illis adsint. Sed nos contrariam opinionem, quia probabilior nobis visa, amplectimur, asserimusque, ea dumtaxat hominis justi opera de condigno mereri vitam æternam, quæ vel eliciuntur,

vel

vel saltem imperantur a charitate. Ita S. Thomas 1. 2. q. 114. art. 4. Bellarminus, & plures alii. *Meritum vitæ æternæ*, inquit Doctor Angelicus, *primo pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur.* Et in responsione ad 3. objectionem, nempe quod actus fidei, patientiæ, & fortitudinis sint maxime meritorii, ut patet in Martyribus, sic habet: *Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Galat. 5. Similiter etiam actus patientiæ & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex charitate hæc operetur, secundum illud 1. ad Corinth. 13. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Prob. autem ex Scriptura, quæ disertis verbis beatitudinem charitati promittit: Joan. 14. *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* 1. ad Corinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Jacobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Cum igitur regnum cœlorum promittitur pauperibus spiritu, misericordibus, persecutionem passis propter justitiam &c. subintelligi debet conditio, si nempe, ut supra interpretatur S. Thomas, virtutes illæ imperentur, & dirigantur a charitate; quia ex Apostolo cit. Epist. ad Corinth. *Si habuero omnem fidem - - charitatem autem non habuero, nihil sum.* Ubi intelligit charitatem non solum habitualem, & veluti otiosam, sed operantem, id est, elicientem proprios actus, vel actus aliarum virtutum imperantem, ut patet ex sequentibus: loquens enim de charitate, sine qua se in ordine ad vitam æternam nihil esse dixit, sic prosequitur: *Charitas patiens est, benigna est &c.* Et ad Galat. c. 5. hæc habet: *In Christo JESU neque Circumcisio aliquid valet (*in ordine ad promerendam vitam æternam) *neque præputium; sed fides,*

quæ

quæ per charitatem operatur. Fides autem operatur per charitatem, illam excitando, & per illam virtutes alias ad actus proprios movendo, & applicando. Hinc idem Apostolus fideles adhortatur, ut omnia sua opera faciant ex motivo charitatis: *Omnia vestra in charitate fiant.* 1. ad Corinth. 16. *Ambuletis digne Deo per omnia placentes.* ad Col. c. 1. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. ad Corinth. 10.

Ratio autem est *Primo*, quia debet esse proportio inter meritum & præmium. Cum ergo gloria æterna sit præmium præstantissimum, obtineri debet per actum præstantissimum, scilicet charitatis. *Secundo*, ut opera justorum sint meritoria apud Deum, fieri debent in obsequium Dei. Sed non fiunt in Dei obsequium, nisi ex affectu ipsi placendi fiant, adeoque nisi fiant aut imperentur a charitate. *Tertio*, justi vitam æternam mereri non possunt, nisi per actus illos, quibus Deus proposuit, & promisit vitam æternam ut mercedem. Atqui hanc promisit actibus, qui a charitate proficiscuntur, ut ex pluribus Scripturæ locis supra adductis colligitur.

VI. *Oppon.* Si ea dumtaxat hominis justi opera merentur vitam æternam, quæ a charitate profluunt; plurima bona opera inutilia erunt apud Deum, aliarumque virtutum actus nullum habebunt meritum in ordine ad vitam æternam. Atqui hoc intolerabile videtur; præsertim cum Scriptura variis locis promittat vitam æternam bonis operibus sine conditione operandi ex charitate; & Concilium Trident. Sess. 6. c. 16. ad meritum de condigno tres tantum conditiones requirat, videlicet ut opera sint bona, ut fiant a justis ex influxu gratiæ, & ut fiant in Deo.

Resp. Quamvis bona opera justorum, seclusa charitate, meritoria non sint de condigno vitæ æternæ, non tamen idcirco inutilia sunt apud Deum; valent enim ad vitanda pec-

cata, ad servanda mandata divina, ad augendos habitus virtutum acquisitarum, ad impetrandas uberiores gratias &c. Et quamvis cæterarum virtutum actus se solis, & absque charitatis actu meritum vitæ æternæ non habeant; si tamen ex motivo, vel imperio charitatis ipsos ad operandum applicantis eliciantur, vim habent merendi de condigno, & re ipsa in homine justo merentur vitam æternam, secundum bonitatis & perfectionis suæ gradum, secundum quem Deo grati sunt & accepti.

Scripturam quod attinet, quamvis in aliquibus locis, in quibus vita æterna bonis justorum operibus promittitur, nulla fiat expressa mentio conditionis, quam ad meritum de condigno exigimus, ea tamen conditio necessario subintelligi debet; sicut necessario subintelligitur conditio operandi ex fide, & status justitiæ in operante: cum in pluribus aliis Scripturæ locis, quorum aliqua supra attulimus, conditio operandi ex charitate aperte exprimatur. Quibus & illud Matth. c. 19. addi potest: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Item illud Marci c. 9. *Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo . . . . amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Quid est, opus aliquod bonum facere propter nomen, in nomine Christi, nisi illud facere ex affectu placendi Christo?

Concilium pariter, cum ad meritum de condigno requirit, ut opera bona fiant in Deo, implicite requirit, ut a charitate eliciantur, vel saltem imperentur. Et cum cap. 10. dicit, justificatos crescere, & magis justificari per observationem mandatorum Dei, fide cooperante bonis operibus, subintelligit charitatis influxum, ne videlicet contradicat Apostolo dicenti ad Gal. c. 5. *In Christo JEsu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur.*

Sed

Sed *inquies:* Actus cæterarum virtutum in homine justo habent secundum se, & præciso charitatis actu, a quo imperentur, sufficientem proportionem cum vita æterna ut mercede. Ergo se solis, & quin ex motivo aut imperio charitatis fiant, reipsa merentur vitam æternam.

Resp. Neg. ant. Nam ut sufficiens proportio habeatur inter meritum & mercedem, requiritur moralis quædam æqualitas, quam cæterarum virtutum actus, nisi ex charitate proficiscantur, non habent: quia ad hanc æqualitatem necessarius est actui meritorio aliquis excellentiæ gradus, quem virtutum cæterarum actus a charitate dumtaxat accipiunt, cum ab ea imperantur. Tum enim ordinantur ad Deum, & veluti formantur ac perficiuntur in ordine ad promerendam vitam æternam, ut docet S. Thomas, 2. 2. quæst. 4. art. 3. Sine hac autem ordinatione ad Deum per charitatem facta, actus aliarum virtutum sunt informes & imperfecti, atque adeo ad mercedem vitæ æternæ promerendam insufficientes. Verum esto etiam, quod actus illi secundum se proportionem habeant cum vita æterna; ad hoc tamen ut illam reipsa mereantur, requiritur promissio illius mercedis retribuendæ a Deo facta: Deus autem proposuit, & promisit vitam æternam ut mercedem illis tantum operibus, quæ fiunt aut imperantur a charitate. Sic 1. ad Cor. c. 2. dicitur: *Oculus non vidit, nec auris audivit &c: quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Et Jacobi Epist. c. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Cæterum homines justi, quive vitam vere Christianam agunt, cum bene operantur, ut plurimum operantur ex charitate; neque enim virtutes christianas exercent, nisi ut Deo placeant, eique se probent. Illas namque non exercent sine instinctu Spiritus Sancti, qui eos ad operandum efficaciter movet non propter solam honestatem virtutis, sed potissimum

quia honestas illa Deo grata est & amabilis. Atque huc, credo, pertinet illud Apostoli ad Rom. 8. *Quicunque spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei;* id est, agunt, ut Filios Dei decet, ut nimirum placeant Deo, & quia Deum diligunt. Unde subjicit Apostolus: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo* (filiali affectu, & præ timoris teneritudine) *clamamus: Abba, pater.*

ASSERTIO SECUNDA.

Ex parte merentis requiritur primum status viatoris, tum & status gratiæ ad merendum de condigno.

VII. PRimæ conditionis necessitas in Scripturis sufficienter exprimitur. Nam Ecclef. 9. dicitur: *Quodcunque facere potest manus tua instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Et iterum: *Mortui . . . non habent ultra mercedem.* Quia nempe, ut ait Christus Joan. 9. *Venit nox*, (scilicet mortis tempus) *quando nemo potest operari.* Et Apostolus ad Gal. 6. hortatur: *Dum tempus habemus, operemur bonum;* hoc est, dum mortalem hanc vitam vivimus. Ratio autem hujus non alia assignari potest, quam Dei voluntas, qui libere constituit, ut merita omnia, atque demerita morte finirentur; & congruenter quidem: quia cum Beati, & reprobi sint in termino, ultra progredi nequeunt; progrederentur autem, si illi nova merita, isti demerita congererent. Cæterum status Beatitudinis merito non repugnat, ut patet in Christo Domino; proinde, si Deus aliter constituisset, Beati etiam in Cælo mereri possent. In hac autem providentia nec Beati majorem gloriam, nec damnati gravius supplicium promerentur. Beati quidem pro nobis intercedunt; sed illorum ora-

oratio obtinet nobis beneficia potius per modum impetrationis, quam meriti. Quemadmodum & Chriſtus ſempiternum habens Sacerdotium, ſemel ſe ipſum offerendo, vi hujus ſacrificii, operisque jam peracti ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, *ſemper vivens*, ut ait Apoſtolus ad Hebr. 7. v. 25. *ad interpellandum pro nobis*, non de novo nobis merendo; ſed impetrando ſolummodo, ut merita vitæ ſuæ mortalis nobis appllicentur.

VIII. Quod autem ad meritum de condigno requiratur præterea ex parte merentis ſtatus gratiæ, certum eſt inprimis ex eo, quod a ſummis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnata ſit oppoſita Baji doctrina, his propoſitionibus contenta: *Pelagii ſententia eſt, opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non eſſe regni cæleſtis meritorium. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum.* Fundatur autem hæc veritas in ſacris literis. Nam Ezech. 18. legitur. *Si . . . averterit ſe juſtus a juſtitia ſua . . . omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Porro ſi peccatum ſubſequens delet merita prius acquiſita, a fortiori impedit, quo minus nova acquirantur. Et ad Rom. c. 8. Apoſtolus dicit: *Si autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Quibus verbis, cum ait vitam æternam eſſe hæreditatem ad ſolos Dei filios pertinentem, manifeſte ſignificat, ſolos Dei filios vitam æternam bonis operibus promereri poſſe. Item 1. ad Cor. c. 13. idem Apoſtolus: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Itaque juxta Apoſtolum ipſummet martyrium ad vitam æternam promerendam nihil prodeſt non habenti charitatem, adeoque non exiſtenti in ſtatu gratiæ. Denique Chriſtus ipſe Joan. c. 15. ſic loquitur: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Atqui peccator non manet in

Christo, quia is solum manet in Deo, *qui manet in charitate*, 1. Joan. 4. Ergo peccator, quamdiu est in statu peccati mortalis, non potest ferre fructum, eum præsertim, qui vitam æternam mercatur. Unde & Tridentinum Sess. 6. c. 16. meritum dicit esse fructum justificationis; idque probat ex eo, quod nullum meritum haberi possit, nisi Christus, *tanquam caput in membra*, & *tanquam vitis in palmites*, *in ipsos justificatos virtutem influat*.

Cujus multiplex ratio proferri potest: *1mo*. Quia opera bona, ut jam supra notavimus, sine operantis dignitate, quæ ex amici Dei, & Filii ejus adoptivi prærogativa oritur, non habent in æstimatione morali æqualitatem cum mercede vitæ æternæ: hæreditas namque non ad servos pertinet, sed ad Filios. *2do*. Si ad meritum de condigno status gratiæ non esset necessarius, sequeretur, peccatorem posse mereri de condigno remissionem peccatorum, & insusionem gratiæ sanctificantis; qui enim meretur hæreditatem, eo ipso meretur adoptari in Filium. Id vero a sensu Catholicorum omnino alienum est: *Dicat peccator*, inquit S. Augustinus in Psal. 7. *Salvum me fac*, *Domine*, *propter misericordiam tuam . . . quia nullum habet meritum peccator*, *qui adhuc justificari desiderat*. *3tio*. Quia gratanter nihil accipitur, nisi exhibitum sit ab amico. Deus, Gen. 4. v. 1. respexit ad Abel justum, deinde ad munera ejus. Sic bona hominis justi opera sunt Deo accepta, quia procedunt a persona grata & amica. Id ipsum fere in hominum moribus positum cernimus: Si enim munus ab amico offeratur, gratanter accipitur; si vero ab inimico, contemnitur.

Ad meritum autem de congruo necessarius non est status gratiæ sanctificantis; quia non ex operis dignitate, sed ex sola decentia divina beneficia hoc meritum consequuntur. Hinc peccatores, dum per actus fidei, spei, charitatis ad justificationem se disponunt, hanc promerentur solum de congruo.

gruo. Stat tamen meritum de congruo etiam cum gratia sanctificante, dum justus aut aliis gratiam promeretur, aut sibi donum finalis perseverantiæ, quæ non ex justitia conferuntur, sed ex liberalitate divina, ut deinde dicemus.

ASSERTIO TERTIA.

Ad meritum de condigno requiritur ex parte DEI pactum, vel promissio de danda mercede.

IX. Conditionem hanc minime necessariam putat Vasquez in 1. 2. Disp. 224. Mœratius Disp. 14. Sect. 2. cum paucis aliis, existimantibus, Deum statim ac gratiam, quæ boni operis principium est, confert, eo ipso obligari ad ejusdem boni operis remunerationem: unde etsi eam non promisisset, adhuc ad eam dandam obligaretur, ob operis condignitatem, cui sua merces denegari nequit.

Sed contraria sententia communior est apud Theologos; quia Concilio Senonensi & Tridentino conformior videtur. Illud namque in Decr. fidei c. 16. hæc habet: *Faciet tandem omnis misericordia locum unicuique juxta meritum operum suorum, non absoluta condignitate . . . sed gratia magis, & liberali repromissione.* Atqui si bona opera citra pactum vitæ æternæ meritoria forent, mercedis hujus retributio magis rependeretur absolutæ eorum condignitati, quam gratuitæ Dei repromissioni: immo, ut Vasquez contendit, etiamsi non accederet divina promissio, redderetur tamen vita æterna. Tridentinum vero Sess. 6. c. 16. ait: *Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia Filiis Dei misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Ubi duplicem promissionem agnoscit: unam de danda gloria, ut gratia per JEsum Christum; alteram de ea reddenda ut mercede: hæc tamen secunda includitur in prima.

Ejus-

Ejusdem ſententiæ videtur fuiſſe S. Auguſtinus, qui Enarr. in Pſal. 109. ita ſcribit: *Fidelis Dominus, qui ſe nobis debitorem fecit, non aliquid a nobis accipiendo, ſed omnia promittendo.* Et Serm. 16. de verbis Apoſtoli, nunc 158. *Debitor*, inquit, *factus eſt Deus, non a nobis aliquid accipiendo, ſed aliquid quod ei placuit promittendo. Aliter enim dicimus homini, debes mihi, quia promiſiſti mihi: & aliter dicimus, debes mihi, quia dedi tibi.* Idem ſcribit Fulgentius in prologo libr. ad Monimum: *Se ipſum ſua largitate dignatus eſt facere debitorem.* Et S. Cæleſtinus in Epiſt. ad Gallos c. 12. dicit tantam eſſe Dei erga nos miſericordiam, *ut noſtra voluerit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.*

Conciliorum & Patrum auctoritati accedit ratio. Meritum de condigno inducit obligationem mercedis ex parte Dei: ipſum enim meriti condigni nomen & ſignificatio exprimit opus, per quod aliquid nobis ab alio retribuendum mereamur, & propter quod tenetur alter ad dandam remunerationem. Atqui Deus obligari non poteſt ad reddendam mercedem homini propter bona opera etiam mercedi æqualia, niſi ipſe operibus illis mercedem propoſuerit, & promiſerit, ut patet ex S. Auguſtino; & uberius demonſtratur ex ſupremo Dei in res omnes Dominio, vi cujus omnia creaturarum obſequia, multis aliis titulis exigere poteſt tanquam ſibi debita. Unde infertur, nulli creaturæ debitorem fieri poſſe Deum, niſi ipſe voluerit, proponendo ſcilicet illi & promittendo mercedem ſub conditione talium operum mercedi aliqua ratione æqualium, atque ita cum illa libere veluti paciſcendo. Quod in Evangelica quoque parabola Matth. c. 20. ſat clare exprimitur. Inde namque colligimus, nulli operariorum, quamvis portaverit pondus diei & æſtus, deberi ex juſtitia mercedem, niſi fuerit conductus, niſi pactum cum Domino interceſſerit, niſi conventione facta perſolvendi denarium diurnum.

X. *Ob-*

X. *Objic.* Frustra asseritur ad rationem meriti de condigno necessariam esse divinam promissionem. Ergo. *Prob. ant.* Valor, seu condignitas operis sufficit ad merendum præmium. Sed opera Justorum habent valorem & condignitatem ad vitam æternam absque promissione Dei; hæc enim, utpote operibus extrinseca, nihil in ea valoris influere potest. Ergo.

Resp. Neg. ant. Ad *Prob. Dist. maj.* Condignitas operis sufficit ad merendum prœmium, si illa condignitas non sit debita prœmianti aliis titulis, *Conc.* Secus *Neg. maj.* Posset namque Deus illa exigere ut sibi debita pluribus aliis titulis, nempe creationis, conservationis, redemptionis &c. ideo obligari non potest ad reddendam mercedem, nisi ipse velit: quod autem velit, non aliter scimus, quam quia mercedem illis promisit.

Inst. Opus bonum in ratione meriti se habet, sicut opus malum, seu peccatum in ratione demeriti. Atqui peccatum pœnam meretur, etiamsi nullum intercesserit pactum: unde punitur, non quia ipsi pœna promissa est, sed quia pœnam meruit; immo nec promissa est ei pœna, nisi quia eam meruit. Ergo etiam &c.

Resp. Neg. maj. Discrimen est, quod per peccatum Deus non fiat debitor homini peccanti, sed potius ipse peccator redditur debitor justitiæ divinæ: unde peccata dicuntur debita, quatenus ex iis Deus aquirit jus peccatorem puniendi ob injuriam sibi illatam. Contra vero homo justus, cum salutariter operatur, Deum sibi facit debitorem, & jus quoddam aquirit, ita ut juxta D. Augustinum in Psal. 83. dicere possit: *Feci quæ jussisti, redde quod promisisti.* Potest itaque homo Dei debitorem se constituere citra ullum pactum, quia peccata ex natura sua digna sunt pœna: at vero Deum sibi debitorem efficere nequit, nisi ex parte Dei præcedat talis debiti fundamentum, ipsa nempe Dei promissio sub operis

conditione. Quamvis enim bona justi opera ex natura sua proportionem habeant cum vita æterna; quia tamen aliis titulis Deo sunt debita, non proportionantur cum illa, ut meritum cum præmio, nisi ex Dei voluntate ordinantis illa tanquam meritum ad gloriam ut præmium.

Consectarium.

XI. AD meritum de condigno septem conditiones requirimus: scilicet, ut Opus meritorium sit liberum, sit bonum, sit supernaturale, sit ex charitate profectum; sit elicitum in statu viæ, sit hominis justi, sit cum divina promissione conjunctum.

Ad meritum autem de congruo sufficit si opus sit liberum, bonum, in ordine supernaturali, ab homine viatore elicitum; quia sine his conditionibus nullum opus movere potest Deum ad præmii supernaturalis retributionem. Non requiritur autem absolute status gratiæ sanctificantis, aut promissio Dei: ad tale enim meritum sufficit, si opus habeat aliquam rectitudinem, cujus intuitu Deus beneficium aliquod impertiatur. Negari tamen non potest, etiam istas duas conditiones in merito de congruo aliquando intervenire. Nam Ezech. 18. v. 21. Deus peccatori pœnitenti veniam promittit, quam peccator nondum justus de congruo solum mereri potest. Sic pariter Jacobi 5. dicitur: *Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* Ubi requiritur status justitiæ, ad hoc ut quis alteri mereatur, & tamen homo, qui aliis meretur, meretur solum de congruo: quemadmodum solum de congruo meretur sibi justus donum finalis perseverantiæ.

SE-

SECTIO II.

DE

PROEMIO MERITIS RESPONDENTE.

PRæter vitam æternam, quam Juſtorum meritis de condigno rependi diximus, ſunt & alia divinæ largitatis dona, quibus beneficentiſſimus DEUS opera noſtra bona ex gratia elicita remunerari ſolet. Expoſita itaque Operis meritorii natura, & conditionibus ad merendum requiſitis, explicandum ſupereſt, quid poſſimus de congruo, & quid de condigno tam nobis ipſis, quam aliis, apud DEUM promereri.

CAPUT I.

Utrum homo mereri poſſit primam gratiam, ſive auxiliantem, ſive juſtificantem, ſibi, vel aliis?

I. IN ſerie divinorum auxiliorum & gratiarum, quæ nobis ad conſequendam beatitudinem conferuntur, primo loco connumeratur gratia fidem præveniens, quam conſequuntur liber voluntatis aſſenſus, timor, ſpes, charitas, & peccatorum deteſtatio, quibus priori Diſſert. diximus homines ad juſtificationem diſponi. De prima itaque illa vocatione ad fidem, tum & de prima gratia juſtificante quæritur in præſenti, an, & quomodo ſibi, vel alteri eam mereri quis poſſit?

ASSERTIO PRIMA.

Nemo ſibi primam gratiam actualem mereri poteſt, nequidem de congruo.

II. ID ſat fuſe a nobis pertractatum & oſtenſum eſt Parte I. Diſſ. I. contra Pelagianos & Semipelagianos; ex quorum doctrina ſequitur, gratiam ſecundum merita noſtra dari, & merita quidem ſolis naturæ viribus facta; quod damnatum eſt a Conciliis Milevitano, Palæſtino, & Arauſicano II. ac deinde a Tridentino Seſſ. 6. c. 5. ubi Sancta Synodus *Declarat, ipſius juſtificationis exordium in adultis a DEI per Chriſtum JEſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo averſi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam &c.* Quibus verbis omne meritum etiam de congruo excluditur; conformiter ad dictum Apoſtoli ad Rom. c. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.* Et ad Epheſ. 1. v. 11. *In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ejus.* Si gratia non ex operibus, ſi ſorte vocamur, & eligimur, & ſecundum propoſitum; nulla præventio, nullum omnino meritum locum habere poteſt. Et ſane cum Concilia & Patres contra Pelagianos & Semipelagianos dixerunt primam gratiam actualem non dari ſecundum merita noſtra, non ſolum merita de condigno, ſed etiam de congruo intellexerunt. Semipelagiani namque nunquam docuere, fidei & aliorum bonorum operum initia ex ſolis arbitrii viribus profecta, eſſe de condigno meritoria, ſed ea ita ex parte noſtra præcedere volebant, ut eorum intuitu moveretur Deus ad dandam primam gratiam actualem, puta vocationis ad fidem; reſpectu cujus meriti alicujus ſaltem de congruo rationem haberent illa bonæ voluntatis initia.

Igi-

Igitur Concilia & Patres contra eos disputantes, vel nihil egerunt, vel certe meritum quodcunque etiam improprium & solum de congruo a primæ gratiæ actualis collatione removendum esse, pronuntiarunt. Sed de his satis actum est citatis locis.

ASSERTIO SECUNDA.

Gratiam primo justificantem sibi nullus mereri potest de condigno; potest tamen eam mereri de congruo.

III. PRob. 1ma pars. Ex Apostolo ad Rom. c. 3. v. 24. dicente: *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Et ad Titum 3. v. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti.* Ex quibus patet, justificationem esse omnino gratuitam. Idem docet Augustinus in Epist. 105. ad Sixtum, ubi sic ait: *Nullane sunt merita justorum? sunt plane, quia justi sunt; sed ut justi fierent, merita non fuerunt. Justi enim facti sunt, cum justificati sunt: sed sicut dicit Apostolus,* justificati gratis per gratiam ipsius. Et Concil. Trident. Sess. 6. c. 8. Ubi hæc leguntur: *gratis autem justificari ideo dicamur; quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Manifestum est autem, S. Augustinum & Trident. Synodum loqui de merito saltem proprie dicto, & de condigno. Ergo adultus qui justificatur, non meretur de condigno suam justificationem, adeoque nec primam gratiam sanctificantem, quæ est causa formalis illius. Quamvis enim per actus fidei, spei, pœnitentiæ homo se disponat ad justificationis gratiam, eam tamen illis actibus de condigno non meretur: quia opera illa proficiscuntur quidem a Spiritu Sancto movente, at non a Spiritu Sancto inhabitante, ut docet Tridentinum Sess. 14. c. 4. ac

proinde non sunt opera filii, & amici Dei, sed tantum aspirantis ad filiationem, & amicitiam Dei; atque ita illis deest dignitas operantis.

Et ratio ulterior est, quod juxta receptum Theologorum axioma, *principium meriti non cadat sub meritum*, nec possit esse effectus meriti; alias supponeret seipsum antequam esset: gratia autem sanctificans est principium totius meriti de condigno. Quia non potest homo de condigno mereri, nisi sit Deo gratus, ipsique amicus. Atqui gratus & amicus fit Deo per gratiam sanctificantem. Ergo per hanc solam dignificantur actus hominis, ut sint meritorii de condigno. Ergo actus gratiam justificantem præcedentes, cum non sint actus hominis Deo grati & amici, non possunt esse de condigno meritorii.

IV. *Oppones*: Contritio perfecta meretur de condigno gratiam sanctificantem: Ergo.

Resp. Neg. ant. Quia ex Trid. Sess. 14. c. 4. *Contritionis motus fuit quovis tempore necessarius ad impetrandam veniam peccatorum.* Quod autem necessarium est ad impetrandam peccatorum remissionem, supponit peccatum nondum remissum, adeoque est opus hominis nondum justi. Contritio itaque etiam perfecta non est *formaliter* ipsa justificatio, sed ipsi præexistit: & est ultima quidem ad eam dispositio, quam nempe *justificatio ipsa sequitur*, ut rursus habet Trident. Sess. 6. c. 7. Sed dispositio hæc non est de condigno meritoria; quia nondum est opus hominis justi, cum prior sit infusione justificationis, & ad hanc proxime disponat.

Sed *inquies*: Saltem contritioni prout conjunctæ cum gratia sanctificante, quæ, ipsa posita, statim infunditur, nihil deest, quo minus meritoria sit de condigno ejusdem gratiæ; tunc enim contritio est actus hominis justi. Adest præterea promissio divina de gratia homini contrito conferenda, Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me . . . & convertar ad vos.* Ergo. *Resp.*

Resp. Neg. ant. Contritio enim est conjuncta cum gratia sanctificante, sicut ultima dispositio cum forma, non sicut meritum cum præmio. Si enim contritio ut conjuncta primæ gratiæ sanctificanti eam mereretur, gratia hæc esset seipsa prior simul & posterior. Prior quidem, quia esset principium meriti suiipsius; posterior vero, quia ejusdem meriti præmium, & terminus foret; quod certe repugnat. Deinde, nemo præmium meretur per ipsum præmium; neque istud facit, sed supponit dignitatem operis, cujus est præmium. In hypothesi autem, quam impugnamus, homo per ipsam gratiam sanctificantem contritioni annexam eandem gratiam sanctificantem mereretur; quod rursus repugnat. Promissionem divinam apud Zachariam factam quod attinet, Deus promisit veniam vere contritis corde, non ut mercedem & coronam, quomodo promisit gloriam; sed solum ut donum liberale, promissione, qua se obligavit ex sua fidelitate, non ex justitia.

V. *Prob. jam altera assertionis pars:* Meritum de congruo illud dicitur, quod vim habet ex decentia quadam & congruitate inducendi Deum ad beneficii alicujus concessionem. Atqui actus salutares, quibus homo se ad justificationem disponit, vim habent ex decentia inducendi Deum ad dandam primam gratiam sanctificantem: sunt enim actus supernaturales, ejusdemque ordinis cum gratia sanctificante. Ergo sunt meritorii de congruo.

Idem ostendi potest ex citata Epistola S. Augustini ad Sixtum; ubi S. Doctor sic loquitur: *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat: neque enim nullum est meritum fidei.* Sed fides cum aliis operibus salutaribus, per quæ peccator se ad justificationem disponit, non potest mereri remissionem peccatorum, nisi merendo primam gratiam sanctificantem, sine qua peccata non remittuntur. Unde idem S. Doctor Tract. 44. in Joan. *Ista*, inquit, *con-*

confessio (Publicani Deum sibi esse propitium deprecantis) *meruit justificationem.* Sed non meruit, nec mereri potuit de condigno. Ergo meruit de congruo. Congruum namque est, quod Deus inveniens in homine legitimas dispositiones ad gratiam justificantem, gratiam ipsam adjiciat: congruum inquam est, congruitate tenente se non ex parte operantis, qui adhuc peccator supponitur; sed ex parte operum, quæ sunt in ordine supernaturali, & tendunt cum aliquali proportione velut præparationes ad gratiam justificantem.

ASSERTIO TERTIA.

Homo justus nullam potest gratiam alteri mereri de condigno: potest tamen tam actualem, quam habitualem mereri de congruo.

VI. PRob. Quia omne meritum condignum justi compensatur in præsenti providentia adæquate per augmentum propriæ gratiæ & gloriæ. Hinc 1. ad Corinth. 5. & passim in aliis Scripturæ locis, dicitur, unumquemque recepturum prout egerit ipse, non alter pro eo. Et S. Hieronymus in c. 25. Matth. *Unusquisque*, inquit, *pro operibus suis mercedem accipiet.* Item S. Augustinus Tract. 102. in S. Joan. explicans hæc Christi Domini verba: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, ita loquitur: *Exaudiuntur omnes Sancti pro se ipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis, quia non utcunque dictum est*, Dabit, *sed*, Dabit vobis.

Assertio autem procedit de puro homine. Certum est enim, Christum Dominum potuisse ratione unionis Hypostaticæ de condigno pro aliis mereri, & defacto nobis gratias quascunque promeritum. Nam *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, Joan. 1. v. 16. Intelligi etiam debet secundum legem Dei ordinariam, & posito rerum statu, qui nunc

nunc eſt: quia nihil repugnat, ſi Deus ita vellet, talem ac tantam gratiam puro homini concedi, ut accedente præſertim Dei pacto & promiſſione, non tantum ſibi, ſed etiam aliis mereri aliquid de condigno poſſet.

VII. Quod vero poſſit juſtus primam gratiam, aliaque dona alteri de congruo promereri, certum videtur. Quia ad hoc nihil aliud requiritur, quam ut offerat Deo opus huic præmio proportionatum, quod a Deo acceptari conveniens ſit. Atqui juſtus offerre poteſt Deo opus præmio proportionatum, ſupernaturale ſcilicet, & conforme ordini divinæ providentiæ, quæ vult, ut homines ſe invicem in negotio ſalutis adjuvent; & hoc opus, cum ſit hominis Deo amici, ab eodem Deo acceptari conveniens eſt. Hinc Jacobi 5. v. 16. monemur orare invicem, ut ſalvemur: *Orate pro invicem, ut ſalvemini.* Et ut intelligeremus, orationem iſtam eſſe aliquomodo meritoriam, ſubjungitur: *Multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Hoc ipſum docet praxis univerſæ Eccleſiæ, in qua hæc pia ſemper viguit conſuetudo, ut fideles pro invicem orarent. Unde S. Auguſtinus Serm. 4. de Sanctis, nunc Serm. 382. *Si Martyr*, inquit, *Stephanus non ſic oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet:* ſuamque converſionem Monicæ Matris ſuæ precibus attribuit ipſe L. 3. Confeſſ. c. 11.

Obſervandum eſt autem, juſtum bonis ſuis operibus non aliter mereri poſſe alteri, nempe peccatori, converſionem, primamque gratiam ſanctificantem, niſi in quantum meretur illi gratias actuales, aut alia media, quibus ad illam gratiam accipiendam diſponatur. Ut vero ejusmodi ſequatur effectus, ex parte merentis requiritur, ut opus illud bonum, quo meretur, ſaltem interpretative referatur ad hunc finem. Requiritur præterea ex parte peccatoris, ut nullum effectui illi obicem ponat.

Porro cum hoc meritum nulli Dei promiſſioni, ſed cuidam ſolum convenientiæ & congruentiæ innitatur, fieri

poteſt, ut effectum ſuum non conſequatur; aliæ namque rationes ſoli Deo cognitæ intervenire poſſunt, ob quas magis conveniens ſit, ut Deus dona illa ſua non conferat, quæ unus alteri impetrare & promereri intendit. Unde apud Jerem. c. 31. legimus Deum dixiſſe: *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.*

CAPUT II.

An, & quomodo juſtus mereatur augmentum gratiæ, & gloriæ? Et an ſibi mereri poſſit reparationem poſt lapſum?

I. GRatiam ſanctificantem non eſſe æqualem in omnibus omnino juſtis, ſed capacem augmenti, & in aliis majorem, in aliis minorem, pro diverſa nimirum ipſorum diſpoſitione, definitum eſt a Concilio Trid. Seſſ. 6. Can. 24. his verbis: *Si quis dixerit, acceptam juſtitiam non conſervari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera . . . anathema ſit.* Et Seſſ. 5. c. 10. eadem Synodus dixerat, *Juſtificatos in ipſa juſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus creſcere, atque magis juſtificari:* juxta illud nempe, quod ſcriptum eſt in poſtremo Apocalypſeos v. 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* Et Prov. 4. *Juſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem.* Quod etiam commonſtrat S. Mater Eccleſia, ita Deum exorans Dom. XIII. poſt Pentec. *Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum.*

Hoc poſito, quæritur primum: Quomodo ſibi juſtus mereatur dictum gratiæ ſanctificantis, & per conſequens etiam gloriæ eidem reſpondentis augmentum? Deinde: an eo tempore, quo juſtus eſt, poſſit ſimpliciter a DEO me-

mereri, ut si contingat, ipsum labi in peccatum mortale, donetur ei gratia conversionis & pœnitentiæ; sicque restituatur in statum gratiæ, quo per peccatum exciderat?

ASSERTIO PRIMA.

Justi per bona opera, & observantiam mandatorum DEI de condigno merentur augmentum gratiæ, & gloriæ.

II. PRobatur ex Concilio Trid. quod Sess. 6. Can. 32. profert anathema in eum, qui dixerit, *hominem justificatum bonis operibus non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam . . . atque etiam gloriæ augmentum;* quæ illius verba de vero & proprie dicto merito, quale est meritum de condigno, intelligenda sunt; non autem de congruo, quod non nisi improprie meritum dicitur. Et ratio est, quod nihil justorum bonis operibus desit, quo minus augmentum hoc gratiæ & gloriæ de condigno mereantur. Sunt enim, ut supponimus, opera in ordine supernaturali, libere ab homine justo exercita, & præterea ejusmodi operibus gratiæ & gloriæ augmentum Deus promisit Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate, & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* His namque verbis, cum Spiritus S. promittitur, augmentum ipsius gratiæ promitti intelligendum est, ut docet S. Augustinus Tract. 74. in Joan. *Restat, ut intelligamus, Spiritum Sanctum habere illum, qui diligit; & diligendo mereri, ut plus habeat, & plus habendo diligat.* Gloriæ quoque augmentum promittitur ad Gal. c. 6. *Qui seminat in spiritu, in spiritu metet vitam æternam.* Et 2. ad Corinth. c. 4. *Quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Porro Justi merendo gratiæ augmentum, merentur etiam omnia auxilia tam temporalia, quam spiritualia & superna-

naturalia, sine quibus eam conservare non possunt. Unde dicit justus, *justum auxilium meum a Domino.* Atque hæc auxilia justis nunquam denegat Deus: inde est, quod eos nunquam deserat, nisi prius ab illis deseratur, ut diximus alibi.

ASSERTIO SECUNDA.

Justi reparationem post lapsum de condigno mereri non possunt per opera bona in statu justitiæ facta.

III. Constat ex iis verbis Ezech. 18. v. 24. *Si averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem . . omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ex quibus recte inferunt Theologi, omnia hominis justi merita mortificari, & extingui per peccatum mortale superveniens; nemo autem meretur per opera, quæ extincta sunt. Et ratio ulterior est, quod meritum de condigno innitatur promissioni divinæ. Atqui Deus nusquam promisit, se justum, qui in peccatum prolapsus esset, ab eo liberaturum esse ob præcedentes ejus justitias; sed potius contrarium promisit, ut patet ex adductis Ezechielis verbis. Ergo qui gratiæ sanctificantis jacturam fecit, si misericorditer moveatur ad pœnitentiam, gratiam iterum consequitur, non merito condigno præcedentis justitiæ, quæ extincta est; sed merito congruo præsentis contritionis. Sequeretur præterea in contraria sententia, Justos, qui per longius tempus bene operati fuissent, etiamsi postea in peccata quantumcunque enormia labantur, jus habere ad gratiam sanctificantem sibi restituendam, saltem in fine vitæ; nec ullum eorum moriturum impœnitentem, & damnandum fore. Cum ergo ex Concilio Trid. Sess. 6. c. 8. justificatio impii sit gratuita, ita ut nihil eorum, quæ ipsam præcedunt, de condigno illam mereatur; dici debet, nullum me-

mereri de condigno, ut si excidat a justitia, lapsum hunc reparet.

IV. An autem id saltem de congruo mereri possit, in dubium vocant Theologorum nonnulli. Sed conciliari poterunt contrariæ opiniones, si duplex hoc loco congrui meritum distinguatur: unum videlicet in sensu strictiore & magis proprio, quod cum mercede infallibiliter connexum est, quale est meritum peccatoris per contritionis actus ad justificationem se disponentis; alterum in sensu latiore, & minus proprio, quod non habet promissionem mercedis, sed puram ac simplicem dicit impetrationem, fundatam in sola munificentia & liberalitate donantis.

Si meritum posteriore hoc sensu accipiatur, ultro concedimus, justum mereri posse, ut reparetur post lapsum merito congrui, seu verius hoc impetrare a misericordia Dei. Evenit namque aliquando, ut Deus justo, qui lapsus est, auxilium efficax ad resurgendum indulgeat intuitu alicujus boni operis, quod ediderat in statu justitiæ. Sic 2. Paralip. 19. dicit Jehu ad Regem Josaphat: *Impio præbes auxilium . . . & idcirco iram quidem Domini meruisti; sed bona opera inventa sunt in te:* quæ verba indicant, Deum ob præcedentia Josaphati merita cum eo misericorditer egisse, non modo circa pœnam temporalem, sed probabilius circa remissionem peccati. Verum de hoc nulla extat divina promissio, pendetque a sola misericordia Dei, qui non semper lapsis pœnitentiæ spatium concedit; & dum concedit, non semper attendit ad priorem eorum justitiam.

Hinc si meritum congrui priore illo sensu intelligatur, negandum est, justum etiam de congruo reparationem post lapsum mereri. Præterquam enim quod de hac nulla extet, ut mox diximus, divina promissio, meritum de congruo fundari debet in quadam proportione congruitatis cum retributione, ita ut si quid ejus intuitu datur, detur per modum ali-

cujus retributionis, saltem gratuitæ & liberalis. At opera justorum, etsi sint bona & meritoria, non habent tamen proportionem ad retributionem tunc recipiendam, quando ipsi fuerint omni retributione prorsus indigni; quales sunt, dum in statu peccati & damnationis existunt.

Nec valet dicere, quod eorum bona opera maneant in divina acceptatione. Sunt enim mortificata & extincta, atque adeo nihil merentur, nisi per recuperatam justitiam reviviscant.

Consectaria.

V. EX duabus nunc stabilitis assertionibus consequitur *Primo*, cum gratia sanctificante augeri pariter omnes virtutes infusas: quia gratia virtutes illas postulat tanquam proprietates, per quas justus disponitur ad exercenda opera bona. Proinde eo ipso, quo justus per intensiorem gratiam sanctificantem ad illa magis inclinatur, consentaneum est, ut ab illa per virtutes expeditior evadat.

Secundo. Justus in hac vita potest semper proficere in gratia, atque adeo semper amplius mereri. Colligitur ex supra adducto Scripturæ textu Prov. 4. *Justorum . . . semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem*, quæ est in altera vita, ut interpretantur S. Gregorius, Venerabilis Beda, & alii, inter quos S. Augustinus Serm. 169. alias 15. de verbis Apostoli sic habet: *Perfecti viatores, nondum perfecti possessores: & noveritis, quod perfectos viatores dicat, quia in via ambulant. Quid est ambulare? Breviter dico, proficere. Si dixeris, sufficit, periisti; semper adde, semper ambula, semper profice.*

Tertio. Justi mereri de condigno possunt bona temporalia, prout necessaria sunt, aut valde utilia ad opera virtutum, quibus in vitam æternam perducimur; ita S. Thomas Quæst.

114.

114. art. 10. Ratio eſt : quia qui poteſt mereri finem, poteſt etiam mereri media ad finem illum conducentia. Atqui juſtus per bona opera meretur de condigno finem, nempe vitam æternam. Ergo eodem merito poterit mereri bona temporalia, quatenus ſibi neceſſaria ſunt ad vitam æternam conſequendam; id eſt, poterit mereri, ut Deus ſpeciali providentia ita rerum ordinem diſponat, ut conatus viri juſti ad bona illa temporalia obtinenda neceſſarius ſuum effectum conſequatur. Unde S. Doctor loco mox citato ait: *Si temporalia bona conſiderentur prout ſunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam æternam, ſecundum hoc directe & ſimpliciter cadunt ſub merito, ſicut & augmentum gratiæ . . . tantum enim dat Deus viris juſtis de bonis temporalibus, & etiam malis, quantum eis expedit ad vitam æternam, & in tantum ſunt ſimpliciter bona hujusmodi temporalia.* Propterea dicitur Pſal. 33. *Timentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Hinc vero ſequitur, bona temporalia non dari juſtis ſecundum proportionem, & quantitatem meritorum, ſicut ipſis tribuuntur bona ſpiritualia gratiæ; ſed prout magis, vel minus conducunt ad ſalutis æternæ conſecutionem. Unde fit, ut juſti ſæpe non impetrent hujusmodi bona, quamvis pro iis plurimum orent, & in extrema nonnunquam paupertate relinquantur; alii econtra divitiis affluant, nonnulli in ſtatu quaſi medio conſiſtant, Deo pro ſua providentia ita diſponente, prout unicuique videt magis expedire ad ſalutem. Unde S. Proſper Sent. 112. *Fidelis*, inquit, *ſupplicat pro neceſſitatibus hujus vitæ, & miſericorditer auditur, & miſericorditer non auditur: quid enim infirmo ſit utilius, magis novit Medicus, quam ægrotus.*

Eadem vero bona temporalia nude, & ſecundum ſe ſpectata non cadunt ſub meritum Theologicum: ſic namque revera bona non ſunt, ſed res indifferentes, quibus homo bene vel male uti poteſt; ad quas proinde Chriſti gratia, quæ eſt

quæ eſt omnis meriti principium, non ordinatur. Dixi, non cadere ſub meritum Theologicum: fieri namque poteſt, ut ſive juſti, ſive peccatores ejusmodi bona merito quodam naturali mereantur per opera moraliter bona: quemadmodum juxta doctrinam S. Auguſtini in Lib. de Civitate Dei, Romani, qui infideles erant, mundi totius imperium meruere, propter virtutes & opera quædam moraliter bona. Unde S. Thomas in 2. Sent. Diſt. 27. Quæſt. 1. Art. 4. ſic loquitur: *Frequenter, ut Gregorius dicit, Deus in hoc mundo remunerat eum, qui præmium futuræ gloriæ non meretur, ut nullum bonum irremuneratum inveniatur.*

Quarto. Auxilia efficacia in hac providentia non cadunt ſub meritum condignum, aut congruum infallibile: quia nulla de hoc extat Dei promiſſio; & Scriptura, ac SS. Patres docent, continuo implorandum Dei auxilium, ut acceptis ab eo donis recte utamur, & in bonis operibus perſeveremus: quod autem obtinetur per orationem, non habet rationem mercedis, ſed gratuiti doni. Deinde, ſi gratia efficax deberetur bonis juſtorum operibus, omnes juſti perſeverarent; quia gratia efficax ſemper habet effectum, nec unquam ei reſiſtitur. Quod ſi igitur juſtus per primum bonum opus mereretur de condigno efficacem gratiam, infallibiliter alterum bonum opus ſuccederet, quod ſimiliter meritorium gratiæ efficacis tertium exciperet, & ſic deinceps usque ad perſeverantiam, quam ſub meritum proprie tale non cadere, nunc dicemus.

CAPUT III.

An perſeverantia finalis cadat ſub meritum?

I. QUæſtio eſt de magno illo perſeverantiæ dono, quo quis in gratia ſanctificante usque ad finem vitæ perſiſtit, ſeu ſtatum gratiæ cum morte conjungit; quod Parte I. Diſ-

Differt. 1. Sect. 2. c. 5. diximus esse specialissimum Dei beneficium, distinctum a gratia habituali, & auxiliis communibus, quin & extraordinariis, quæ nempe solum dantur ad perseverandum longiore, non vero toto vitæ tempore; de hoc, inquam, perseverantiæ dono hic quæritur, an sub aliquod justi meritum cadat? An saltem de congruo illud justus mereri possit?

ASSERTIO UNICA.

Perseverantia finalis non cadit sub meritum de condigno; imo nec sub meritum de congruo, quod effectum suum infallibiliter obtineat.

II. PRob. Utraque assertionis pars ex Scriptura. Ad Philip. 2. Apostolus omnes, & quoscunque justos alloquens, dicit: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Et ad Corinth. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Ex quibus manifeste sequitur, incertam esse perseverantiam finalem, nullamque de ea extare promissionem divinam; sed a puro Dei beneplacito pendere, ut justi accipiant gratias efficaces, per quas non solum observare possint, sed reipsa observent mandata divina usque in finem; adeoque sub nullum meritum cum effectu infallibiliter connexum cadere gratias efficaces, quibuscum usque in finem perseverant justi in statu justitiæ. Potest enim Deus recto judicio homini justo efficacem gratiam subtrahere, atque avertentem se a Deo, & ad cordis sui desideria convertentem absque injustitia deserere: & quemadmodum rapit nonnunquam parvulos post Baptismum, aut adultos statim post acceptam per pœnitentiam justitiam, ne videlicet malitia mutet intellectum eorum; ita ex justificatis alios permittit delinquere in senectutis maturitate, & in æternum perire. Hinc de electis & reprobis scripsit S. Augustinus L. de dono persev. c. 8. *Ex duobus*

piis cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Non essent autem inscrutabilia in hoc Dei judicia, si perseverantia caderet sub meritum etiam de congruo tantum, sed infallibiliter connexum cum effectu; dici namque posset, hunc perseverasse quia perseverantiæ donum meritus est, alterum non perseverasse, quia illud meritus non est, cum tamen mereri potuisset. Sed clarior adhuc est alter S. Doctoris locus eodem Lib. c. 3. ubi sic loquitur: *Unde satis dilucide ostenditur, & inchoandi, & usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed donari secundum ipsius secretissimam, eandemque justissimam, beneficentissimam, sapientissimam voluntatem.* Quibus verbis omne omnino meritum, sive de condigno, sive de congruo, per quod perseverantia infallibiliter obtineatur, excluditur.

Confirmatur ex Concilio Arausicano II. & Tridentino. Illud Can. 1. contra Semipelagianos sic statuit: *Adjutorium Dei in renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Sed quod precibus impetratur, non habet rationem debiti, sed gratiæ: quis enim diceret, mendico eleemosynam tribui ut mercedem petitionis ipsius? Tridentinum vero Sess. 6. Can. 32. solum augmentum gratiæ, & vitam æternam cadere sub meritum definit: *Si quis dixerit, . . justificatum bonis operibus . . non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consequtionem . . anathema sit.* Quibus non obscure significat sancta Synodus, magnum illud perseverantiæ donum ex sola Dei misericordia esse expectandum: quid enim aliud est, *si tamen in gratia decesserit*, quam, si DEUS perseverantiam indulserit?

III. Di-

III. Diximus autem, perſeverantiam non cadere ſub meritum ne quidem de congruo, quod effectum ſuum infallibiliter obtineat. Si namque ſermo ſit de merito congruo in ſenſu latiore, quod non habet infallibiliter effectum ſuum, & pro ſimplici impetratione ſumitur; hoc merito poſſunt juſti perſeverantiam finalem promereri, & ferventi oratione eam a Deo impetrare: ſicut ſupra dictum eſt, poſſe hoc modo juſtum mereri, ut reparetur poſt lapſum. Quamvis enim Deus magnum iſtud donum tanquam alicujus operis mercedem non promiſerit, eſt tamen ejus infinitæ bonitati valde congruum atque conveniens, ut id juſto humiliter & obnixe petenti tribuat. Quare, cum ſaluberrimum ſit & conſultiſſimum homini juſto donum perſeverantiæ finalis quotidie a Deo poſtulare, atque ad id faciendum Scripturæ & SS. Patres nos identidem adhortentur; indicium eſt, quod poſſimus illam aliquo pacto promereri, & impetrare. Hinc S. Auguſtinus eodem illo libro de dono perſev. c. 6. reprehendit eos, qui volunt *ita hanc perſeverantiam prædicari, ut non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit.* Et c. 17. *Reſtat*, inquit, *in his bonis usque in finem perſeverantia, quæ fruſtra quotidie a Deo poſcitur, ſi non eam Dominus per gratiam ſuam in illo, cujus orationem exaudit, operatur.*

Reſpondetur ad Objecta.

IV. OBjic. 1mo. Juſtus poteſt de condigno mereri vitam æternam. Ergo etiam mereri de condigno poterit donum perſeverantiæ, cum hoc ad gloriam ordinetur, nec ad eam ſine illo perveniatur.

Reſp. Neg. conſ. Deus namque promiſit vitam æternam bonis juſtorum operibus, ſi acceſſerit ipſa perſeverantia, a qua pendet ſalus & corona juſtitiæ. Non item promiſit perſeverantiam ipſam; ut nemo præſumeret, ſed unusquisque

propriam salutem operaretur cum timore & tremore. Non est ergo de perseverantia, & de vita æterna eodem modo ratiocinandum; quoniam hæc finis est, illa medium. Ex eo autem quod merces sit finis, non sequitur, mercedem etiam esse debere medium ad ipsum finem perducens: quia pro sua liberalitate Dominus talenta dispensat, & pro arbitrio vocat operarios. At pro justitia servum fidelem de reportato lucro remuneratur, & pro conventione facta solvit statutum denarium.

Inst. Atqui Deus promisit etiam cuilibet justo perseverantiam verbis illis ad Heb. 13. v. 5. *Non te deseram, neque derelinquam.*

Resp. Promisit Deus se non esse deserturum, id est, promisit auxilia sufficientia se abunde collaturum, quibuscum potest justus vitare peccatum, facere bona opera, & in bono perseverare, *Conc.* Promisit auxilia efficacia, quæ sola dant ipsam perseverantiam, *Neg.* Certum quidem est, justum non deseri a Deo, nisi ipse prius Deum deserat; sed quia voluntas hominis semper infirma, inconstans, & flexilis est in bonum & malum, nisi in bono firmetur per auxilium efficax, Deum prior deseret, quamvis per auxilium sufficiens possit non deserere. Nemini autem justo in particulari promissum est efficacissimum perseverantiæ donum; ac proinde nemo illud mereri de condigno, aut etiam de congruo infallibiliter potest.

V. *Objic. 2do.* Justus potest sibi de condigno mereri augmentum gratiæ: ergo & perseverantiam in gratia. *Conf. prob.* Plus est crescere in gratia, quam in gratia perseverare. Ergo.

Resp. Dist. ant. Justus potest sibi de condigno mereri augmentum gratiæ, nec tamen actu merebitur, nisi efficaci auxilio adjutus, quod ipsi non debetur, alioquin nunquam peccaret, *Conc. ant.* Justus quilibet actu meretur usque in finem


finem justitiæ incrementum, *Neg. ant.* & *conſ.* Ad *prob.* *Diſt.* rurſus *ant.* plus eſt creſcere in gratia usque ad mortem, quam ſimpliciter perſeverare, *Conc.* ſic enim creſcere includit perſeverare. Plus eſt creſcere aliquamdiu, & poſtea deficere, *Neg. ant.*

VI. *Objic. 3tio.* Poſſumus ferventi oratione impetrare a Deo finalem perſeverantiam, & ita reipſa eam multi juſtorum impetrant, ac promerentur. Ergo finalis perſeverantia cadit ſub meritum ſaltem de congruo.


Reſp. Diſt. conſ. Cadit ſub meritum de congruo, cum effectu infallibiliter connexum, *Neg. conſ.* non enim omnes, qui cum fervore orarunt aliquando, finaliter perſeverarunt; ſed econtra nonnulli ex illis quia ab orando deſiſtunt, cadunt, & ex hac mortali vita decedunt, antequam reſurgant. Ergo finalis perſeverantia cadit ſub meritum de congruo, quod nonniſi fallibiliter cum merito connexum eſt, *Conc. conſ.* hoc autem, ut diximus, non eſt contra aſſertionem noſtram. Si namque de merito congrui hoc modo ſumpto, aut de ſimplici impetratione ſit ſermo, non negamus, juſtum impetrare & promereri poſſe bonis ſuis operibus & ſpiritum conſtanter orandi, ſicut oportet, pro perſeverantia, & orando perſeverantiam ipſam: quo ſenſu S. Auguſtinus jam ſæpe citato loco de dono perſev. dixit, *hoc Dei donum ſuppliciter emereri poſſe.* Immo ad illud obtinendum totam fere orationem Dominicam dirigi oſtenderat capitibus præcedentibus. Quapropter inceſſanter Deus nobis orandus eſt, ut & ſpiritum orandi, ſicut oportet, pro perſeverantia nobis concedat, & perſeverantiam ipſam miſericorditer largiri dignetur. *Vigilate itaque* (hortatur nos ipſe Dominus apud Lucam c. 21. v. 36.) *omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.* Et Apoſtolus Petrus. 1. v. 10. *Magis ſatagite*, inquit, *ut per bona opera* cer-

certam vestram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Certam dicit fieri nostram vocationem & electionem, certitudine nempe morali & spei, ut alibi diximus; quatenus videlicet vigilantes in orationibus, & insuper bonis operibus incumbentes, in spem erigimur, nos esse electos, & usque in finem perseveraturos. Deus quippe prædestinatos elegit quidem ante mundi constitutionem, ut sint sancti & immaculati Ephes. 1. sed in tempore timorem suum dat in corda eorum, ne recedant, Jerem. c. 32. Ergo qui continua vigilantia solicite se custodiunt immaculatos ab hoc sæculo, orationibus insuper & bonis operibus constanter incumbunt, signum præseferunt moraliter certum, impetraturos se finalem perseverantiam, tanquam ii, qui sunt in numero electorum.

Atqui hic finis esto universi hujus Tractatus de Gratia, quam nobis etiam finalem misericors Deus impertiat.



O. A. M. D. G.



IN-

INDEX.

PARS PRIMA

DE

GRATIA ACTUALI.

DISSERTATIO SECUNDA.

DISSERTATIO TERTIA.

PARS SECUNDA

De Gratia Habituali.

DISSERTATIO PRIMA.

DISSERTATIO SECUNDA.

CA-

ERRATA NOTABILIORA

SIC CORRIGE.

IN PARTIS I. DISSERT. I.

Pag.	Lin.		
7	13	qria	quia
8	27	appoſitam	oppoſitam
19	11	Auguſtinus cit. cap. 6.	Auguſtinus lib. cit. cap. 6.
28	31 & 32	illum auxilium	illud auxilium

Pag.	Lin.	Errata	Corrigenda
32	15	impugnandum	propugnandum
36	27	abitrii	arbitrii
46	31	aterum	alterum
51	1 & 2	Prævaricaricatorem	Prævaricatorem
52	16	vitricem	victricem
52	17 & 18	Semipelagiagianos	Semipelagianos
52	23	auxilium ſine quo	ſine quo non
54	14	parſeyerantiam	perſeverantiam
54	17	Aſſretio	Aſſertio
62	21	potentibus	petentibus
63	15	ut a prædicato	ut autem prædicato
64	27 & 28	lib. de concept.	lib de corrept.
65	2	ad gratiam interiorem	non ad gratiam interiorem
65	24	auxilium ſine quo	ſine quo non
67	ult.	ac Semipelagianos	ac Pelagianos
68	4 & 5	a Pelagianis diſcrepent	a Pelagianis Semipelagiani diſcrepent
68	17	a Semipelagiano	a Pelagiano
71	1	ſeu ſine quo	ſeu ſine quo non
71	8	pure efficientem	pure ſufficientem
71	11 & 12	quod auxilium ſine quo	quod auxilium ſine quo non
71	18 & 19	ſeu auxilium ſine quo	ſeu auxilium ſine quo non
76	10	pravus erat non habens	pravus non erat habens
81	31	intellligatur	intelligatur
86	17	adjutorio ſperare	adjutorio credere, ſperare
89	29	ſummendum	ſumendum
91	21 & 22	revellationis	revelationis
93	32	diſtingui debet eſt	diſtinguendum eſt
96	7	quærelæ	querelæ
102	28	quamvs	quamvis
110	20	exprſſe	expreſſe
119	44	miſeri-cordiis	miſericordiis
130	20	qui	quæ
138	22	cujus	cui
140	29	quaqtacunq ne	quantacunque
141	15	quiſque	quiſquis
153	17	non iis	non inviis
153	19	pervuli	parvuli
153	ult.	pauo lo	pau- lo
158	11	perſerv.	perſev.
174	7	neceſſarium	neceſſarium

IN

ERRATA CORRIGENDA.

IN PARTIS I. DISSERT. II.

Pag.	Lin.	Errata	Corrigenda
176	21	nota	nata
180	7	Quefnellius	Quefnellus
181	12	76	79
185	12	Bertus	Bertius
188	12	fit	fic
188	23	gratia	gratiæ
189	ult.	difpofitio in-	difpofitio- ni-
192	5	Berullam	Berullum
194	19	mere fufficiens	vere & mere fufficiens
199	3	fcqueretur	fequeretur
203	6	quibufcunque	quibufcunque
203	8	ut eos	eos
203	9	unt	funt
206	4	perventurum f.	perventurum fuiffe
212	29	von	non
217	24	nec nc	nec ne
219	20	uu	ufu
220	11	circumftantits	circumftantiis
227	6	folidos	folitos
227	7	potentæ	potentiæ
227	7	fru	feu
227	ult.	neceffari	neceffaria
227	ult.	no	non
228	19	illæ	ille
230	3	locum	in locum
232	21	propriepric	proprie
233	1	putari	imputari
237	13	quii	qui
237	17	dicere	dici
237	32	quia	qui
244	16	Contenforius	Contenfonius
245	4	rei	re
245	5	ub	ubi
248	15	volendum	volendum
249	8	Alexauder	Alexander
249	31	appofui	appofuit
250	17	aliter	taliter
251	17	fic	fi
251	19	delectare	delectari
251	30	neceftate	neceffitate
253	ult.	qu iin	qui in
254	2	in ea	in eo

Pag.

ERRATA — CORRIGENDA.

Pag.	Lin.	Errata	Corrigenda
255	3	voluptatis	voluntatis
255	10	agimus	agimur
275	28	deliberatio	delectatio
278	25	illum	illud
296	29	quoad	quod
314	10	qnin	quin
315	22	determinantem	prædeterminantem
316	9 & 10	accipipi	accipi
316	24	prædeterminet	determinet
354	10	congue	congrue

IN PARTIS I. DISSERT. III.

Pag.	Lin.	Errata	Corrigenda
392	11	fervanda	vitanda
395	27	penonenfe	Senonenfe
395	28	promStu	promptu
410	5	Adamum	Abrahamum
415	ult.	homimines	homines

IN PARTIS II. DISSERT. I.

Pag.	Lin.	Errata	Corrigenda
440	1	ablationem	ablutionem
444	1	babitat	habitat
450	26	Sunƈti	Sanƈtus
464	22	fanƈtificatianem	fanƈtificationem
464	22	renovatiouem	renovationem
471	16	Par-jona	Bar-Jona
477	24	expreffæ	expreffa
494	30	inveni	inveniri

IN PARTIS II. DISSERT. II.

Pag.	Lin.	Errata	Corrigenda
508	14	non	nos
508	20	quia	qui
511	2	——	Ad Rom. 2. v. 9.
511	2	animam operantis	animam hominis operantis
513	11	fupernatnrale	fupernaturale
515	11	mifericodia	mifericordia

F I N I S.





